



IVVENALIS

SATIRAE

D. IVNII
IVVENALIS
SATIRAE


EX RECENSIONE

A. RVPERTI

ITEM

A. PERSII FLACCI

EX RECENSIONE



L. KOENIG.

TOMVS PRIMVS.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXX.

GE. ALEX. RVPERTI

PRAEFATIO

Primam Iuvenalis editionem, meis curis sumtibusque Fritschii Lips. 1800 vulgatam, cuius exemplaria iam dudum divendita sunt, excipit nunc altera, gloriosius, quam vellem, a redemptore eius nuper promulgata, etsi longe alia et emendatior, in qua et resecui innumera * et adieci † et correxi. Nam multa tum ab aliis tum aliquando a me ipso, recognitione per otium iterata, animadversum iri, quae iure meritoque possent reprehendi et in quibus vel grammatici desideraretur subtilitas vel critici, nunquam dubitavi. Veniae tamen, aliquam certe, spem mihi dabat eorum, quae mihi erant impedimento, et copia et gravitas. Quam arduum enim fuerit conamen meum, vel ex eo intelligitur, quod viri docti nullis propemodum poëtis Romanorum minus operae addixerint, quam satiricis et praecipue eorum principibus, Horatio et

* Quo refero potissimum praefationem, vitam Iuvenalis a Salmasio et Dodwello concinnatam multasque et manifestas tam librariorum quam interpretum aberrationes et nugas.

† In primis similia Graecorum Romanorumque scriptorum loca et quidquid boni inest tum singularibus libellis nuper editis, tum novissimae Iuvenalis editioni Paris. 1810. vulgatae a Cl. *Achaintre*, qui non modo codices mss. xxxv comparavit et in his optimos antiquissimosque, sed ineditas etiam Vaesiorum notas inseruit suasque adiecit.

Iuvenali, qui hac contemtione et incuria minime paene omnium digni sunt. Illius odae multorum, satirae unius tantum alteriusque ingenium exercuere. Hic vero ducentis abhinc annis nullum fere nactus est interpretem; et quales antea? qui neque verba eius diligenter expiscati sunt, neque horum sententiam satis explanarunt, sed potius satiras illius argutis vanaque doctrina veluti obruerunt et obscurasse magis videri possunt quam illustrasse. Desiderabatur adhuc editio, in qua tum textus, ut vulgo dicunt, ad fidem bonorum codicum legesque artis constanter recenseretur et vitia vulnerave non manifesta solum, sed latentia quoque sanarentur; tum satirae ipsae perpetuo explicarentur commentario, qui adolescentes cum fructu, voluptate sensuque veri ac pulchri eas legere et non modo singula, quae tam in argumento, quam in tractatione magnopere differunt, intelligere, sed etiam cuiuslibet eclogae summam ac virtutes cognoscere doceret, quae non tam singulis sententiis earumve enuntiatione atque inventione continentur, quam illarum coagmentatione et partium cum summa consilioque primario congruentia. Ad eiusmodi editionem me adspirasse non dissimulavi, sed severorum me iudicum desideriis votisque satis facturum esse nec speravi unquam, nec sperare potui. Contentus eram muniisse viam et fundamenta quasi iecisse, quibus superstrueretur ab aliis melius aedificium et adiicerentur haec, illa demerentur. Raro etiam humanitatis exemplo, cuius gratissima nunquam memoria ex meo effluet animo, tanta mihi suppeditata erat criticorum subsidiorum copia, ut decimam vix partem cuiquam contigisse crediderim, qui ante me accesserit ad poëtam edendum. Omnium vero, quos unquam exhausi, la-

borum longe molestissimi fuere primum collatio octoginta circiter codicum, vel manu scriptorum vel typis excusorum, quos paene omnes ipse a principio ad finem comparavi, eorumque notatio, descriptio et in ordines atque classes distributio; deinde lectio commentariorum, qui temporis iacturam fructu inde percepto neutiquam compensabant et in Henniniana editione seorsum ad quemvis versum, altero alterum in aliis libri paginis excipiente, erant evolvendi; denique confectio Indicis rerum verborumque uberrimi. Tot et tantas difficultates ac molestias si reputaverint aequi harum rerum iudices, non mirabuntur profecto, nondum fuisse quemquam, qui tantum sibi laboris, quantum ego receperim, imponi pateretur et in eodem perferendo constanter perseveraret, multosque destitisse a consilio edendi Iuvenalis, iam diu mente agitato, aut oneri succubuisse. Iidem non pauca forte vitia condonabunt ei, qui primus talia moliatur, non ignari, hominibus etiam longe doctioribus obrepere subinde somnum in opere tam vasto et arduo, neque animum vigere semper et satis acute videre, nedum eius, cui Herculei labores illi fuerint exantlandi et neque magna librorum copia, neque satis otii suppetierit, sed, quum semper non minus fere studii theologiae, quam philologiae, et linguis orientalibus, quam Graeciae ac Latii literis, impenderit, propter negotia varia crebrasque interpellationes, subseciva tantum tempora et operas plerumque tumultuarias huic labori dicare licuerit. Forsan et non immemores erunt eorum, quae Heyne in Praef. Virg. vere dixit: « Non minores difficultates ipsum premunt interpretem. Namque et eius ingenium infinita rerum minutarum copia ac subtilitate (nec minus comparatione tot co-

dicum et Indicis copiosi concinnatione) obtundi obscuraque opera et argutiis superiorum interpretum obscurari, et, dum in aliorum sensu acuendo desudat, proprium sensum obrui et hebetari necesse est. Dum undique et tam ad singula verba, quibus aliqua difficultas, ad aliorum quidem intelligentiam, adhaerescere forte possit, quam ad innumera, ab aliis prave accepta, male exposita aut in tenebras involuta, circumfertur et intenditur animus, dumque in verbis commode explicandis defixus est, multa interdum occurrunt minus cum re coniuncta, exciditque id, quod ad illum locum ab initio quaerebatur; nec raro fit, ut sensim sensimque ad alias rerum notiones et imagines delabaris et tandem subiungas interpretationem, quam, si in alio deprehenderis, quomodo ei in mentem venerit, assequi vix possis. Quae omnia communem interpretum conditionem nimis duram et iniquam esse docent, quam ut in eo genere perfectae aliquid et absolutae operae exspectari possit. »

Hanc vero interpretum conditionem multo duriorem reddit et iniquiorem indoles aevi nostri, quo non pauci eorum, qui *humanitatis* profitentur studia, quamquam mitem Gesneri sapientiam iustis praedicent laudibus, Klotzium tamen arrogantia et inhumanitate superant, et ne tironibus quidem ulla religio est, summos quoque viros, *ὧν οὐκ εἰσὶν ἱκανοὶ λῦσαι τοὺς ἱμάντας τῶν ὑποδημάτων* et quorum doctrina, ingenium ac merita non minus a me suspiciuntur quam ab omnibus, qui ea rite aestimare sciunt, asperrimis dictis lacessere altoque despicere supercilio. Ita enim nostro saeculo, quod de humanitate ac luce literarum toties gloriatur, *venimus ad summum fortunae: — Caedimur et totidem plagis consumimus hostem!* Aequam saltem

et liberalem censuram quis exspectet ab hominibus *Heineckio* similibus? qui adolescens, etsi sine ira et studio scripsisse sibi visus est, rustica tamen et Archilochia aut Hipponactea in me subinde effudit dicteria in libello singulari, in quo nonnulla quidem recte, non diffiteor, et magno cum strepitu iuvenilis iactantiae mihi exprobravit, sed plerumque, ubi me insimulavit ineptiarum vel ridicula et absurda mihi excidisse censuit (ita enim amabat loqui et in eo sibi placebat), illa expromsit ipse et ridendi materiam praebuit. Haec vera esse patebit ex Var. lect. et Comm., in quibus omnia, tam ab eo (quem iam ante hos octo annos fato functum esse nunc demum rescivi, postquam editionem hanc iam subieceram prelo), quam ab aliis vel recte, vel perperam notata recensui et iis potissimum censoribus, qui, quum novas ipsi meditarentur Iuvenalis editiones, acerrime in me invecti sunt, nonnulla, sed humaniter, respondi, memor verborum poëtae mei: *Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?* Quodsi vero saepius ipsi illi labuntur atque a vero aberrant, qui unice id agunt per otium ac studiose et cupide, ut aliena rimentur detegantque peccata et vitia; quam humanum est errare! in tanto potissimum opere et tot difficultatibus impedito! quam aequum, errantem comiter in viam reducere!

Scrib. Stadae Cal. Febr. A. R. S. MDCCCXVIII.

D. IVNII IVVENALIS

VITA

PER ANNOS PROBABILIBVS CONIECTVRIS DIGESTA.

IVVENALIS 1.

A. V. C. VARR. 795. CHRISTI 42.

Probabilius est, Iuvenalem non ante, quam post hunc annum in lucem editum esse. Satiram enim decimam tertiam annis LXI post consulatum *Fonteii*, adeoque, si ille C. Fonteius Capito est, qui a. V. c. 812. consul fuit (non L. Fonteius Capito cos. a. V. c. 820.), a. V. c. 873., eodemque anno vel potius sequente satiram XV. scripsit aut recitavit; in Aegyptum autem, quum octogenarius esset, missus est, ibique intra brevissimum tempus angore et taedio periit, si fides habenda Suetonio: nam ita brevitatis causa incertum Vitae supra adscriptae auctorem appellare liceat. Conf. ad a. V. c. 833. et 874. ad Sat. XIII, 16. 17. et XV, 27.

Eodem anno *Quintilianum*, clarissimum rhetorem (v. ad Sat. VI, 75. et 280.), Iuvenalem vero a. V. c. 791. Christi 38. natum esse, suspicabatur Dodwellus in Annal. Quintil. Regnabat tunc temporis (ab a. V. c. 794—807. Christi 41—54.) Tib. *Claudius* Drusus; ante quem (ab a. V. c. 790—794. Chr. 37—41.) imperium tenuerat C. Caesar *Caligula*, qui a. V. c. 791. Chr. 38. accepto a Caesonia uxore philtro in furorem coniectus erat (cf. Sat. VI, 615 seq.), et a. V. c. 793. Lugduni instituerat certamen Graecae Latinaeque facundiae (v. ad Sat. I, 44. et VII, 147 seqq.), quo etiam tempore ab eo forsan in exsilium missus *Secundus Carrinas* rhetor, de quo v. ad Sat. VII, 204.

Hic vero Caligula successerat *Tiberio*, de cuius secessu Capreensi (a. V, c. 780—790.), tyrannide et amicorum principe Seiano huiusque potestate ac morte v. Sat. X, 56—113.

De parentibus poëtae nostri nihil memoriae proditum reperitur, praeter id, quod tradit Suetonius: *Iuvenalis libertini locupletis, incertum filius, an alumnus.*

Praenomen Iuvenalis *Decimum* esse, non *Decium*, praeter alios docuit Lud. Carrio Emendatt. cap. 1. Ab antiquis eum librariis communiter *Ethicum* cognominari (haud dubie propter plurima morum praecepta, quae satiris suis intexuit), ut Martialem *coquum*, Propertium *nautam*, Ovidium *Getam*, Statium *Aquilinum*, Prudentium *amoenum*, monet Barth. Advers. VI, 1. Eodem nomine passim laudatur a Petro Blaesensi in Epistolis, Io. Sarisberiensi, Vincentio Bellov. aliisque huius aevi scriptoribus, qui et reliquos poëtas satiricos vocare solent *ethicos*, quoniam ἠθικὰ potissimum ab iis tractantur. Cf. Dan. Heins. de Sat. Horat. lib. I. pag. 48. et Nicol. Antonii Bibl. Vet. Hisp. lib. I. pag. 62.

Patriam poëtae fuisse *Aquinum* (Volscorum oppidum, quod πόλις μεγάλη Strab. lib. V. p. 164. nunc autem *Aquino* dicitur, et patria quoque fuit Thomae de Aquino, celebris Scholasticorum parentis), probabili iudicio colligitur e Sat. III, 319. Hinc in omnibus fere Iuvenalis codicibus, et scriptis et editis, recte cognominatur ille *Aquinas*, in nonnullis vero vitiose *Arpinas*. In vetustiss. cod. Pithoei ad initium Sat. I. haec verba leguntur: « Iuvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. »

IVVENALIS 7.

A. V. C. 801. CHRISTI 48.

Messalina, impudicissima Claudii Imp. uxor, palam nuptias facit cum C. Silio, formosissimo iuvene, et cum eo interficitur consilio ac iussu *Narcissi*, ditissimi potentissimique libertorum Claudii. v. ad Sat. VI, 115—132. X. 329—345. et XIV, 329 seq. Praeter Narcissum *Pallas* et *Posides* liberti plurimum gratia valebant apud eumdem Claudium Imp. Cf. ad Sat. I, 109. et XIV, 91.

IVVENALIS 8.

A. V. C. 802. CHRISTI 49.

De praeceptoribus Iuvenalis nihil potest certa et explorata fide tradi. Henninius quidem, Criniti aliorumque auctoritatem secutus, ad vitam Iuvenalis, quae Suetonio tribuitur, notat, eum Frontone Grammatico (quem etiam Sat. I, 12. innui quidam putant) magistro usum esse et ab eo summa diligentia institutum: hunc enim docuisse illis temporibus Romae magna cum nominis celebritate, teste Gellio. Eamdem ob causam fuere etiam, qui Iuvenalem in disciplinam traditum esse Quintiliano suspicarentur. Sed quam infirma sit haec ratio, facile intelligitur. Nam non modo Romae alii quoque tunc temporis iique celebres fuere Grammatici et Rhetores, quorum scholas frequentare potuit Iuvenalis, quum puer esset, sed multo quoque probabilius est, eum quorumvis potius aliorum institutione formatum fuisse, quam Frontonis illius et Quintiliani. Hic enim, quod supra diximus, vel eodem, quo poëta noster, anno, vel aliquot, ille autem multis annis post eum natus videtur. Marcus certe Cornelius Fronto, clarissimus Rhetor, cuius passim mentionem facit Gellius (Noct. Att. II, 26. XIII, 28. XIX, 8. 10. 13.), praeceptor fuit duorum Imperatorum, M. Antonini Philosophi (qui ei statuam in senatu, consulatum in duos menses aliosque honores contulit) et Veri. (v. Capitolin. in vita Anton. Philos. c. 2. et Veri c. 2. Auson. in grat. act., Macrob. Sat. V, 1. et ipsius Frontonis Epist. ad Marcum ap. Charis.) Antoninu vero ille regnavit a. V. c. 914—933. a. Chr. 161—180. et natus est a V. c. 874. Chr. 121. aliquot forte mensibus vel adeo annis post mortem Iuvenalis, qui ad summam vixit senectutem. Quis itaque sibi persuadeat, utriusque praeceptorem fuisse Frontonem illum?

Ceterum si pater poëtae nostri *locuples libertinus* fuit, filium artibus liberalibus honestisque, quibus nobilium, saltem ingenuorum, liberi instituebantur, imbuendum curare poterat; idque omnino curasse videtur.

IVVENALIS 10.

A. V. C. 804. CHRISTI 51.

Ostorius in Britannia bellum gerit adversus Brigantas. Cf. ad Sat. XIV, 196.

IVVENALIS 13—27.

A. V. C. 807—821. CHRISTI 54—68.

Claudio Imp., qui Agrippinae uxoris fraude necatur boleto venenato (v. ad Sat. V, 147. et VI, 620 seq.), in imperio succedit *Nero*, cuius et Domitiani temporibus maxima morum corruptela immaniaque vitia vigent et flagitia, quae in primis Sat. I. II. III. VI. et VIII. adumbrantur. Ex iisdem intelligitur, Neronem fuisse tyrannum, aurigam, cantorem, citharoedum, histrionem, popinarum frequentatorem, paedicatorem, incendiarium, Troicorum scriptorem. v. Index et Sat. VIII, 193—230. Famosi delatores huius aevi Matho, Heliodorus, Demetrius, Egnatius Celer, Regulus, Massa, Carus, Latinus. Cf. ad Sat. I, 32—36. Nero dicitur *Domitius* Sat. VIII, 228.

IVVENALIS 16.

A. V. C. 810. CHRISTI 57.

Si recte Iuvênalis natalem definivimus, hoc anno togam ille virilem sumsit, quippe quae anno aetatis XVI ineunte sumi solebat illo aevo. v. Massoni vita Ovidii et Horatii, nec non Noris. Cenotaph. Pisan. p. 115 seq. Eodem anno Cossutianus *Capito*, Tigellini gener et Ciliciae praefectus, de pecuniis repetundis postulatus a Cilicibus et damnatus est. Cf. ad Sat. VIII, 93.

IVVENALIS 18.

A. V. C. 812. CHRISTI 59.

C. Fonteio Capitone et Vipsanio Coss. nascitur Calvinus, amicus Iuvenalis. Cf. ad Sat. XIII, 17.

IVVENALIS 21.

A. V. C. 815. CHRISTI 62.

Hoc forte anno primam poëta posuit barbam. Cf. ad Sat. I, 25 seq. XIII, 56 seq. et Dodwelli Annal. Quintil. p. 180.

IVVENALIS 22.

A. V. C. 816. CHRISTI 63.

C. Sofonius *Tigellinus*, Burro mortuo, praetorianis cohortibus praeponitur a Nerone, apud quem plurimum gratia valet propter similitudinem morum. v. ad Sat. I, 155 seqq. Eodem anno et aetatis tricesimo, P. Mario Celso, L. Asinio Gallo consulibus, moritur A. *Persius* Flaccus poëta (v. Sueton. in eius vita), et Nero uxorem ducit *Poppoeam* Sabinam, quae ita diffluebat luxuria, ut, quocumque iret, sexcentas secum asellas duceret (nam lacte asinino utebantur molles homines, ut teneresceret cutis et candesceret), et unguenta suavissimi odoris ab ea dicerentur *Poppoeana*. Cf. ad Sat. II, 107. VI, 462. 468 seqq.

IVVENALIS 23—40.

A. V. C. 817—834. CHRISTI 64—81.

Iuvenalem ad mediam fere aetatem declamassé, animi magis causa, quam quod scholae se aut foro praepararet, tradit Suetonius. Cf. ad Sat. I, 15 seq. Hinc etiam Martiali Epigr. VII, 91. *facundus* dicitur, et nulla fere est satira, quae non redoleat ingenium, declamandi exercitio, pro more illius aevi, plane formatum.

IVVENALIS 24.

A. V. C. 818. CHRISTI 65.

Occiditur C. Calpurnius *Piso*, auctor coniurationis in Neronem, vir bonus, ditissimus, liberalis doctorumque hominum patronus, qui a. V. c. 801. cum L. Vitellio Consul fuerat suffectus. De hoc et aliis Pisonibus, qui illis temporibus vixere, v. ad Sat. V, 109. Cum eo pereunt etiam alii, qui et praedivites erant, et impliciti Pisonianae coniurationi, Plautius *Lateranus* (Consul designatus et Messalinae adulter), L. Annaeus *Seneca* et M. Annaeus *Lucanus* poëta. Vid. ad Sat. V, 109. VII, 79 seq. (ubi Lucanus *Serrano* et *Saleio* Basso, pauperibus horum temporum poëtis, opponitur) VIII, 147. et X, 15 seqq. Eodem anno prima fuit eaque saevissima persecutio Christiano-

rum, qui iussu Neronis tunica molesta aliorumque tormentorum inusitato genere conficiebantur; quo respexit poëta Sat. I, 155 seq. et VIII, 235.

Ivvenalis 25.
A. V. C. 819. Christi 66.

Hoc anno a Nerone damnatur *Trasea Paetus*, socer *Helvidii Prisci*, quae insignia erant virtutum liberiorisque animi exempla. Cf. inf. ad A. V. C. 823. et ad Sat. V, 36. 37.

Ivvenalis 26.
A. V. C. 820. Christi 67.

L. *Fonteio* Capitone et C. Iulio Rufo consulibus (v. ad Sat. XIII, 16. 17.) P. Egnatius Celer Stoicus falso testimonio adiuvat damnationem *Bareae* Sorani, discipuli amicique sui, qui exemplar erat virtutum et Proconsul Asiae fuerat. v. ad Sat. I, 33. III, 116 seq. et VII, 91.

Ivvenalis 27.
A. V. C. 821. Christi 68.

Neronis scelera et ineptias, quae Sat. VIII, 193—230. notantur, vindicant *Virginius*, *Vindex* et *Galba*. v. Sat. VIII, 221. 222. Eo caeso summa imperii defertur ad Servium Sulpicium *Galbam*, qui post octennium ex Hispania Romam redierat. Ab hoc *Quintilianum* ex Hispania Tarraconensi, cuius opp. Calagurris eius patria fuit, admodum adolescentem hoc anno Romam perductum esse, tradit Hieronymus in Chron. Quae si vera sunt et Quintilianus, de quo vix dubitare possis, Hispanus fuit, nec Romanus, quod Nic. Gedoyn, Gallicus eius interpres, contendebat: probabile est, illum iam Romae fuisse ante imperium Galbae, quippe qui ipse nos docet Inst. Orat. X, 1. et XII, 11. a se iuvene auditum esse Domitium Afrum, summum oratorem, quem iam a. V. c. 813. Chr. 60. mortuum esse, ex Tac. Ann. XIV, 19. cognoscimus. Quoquo modo se res habeat, constat certe, Quintilianum exinde viginti annos Rhetoricam in

schola publica Romae professum esse. v. Dodwelli Annal. Quintil. § 12. 13. 15. et conf. ad Sat. VIII, 188—198. Eius praeceptor *Palaemon* (v. ad Sat. VI, 452.), et discipuli clarissimi fuere Plinius iunior et C. Caelius orator.

IVVENALIS 28.

A. V. C. 822. CHRISTI 69.

Galba occiditur a M. Salvio *Othone*, homine mollissimo, qui ita diffluebat luxuria, ut in ipsis castris uteretur speculis et faciem madido pane lineret. Idem paulo post, copiis suis a *Vitellio* victis in pugna Bebriacensi, gladio pectus sibi transfigit. vid. Sat. II, 99—109. et VI, 559. Amicus eius erat *Seleucus* astrologus. v. ad Sat. VI, 559.

IVVENALIS 28—38.

A. V. C. 822—832. CHRISTI 69—79.

Vitellio interfecto regnat *Flavius Vespasianus*, Imperator bonus, sed tam avarus, ut urinae etiam vectigal comminisceretur. Cf. ad Sat. XIV, 204.

IVVENALIS 29.

A. V. C. 823. CHRISTI 70.

Helvidius Priscus, gener Thraseae Paeti, damnatur a Vespasiano. Cf. sup. ad a. V. c. 819.

IVVENALIS 34.

A. V. C. 828. CHRISTI 75.

Ex Italia abire iubetur *Berenice*, pulcerrima Agrippae maioris, regis Iudaeorum, filia (ut quidam putant, Herodis filia et uxor Ptolemaei, regis Aegypti), quae amorem Titi Caesaris iam inde ab a. V. c. 823. in se accenderat et cum fratre, *Agrippa* minore, ultimo Iudaeae rege, incestum fecit. Cf. ad Sat. VI, 156 seq. Pro Berenice regina et apud eam se causam dixisse tradit Quintilian. Inst. Or. IV, 1.

IVVENALIS 36—44.

A. V. C. 830—838. CHRISTI 77—85.

Britannia et *Orcades* insulae expugnantur ab Agricola, qui tamen *Hiberniae* occupandae consilium exsequi non potest; sed revocatus a Domitiano in otio vivit, ut tyranni insidias effugiat, et moritur a. V. c. 846. veneno necatus, quod vulgo saltem credebatur. Cf. ad Sat. II, 159 seq. IV, 127. XIV, 196. XV, 124. *Gallia causidicos docuit facunda Britannos* Sat. XV, 111.

IVVENALIS 39.

A. V. C. 833. CHRISTI 80.

Iuvenalis, qui ad mediam fere aetatem declamaverat, ab hoc tempore, paucorum versuum Satira non absurde composita in Paridem et Statium, hoc genus scripturae industrie excolit; sed diu ne modico quidem auditorio quidquam committere audet, propter tyrannidem Domitiani. Ita Suetonius in Vita; ad quam bene haec adnotavit Oudend. « Poëta studiis literariis et declamationibus animi causa operam dedit ad XL aetatis annum. Hinc lusit aliquando satiram in Paridem, Neronis pantomimum, mox occisum a Nerone. (v. ad Sat. VI, 87.) Tunc vero non prosecutus est poëticum studium; certe non palam divulgavit carmina; donec iam octogenarius sub Imp. Hadriano, qui a. V. c. 870. Romam venerat, prae indignatione tot malorum poëtarum et criminosae priorum Imperatorum et aulicorum suorumque temporum et civium vitae denuo in bilem effundendam erupit suasque satiras recitavit, atque pro Neronis pantomimo inseruit Sat. VII, 87. Domitiani pantomimum iuniorem Paridem, itidem a Domitiano morte multatum (v. ad Sat. VI, 87. VII, 87.): eaque occasione poëtae Statii meminit VII, 82 seq. Quum vero praeter alia infercisset Sat. VII, 90 seq. *Quod non dant proceres, dabit histrio* cet. illis versibus offensus iste *histrio*, qui Hadriano Imp. in deliciis erat et omnia apud illum poterat, conflavit Iuvenali invidiam, ita ut in suspicionem venerit, quasi praesentia tempora figurate, ut ait auctor, per veterem quasi illum Paridem notasset. Quapropter illum Hadrianus, facetissimo ingenio et poëtis favens Princeps, sed incitatus ab *histrione*, tali supplicii genere affecit, quod levi et ioculari delicto par

esse videbatur, eumque, qui ridebat, homines quosdam fieri praefectos et tribunos favore histrionis, ipsum fecit praefectum cohortis Aegyptiacae, ut videretur pro suis versibus esse honoratus; sive sub honoris specie illum ab Vrbe removit. Neque haec accidisse vivo Domitiano, luce meridiana est clarius. Nam eius mortem ipse Iuvenalis descripsit Sat. IV, 34. VI, 279. VII, 186. et sub Traiano laudatur ille vivens a Mart. XII, 18. Non ergo *histrio* seu pantomimus Neronis vel Domitiani, sed Hadriani est intelligendus tum Sat. VII, 87. et 90. tum in Sidonii Apoll. carm. IX, 270. *irati fuit histrionis exsul.* Plura vide ap. Salmas. Plin. Exerc. in Solini c. 32. p. 319 seq. al. 449 seq. et Dodwell. in Annal. Quintil. § 37—41. p. 156 seq.»

IVVENALIS 40—55.
A. V. C. 834—849. CHRISTI 81—96.

Imperium obtinet T. Flavius Sabinus *Domitianus*, qui *ultimus Flavius*, *Nero calvus* et *Pontifex summus* dicitur Sat. IV, 37. 38. 46. 137. Aevum eius simile Neroniano (v. ad. a. V. c. 807.) et insigne copia delatorum in dies crescente, e quibus famosissimi erant *Regulus* (v. ad Sat. I, 33 seq.), *Belbius Massa* (Sat. I, 35.), *Metius Carus* (Sat. I, 36.), *Palfurius Sura* (Sat. IV, 53.), *Armillatus* (ibid.), *Pompeius* (Sat. IV, 110.), *Catullus Messalinus* (Sat. IV, 113 seq.) et *Fabricius Veiento.* (Sat. III, 185. IV, 113. 124. VI, 113.) Huius Fabricii, senatoris hominisque adulandi peritissimi, uxorem *Hippiam* cum Sergio gladiatore in Aegyptum migrasse, narratur Sat. VI, 82—113. Praefecti Vrbi sub Domitiano erant *Pegasus* et *Rutilius Gallicus.* v. ad Sat. IV, 75 seq. et XIII, 157.

IVVENALIS 42.
A. V. C. 836. CHRISTI 83.

Domitianus ridicula expeditione in Cattos facta a Senatu triumphum et cognomen *Germanici* accipit. Conf. ad Sat. VI, 205. Hoc etiam anno tyrannus ille, repudiata Domitia occisoque propter adulterium eius *Paride* histrione (Sat. VII, 87.), palam tamquam cum uxore consuescit cum *Iulia*, Titi fratris sui filia, Sabino nupta, quae coacta abortivis conceptum abigere moritur

et a. V. c. 844. Chr. 91. consecratur. Eodem tempore Domitianus severas de adulteriis et pudicitia leges, *Iuliam* et *Scatiniam*, revocat. Cf. ad Sat. II, 29–44. Di LXVII, 3. et Dodwell. Annal. Quintil. § 24.

Ivvenalis 43.
A. V. C. 837. Christi 84.

Domitianus X. et App. Iunius Sabinus consules. Hunc Iunium nonnulli Sat. XV, 27. innui putant.

Ivvenalis 44—51.
A. V. C. 838—845. Christi 85—92.

Bellum geritur adversus *Dacos*, in quo App. Iunius Sabinus et Corn. *Fuscus* pereunt. Domitianus tandem annuo tributo promisso pacem ab hoste emit, et tamen de victoribus falsum agit triumphum cognomenque *Dacici* sumit. Cf. ad Sat. IV, 111. VI, 205. et Dodwelli Annal. Quintil. § 22. et p. 190. ubi suspicabatur etiam, eodem tempore ridiculum Patrum consilium de inusitatae magnitudinis rhombo a Domitiano habitum esse (si verum fuit, non fictum), ante quam in *Dacos* mitteretur *Fuscus* et quum tristes tam e *Britannia* (cuius rex praeter alios fuit *Arviragus* Sat. IV, 127.), quam de *Cattis* et *Sygambris* nuntii venissent. Cf. ad Sat. IV, 37 seqq. 111. 126. 147. Ei consilio affuisse dicuntur *Pegasus* ICtus celeberrimus, qui sub Vespasiano Consul fuit suffectus cum Pusione et postea Praefectus Vrbi (v. ad Sat. IV, 75 seq.), *Vibius Crispus*, senex iucundi et mitis ingenii (Sat. IV, 81 seq.), *Acilius Glabrio* cum filio (Sat. IV, 93–103.), *Rubrius* (ibid. v. 104 seq.), *Montanus* abdomine tardus (v. 107.), *Crispinus*, matutino sudans amomo (qui servus olim fuerat Aegyptius, sed a Domitiano ad dignitatem provectus equestrem luxuria diffluebat, de quo v. ad Sat. I, 26 seq. IV, 1 seq. 108. 109.), *Pompeius* delator (Sat. IV, 110.), Corn. *Fuscus* (ibid. v. 111. 112.), *Catullus Messallinus* et *Fabricius Veiento*. (v. ad Sat. IV, 113 seq. et sup. ad a. V. c. 834.)

IVVENALIS 45.

A. V. C. 839. CHRISTI 86.

Agones Capitolini a Domitiano instituuntur in honorem Iovis Capitolini, et *Britannia* insula circumvehitur ab Agricola, octavo praefecturae eius in Britannia anno. Cf. ad Sat. VI, 387. VII, 86. et Dodwell. Ann. Quintil. § 22.

IVVENALIS 51.

A. V. C. 845. CHRISTI 92.

Quintilianus, Rhetor celeberrimus idemque ditissimus, institutioni filiorum sororis a Domitiano praeficitur et forte per patrem eorum, Flavium Clementem, ornamenta impetrat consularia. v. ad Sat. VII, 188—198.

IVVENALIS 52.

A. V. C. 846. CHRISTI 93.

Baebius *Massa* accusatur a Plinio iuniore et Senecione ac damnatur. v. ad Sat. I, 35.

IVVENALIS 53.

A. V. C. 847. CHRISTI 94.

Domitianus philosophos Vrbe Italiaque submovet. Cf. Dodwell, Ann. Quint. §. 14. et 26.

IVVENALIS 54.

A. V. C. 848. CHRISTI 95.

Acilius Glabrio, qui cum Traiano consul fuerat, iussu Domitiani occiditur cum Herennio Senecione, L. Iunio Rustico (v. ad Sat. XV, 27.), Sallustio Lucullo, Aelio Lamia, Metio Pompesiano et aliis. v. ad Sat. IV, 94 seq. 154. Eodem forte tempore Iudaeis, a Domitiano, ut quondam a Claudio, Roma

pulsis locatur lucus Camenarum, a Numa his sacratus, unde in Vrbem mendicatum vaticinatumque veniunt. Cf. ad Sat. III, 13 seq. et VI, 542 seq.

IVVENALIS 55.

A. V. C. 849. CHRISTI 96.

Domitianus, qui omni nobilitate exstincta iam in plebem quoque saevire coeperat, trucidatur, v. ad Sat. IV, 153. 154. Eodem anno moritur P. Papinius *Statius* poëta, qui a Domitiano et Paride divitiis honoribusque auctus erat. Cf. ad Sat. VIII, 82—93.

IVVENALIS 55—57.

A. V. C. 849—851. CHRISTI 95—98.

M. Cocceius Nerva Imperator est, ad quem forte spectat initium Sat. VII.

IVVENALIS 57—76.

A. V. C. 851—870. CHRISTI 98—117.

Regnat M. Vlpius Nerva *Traianus*, ad quem nonnulli referunt principium Sat. VII. Conf. ad Sat. VI, 205. 236. 245. 407 seq. 502.

IVVENALIS 59.

A. V. C. 853. CHRISTI 100.

Marius Priscus, direptis Afris, quorum causam agit Plinius iunior, repetundarum damnatur (v. ad Sat. I, 47 seq. et VIII, 120.) hoc anno, quo tertium cum Traiano consul erat M. Cornelius *Fronto*, orator insignis et patronus virorum doctorum, qui poëtis recitaturis aedes suas commodabat. v. ad Sat. I, 12. 13. Eodem anno Traianus consulem sibi suffecit Plinium iuniorem.

IVVENALIS 60.

A. V. C. 854. CHRISTI 101.

Hoc forte anno *Martialis*, quem poëtae nostro familiarissimum fuisse ex eius epigr. 24. libri VII. intelligitur, obiit in patria (Bilbili, Celtiberiae opp.), quam senex, relicta Roma a. Chr. 100. (v. Massoni vit. Plin. iun. p. 112 seq.), vel, si Dodwello (Ann. Quint. sect. 38.) fides habenda, a. Chr. 103, repetiit et ubi paulo post mortuus est. Ibidem scripsit epigr. 18. libri XII. unde Salmasius et Dodwellus recte collegerunt, Iuvenalem tunc temporis Romae fuisse, non in Aegypto. — Eodem anno, Traiano VI. Sex. Articuleio Paeto Coss., Praetor fuit P. Iuventius *Celsus*, ICtus celeberrimus, qui a. V. c. 882. secundum gessit consulatum, regnante Hadriano. v. ad Sat. VI, 245. et VIII, 194.

IVVENALIS 73.

A. V. C. 867. CHRISTI 114.

Terrae motus Antiochiam et vicina loca concutit, quo tempore Traianus expeditionem susceperat in Armenios et Parthos. Cf. ad Sat. VI, 407—411. et Dodwell. Ann. Quint. sect. 40.

IVVENALIS 76.

A. V. C. 870. CHRISTI 117.

P. Aelius *Hadrianus*, ab exercitu Antiochiae Imperator salutatus et Augustus, Romam venit; quo tempore Quintiliano data esse ornamenta consularia multosque poëtas recitasse, in his quoque Iuvenalem, suspicabatur Dodwell. Ann. Quint. sect. 36—41. Cf. ad Sat. I, 1 seq. et VII, 188—198. Hadrianus imperavit paene annos XXI. et Princeps fuit omnibus literis perpolitus doctorumque hominum amantissimus; unde ad eum videtur pertinere, quae Sat. VII. pr. leguntur, et ad haec tempora, quae refert Suetonius: *mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est* Iuvenalis, *ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis*, v. c. Sat. VII, 90—92.

IVVENALIS 78.

A. V. C. 872. CHRISTI 119.

Iunio Rustico consule gesta sunt, quae Sat. XV, 29—92. memorantur de Ombitis et Tentyritis.

IVVENALIS 79.

A. V. C. 873. CHRISTI 120.

Hoc anno Iuvenalis scripsit Satiram XIII. quod ex eius v. 16. et 17. intelligitur.

IVVENALIS 80.

A. V. C. 874. CHRISTI 121.

Satira XV. hoc forte anno scripta, non superiore; nam si tam recens factum esset, quod in ea narratur, poëta, opinor, v. 27. simpliciter dixisset *nuper*, neque adiecisset *consule Iunio.*

Si recte annum V. c. 795. natalem Iuvenalis statuimus, illo hoc anno, quo tum octogenarius fuit, in suspicionem venit, quasi Sat. VII, 90 seq. tempora praesentia figurate notasset, ac statim per honorem militiae Vrbe submotus est et ad praefecturam cohortis in Aegyptum missus, ubi intra brevissimum tempus angore et taedio periit. Cf. sup. ad a. V. c. 795. et 833. De loco exsilii ambigitur. Salmasius putabat, eum fuisse *Sienen*; Io. Malalas vero in Chronogr. T. I. p. 341. cuius verba repetiit Suidas, *Pentapolin* Libyae, h. e. Cyrenaicam (de quo v. Plin. V, 5 pr.), vetus Schol. ad Sat. IV, 38. *Oasa* s. *Oases*, de quibus docte et copiose egit Michaelis nota 54. ad Abulfedae descript. Aegypti p. 21—33. ubi docet, tres Oases et prope maiorem fuisse praesidium Rom., hunc autem esse exsilii locum, e iure Romano et historia ecclesiastica (v. c. de Nestorio) notissimum, in quem, ut in insulas, deportati olim fuerint rei et relegati. Conf. Relandi hist. crit. T. VI. art. XI. et Wessel. ad Hieroclis Συνέκδημον p. 725. 731.

DE

SATIRA ROMANORVM

Accurata huius argumenti et copiosa pertractatio aliena est a consilio nostro, neque paucis absolvi potest verbis ac paginis. Qui eam desiderant, iis consulendi sunt virorum doctorum libri, in quibus omnia, quae huc spectant, quoad per magnam rerum obscuritatem veterumque testimoniorum paucitatem fieri potuit, tam diligenter excussa sunt et subtiliter, ut novis vix curis coniecturisque locus sit relictus. Equidem officio meo satis fecisse mihi videor, si, quae alii tum recte tum copiose praeceperunt, in epitomen redegero et capita adtigero harum rerum, quarum veras notiones mentibus informatas habere multum interest iuventutis, cui potissimum opera mea consulere volui.

Ridendi et cavillandi mos communis est hominibus, quippe qui ipsa natura et hilaritate ad eum invitantur. Hinc idem quoque obtinuit in primis eorum conventibus, in laetissimis iisdemque vetustissimis festis, quae post messem et vindemiam, rusticis laboribus vertentis anni exactis, in honorem deorum ruralium, Cereris potissimum et Bacchi, agebantur. In iis pubes rustica, curis vacua et genio indulgens, non modo diis gratias agere et primitias offerre, sed rudem quoque et cum gesticulatione coniunctum edere solebat cantum. Is primum ad laudes deorum heroumque spectabat, deinde, inter et post epulas, ad dicteria deflectebat salsa versibusque plerumque alternis et incomtis s. extemporalibus (αὐτοσχεδιάσμασι vel αὐτοσχεδίοις ᾄσμασι s. ποιήμασι, *Inpromptus*, *Improvisare*) expressa, quibus agricolae vino pleni et praetereuntes et se invicem lacessebant, animorum remissione et temulentia excusante iocandi et irridendi licentiam. Sensim vero ars adhiberi coepit rusticique homines ad numerum (ῥυθμὸν, μέτρα καὶ ἁρμονίαν) et canere et gesticulari seu saltare discebant. Inde *chorus*, qui principio e Satyris ut plurimum componebatur, ipsaque poësis (θεατρικὴ μουσικὴ) originem duxit. Duplex autem illud canticorum genus paulatim scenicam dra-



maticamque Graecorum artem, et alterum quidem *tragoedias* (τραγῳδίας s. τρυγῳδίας), alterum *comoedias* (κωμῳδίας) peperit. Ex illis praeterea choris Satyrorum, quos priscis temporibus ruricolae, vino gaudioque exsultantes omnique dicacitatis et petulantiae genere risum cientes, agebant, natae sunt *Satyricae* Graecorum *fabulae*, quae, quum argumento tragoediis, compositione comoediis proximae essent, illarum severitatem harum hilaritate temperabant, et non ita multo post Thespidis inventoris tempora in scenicis tragicorum poëtarum certaminibus s. τετραλογίαις, quae tribus festis Bacchicis vel Liberalibus (Διονυσίοις τοῖς ἐν Λίμναις, τοῖς κατ' ἄστυ et τοῖς κατ' ἀγρούς) celebrabantur, trinis tragoediis, ab eodem propositis poëta et argumento fere haud disparibus, eum in finem subiungi solebant, ut, quidquid tristitiae ex illis forte haustum esset, his relaxaretur. Praeter has vero *fabulas tragico-satyricas*, e quibus una tantum, Cyclops Euripidis, integra superest, fuere etiam *comico-satyricae*, non a tragicis, sed comicis scriptae poëtis (nam, quae his tribuuntur dramata satyrica, non tragica fuisse, sed comica, vel ex eo intelligitur, quod quilibet poëta Graecorum non nisi unum poëseos genus tractare et excolere solebat), quae, illis iam deflorescentibus, diu adhuc viguere, sed raro et inscriptionis tantum, non argumenti, ratione habita memorantur, et vel simpl. nominibus Satyrorum insignitae, vel variis titulis designatae, vel communi comoediarum genere comprehensae videntur: unde difficillimum dictu, quae vera comicae Graecorum Satyrices fuerit indoles et quibusnam in rebus a tragica discrepaverit. (1)

(1) Eichstaedt *De Drammate Graecorum* pag. 40—85. coniecturis, non certis quidem, at probabilibus, saltem ingeniosis, ductus, haec inter utrumque satyricae poëseos genus discrimina intercessisse arbitratur: "1.º Tragici poëtae, uti tragoediarum, ita satyricorum quoque dramatum, materiem e cyclo mythico petiere, qui plurimum iis praestabat et commoditatis ad fingendi probabilitatem, et varietatis ad spectatorum delectationem. Quae argumenta licet comici poëtae non prorsus adspernarentur; multi tamen e vita communi maluerunt quotidianaque consuetudine ea repetere; in quo utique diversum sunt a Tragicis consilium secuti. Nimirum a Comoediis scribendis quoniam ad fabulas accesserant satyricas, ad has ita quasi transfudisse videntur Comoediae indolem, ut quum alii maledicendi licentiam ex ea adsumsissent, alii in tragoediarum essent perversa et ad risum composita imitatione occupati, prosemînarentur duae velut familiae, multis ornandae fabulae generibus sociae, in hoc quidem certe aliquantum disiunctae, quod delectationem spectatorum approbationemque *diversa argumenti tractatione* quaererent. Etenim qui in domesticis argu-

In his Graecorum fabulis satyricis, praecipue comicorum poëtarum, et comoediis, antiqua in primis et media, harumque

mentis habitarunt, priscae Comoediae os dicacitatemque aemulati, dicteriis in populares coniiciendis risum excitare voluerunt. Contra qui ad mythicum se orbem contulerant, non tam id unice et inprimis animo videntur intendisse, quod perficere Tragici studebant, ut actionis quadam et orationis ridicula commixtione spectatorum hilararent animos et Satyrorum protervitate delectarent, quam hoc, ut tragoedias turpicula imitatione deformarent, earum et argumenta, iuvante mythorum varietate, ad ludum et iocum converterent et personas populo deridendas proponerent. Quamvis enim media, quam vocant, Comoedia hanc sibi provinciam tanquam propriam vindicavisset; comica tamen Satyrice eam et crebrius invasit, et obtinuit diutius. — Comica Satyrice, quod e Romanorum Atellanis, eius imitatricibus, concluditur, aeque ac tragica, priscam quidem retinuit adornationis simplicitatem, ita ut fabulae nec implicatae essent, nec valde productae; sed in notandis civibus licentia ei dissimilis fuit. Haec enim pristinam maledicendi libidinem etsi non exuit, tamen temperavit. Ista vero ratio omnis populares cavillandi in Attica scena transmissa est ad Comicos, — quibus proprium hoc puto fuisse, ut non solum aequalium mores et instituta carpendi malevolam libertatem adsumerent, sed omnis generis scurrilitatem et licentiam amplexarentur. Equidem Tragicos dixerim, severitati aptiores, virilem sapientiam ac sententiarum gravitatem Satyrorum iuvenili hilaritate temperasse; Comicos animo ad irridendum nato, ad solutissimas descendisse iocationes ac subabsurda quaevis et ridicula versibus effutiisse. Quippe illi delectationem spectatorum cum utilitate quadam copulabant; hi, plebis tantummodo favori velificati, adhibere animis voluptatem eosque dare iucunditati volebant. — 2.° Tragici poëtae, antiquae retinentissimi simplicitatis, Satyrorum saltantes choros introduxere, comici aut excluserunt plane, aut, serioribus certe temporibus, vicem eorum et munus irrisionis causa ad alios detulerunt. Quos enim superstitio in Bacchi quoddam quasi satellitium adsciverat, Sileni Satyrorumque chori, quum rudi agricolarum imitatione repraesentati primordia dedissent istis fabulis, inter caetera Dionysiorum solemnia celebratis: Tragici paene necessariam iudicaverunt hanc Satyrorum inductionem, et antiquitatis satis longa consuetudine probatam, et ad relaxandos animos, tragicarum forte rerum atrocitate paulo affectos vehementius, mire quam accommodatam. Limata subinde haec ratio arte poëtarum, accepit aliquam suavitatis velut accessionem, quae perseverantiam eius retinendae afferret. Longe alia fuit in dispari consilio Comicorum ratio, qui iocularibus fundendis ita peragrabant per animos hominum, ita sensus mentesque permulcebant, ut opus non esset isto novae et aliunde arcessitae choragio delectationis. Multi quoque Comici res, e vita communi petitas, adeoque non eas consectati sunt, in quarum communionem quamdam Satyri possent probabiliter adduci: ut taceam, neque de choris Satyrorum in fabulis comico-satyricis, ne-

choris (quorum cantus, cum musica et saltatione coniuncti, non sermones, cum actione potissimum copulati, mediae comoediae temporibus conticuere, postquam publica lege non chorus, sed maledica eius licentia sublata erat, et ingentes sumtus, in illius apparatum impendendos, ultra suppeditare recusaverant ii, quos ille saepius acerbiusque perstrinxerat; de quo v. cel. Eichstaedt de dram. Graec. comico-sat. p. 73.) maxime dominabatur intemperans illa cavillandi civiumque deridendorum libido. Eamdem vero spirabant non modo *dramatica* Graecorum carmina, sed etiam *epica* (v. c. illud, quod inscriptum est Μαργίτης et perperam Homero tribuitur, de quo v. Fabric. Bibl. Graec. Vol. I. p. 383. ed Harles.), *lyrica* vel *iambica* (ut Archilochi, quem, ut verbis Horat. Ep. ad Pis. v. 79. utar, *proprio rabies*

que de choris earum in universum quidquam relatum inveoiri. — Quemadmodum vero poëtae comico-satyrici, qui contumeliae et irrisionis causa fabulosa sumserant a Tragicis argumenta, heroibus prisci aevi mores tribuere inhonestos, et ridiculum habitum adfingere solebant, qui Satyrorum paene turpitudinem exaequaret; ita in fabulis, ad domesticae vitae imaginem adumbratis, si civi cuipiam illudere vellent atque incommodare, haec videtur non raro fraus versata esse, ut eum Satyri personam et mores gestu inberent atque habitu referre. Quod quidem poëtarum institutum mediae in primis ac novae Comoediae temporibus mirifice iuvabatur insigni illa persooarum seu larvarum, quibus instructi histriones prodibant, et varietate et deformitate. Quo magis autem Satyri tum corporis vitiis, tum lascivie omnique dedecore erant infames; eo amplior suppetebat poëtis ad iocandum maledicendumque materies, eoque ducendum erat ignomioiosius, Satyrorum habitu iodutum exagitari in theatro. — 3.° Aliud discrimen cernebatur in loco actionis deligendo scenaque dramatis instruenda. Nam quum tragici poëtae, priscum morem secuti, Silenis ac Satyris primarias quasdam partes detulissent: consentaneum, uti erat, ita putabant, scenam ruri aperire eamque ornare arboribus, speluncis, montibus reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis, quouiam Bacchus eiusque socii silvestres colere regiones ae frequentare credebantur. Maior erat hae in re libertas Comicis permissa. Ili enim ut, Satyris expulsis, vetere et tradito quasi ornatu denudarant Satyricen, nihil obstabat, quo minus actionem fabulae ex agris io urbem deducerent scenamque ad comoediae similitudinem compararent. — 4.° Quum tragica Satyrice plausum esset consecuta celebritatemque, non sustinebat in scenam prodire, nisi ad publicam communitatem cum tragoediis consociata. Comica solam sese et sine praeeunte comite offerre populo nihil verecundabatur. Tametsi enim comicis poëtis aeque ac tragicis artis quaedam erant certamina; ea tamen, ob diversum poëtarum consilium, non eodem fuerunt instructu fabularum comitatuque ornata."

armavit iambo, (1) et Hipponactis, inventoris versus iambici scazontis, qui amaritudine carminum quosdam ad laqueum compulisse credebatur, teste Plin. 36, 5. quod etiam de Archilocho praeter alios tradit Horat. Epod. VI, 13. et Epistola I, 19, 25.), et *didactica*, ut Simonidis poëma de mulierum moribus et *Silli*, Σίλλοι s. Σιλλοί, carmina maledica, non a dicacibus Σιλήνοις, sed a σίλλειν vel σιλλαίνειν, per ludibrium oculos agitare et dicteriis aliquem proscindere, sic dicta (unde etiam σιλλός scomma et dicacitas vocatur), quali Timon Phliasius Ptolemaei Philadelphi aetate et Xenophanes Lesbius heroicis, iambicis et elegiacis versibus scripsere: nam plurium Sillographorum vix nomina innotuere, et horum quoque pauci tantum versus restant, a Diogene Laërtio Sextoque Empirico memorati et ab Henr. Stephano (in Poësi philos.), Langheinrich (in Diss. II. de Timone Lips. 1720. 1721), Casaubono (de Sat. Rom. p. 222. 223.) et Brunckio (in Anal. V. P. T. II. p. 67 seq.) collecti, quibus philosophi cuiuscumque generis dicaciter illuduntur et a Timone graves saepe et magnificae Homeri locutiones, ut in παρῳδίαις fit, transferuntur ad res ludicras. Quae Xenophanes praeterea γέγραφε ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους (forte ἐλεγείαις et ἰάμβοις) καθ' Ησιόδου καὶ Ομήρου, ἐπικόπτων (f. ἐπισκώπτων) αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα, si Laërtio IX, 18 extr. fides habenda, interciderunt.

A Graecorum carminibus maledicis iam progrediamur ad Romana et simul a Graecae poëseos primordiis et incrementis, quae paucis delibavimus, ad similem, neque a Graecorum imitatione (quae tunc demum coepit, quum ingenium arte formaretur), sed a natura profectam originem lentumque progressum Romanae poëtices. Ex locis classicis Virg. Ge. II, 385 seq. et Horat. Epist. II, 1, 139—167. intelligitur, priscis temporibus ab agricolis Latii Liberalia et festos dies post messem conditam eodem fere modo, quo a Graecis, eademque ludicra per pagos acta esse; eos in deorum ruralium honorem cecinisse hymnos et non modo oscilla sive larvas e corticibus factas arboribus appendisse, ut his Bacchi imaginibus vento quaquaversus agitatis maxima agrorum ubertas diffunderetur, sed iis quoque ora obduxisse sua; eosdemque ita personatos et vino graves praetereuntibus sibique

(1) Ex his verbis male quidam colligunt, Archilocum fuisse inventorem Iambi s. iambici versus, qui iam multo ante ad dicteria adhibitus iisque prorius fuit; unde ἰαμβίζειν *conviciari*, et ἴαμβος *carmen maledicum*.

invicem ingessisse dicteria et probra, versibus ut plurimum inconditis, amoebaeis et extemporalibus (αὐτοσχεδίοις ᾄσμασι s. ποιήμασι) temere ac sine arte adumbrata. Tales versus erant *Saturnii*, h. e. prisci ac rudes, et *Fescennini*, a Fescennia, Etruriae oppido, sic dicti, obscoenis illi procacibusque iocis pleni, nec ullis vel honesti et decori, vel metri legibus adstricti, quamvis rhythmi non plane expertes, quos, ut verba Ennii mea faciam,

> *olim Fauni vatesque canebant,*
> *Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,*
> *Nec dicti studiosus erat.*

Horum versuum frequens fuit et diuturnus Romae usus, tum in festis, tum in aliis solennibus, praecipue nuptiarum et triumphorum,

> *Libertasque recurrentes accepta per annos*
> *Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam*
> *In rabiem verti coepit iocus et per honestas*
> *Ire domos impune minax. Doluere cruento*
> *Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura*
> *Conditione super communi: quin etiam lex*
> *Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam*
> *Describi. Vertere modum, formidine fustis*
> *Ad bene dicendum delectandumque redacti.*

(Horat. Epist. II, 1, 146 seq.) Haec est lex illa XII Tabularum et quidem Tab. VII. *Si qui pipulo* (publice, vel convicio) *occentasit* (al. actitavisset) *carmenve condisit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito.*

Eorumdem versuum usus *Saturam* s. *Satiram* Romanorum, et primum quidem *dramaticam*, deinde vero *didacticam* quoque procreavit. Illud docet insignis de origine rei scenicae locus Livii lib. VII. c. 2. quem apponere liceat et paucis adnotationibus illustrare. *Et hoc et insequenti anno* (a. V. c. CCCXC.), *C. Sulpicio Petico et C. Licinio Stolone consulibus, pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit* (primum a. V. c. CCCLVI. et eamdem ob causam factum esse, tradit idem Liv. V, 13.)*: et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat), inter alia caelestis irae placamina insti-*

tuti dicuntur. Ceterum parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. (1) *Imitari deinde eos iuventus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus* (simul ad tibiam alternis canentes versus Saturnios et Fescenninos, actionemque adiungentes saltationi vel gesticulationi), *coepere; nec absoni a voce motus erant* (non a cantu abhorrebant gestus). *Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere* (2) *ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis saturas,* (3) *de-*

(1) Etrusci *ludiones* vel *histriones*, h. e. Mimi (quae propria illorum verborum vis est, et hinc translata ad omnes fabularum actores, qui simul erant Mimi), ad tibicinis tantum *modos* (numeros, ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν) *saltabant*, h. e. gesticulabantur vel mimum agebant (nam saltatio veterum magis fere manuum, quam pedum motu artificioso continebatur) *sine ullo carmine*, cantu et declamatione, *sine actu*, dramatica et mimica repraesentatione *carminum*, eorum, quae canenda, declamanda et *imitanda*, scita imitatione aptisque gestibus exprimenda erant: nam *carmen* h. l. est, quidquid canitur et declamatur, quo sensu etiam mox *suorum carminum*, dramatum, *actor* dicitur. Hoc est primum ac rude mimorum genus, sine verbis actum: postea enim iis propria fuit coniunctio sermonis cum gesticulatione, vel actio ad modos et tibiam facta; quam mox saltationi adiunxisse dicitur *iuventus* Romana. Qua in re potissimum *Mimi* differebant a *Pantomimis*, qui non sermone, sed sola gesticulatione utebantur, ac praeterea exquisitiori cum arte et psallebant et saltabant, nec nisi Augusti aevo celebritatem consequnti videntur. Conf. Ziegler de Mimis Romanorum, Gott. 1788.

(2) Legendum crediderim: *Fescennino versui similem*, i. e. *compositum temere*, nisi malis: *vel compositum temere ac rudem*.

(3) Haec est prisca Romanorum *Satura* s. *Satira*, eaque dramatica *(Farce, Mischspiel)*, e Saturniis et Fescenninis versibus enata, vel ad eorum similitudinem efficta (nam Livius mox dicit, his *versibus ridicula fuisse intexta*, quae *iuventus* Romana *inter se more antiquo iactitaverit*) illisque substituta in scenis, sed minus *rudis* vel *temere composita* et *impleta modis*, ad modulos certos legesque rhythmi descripta et quodam saltationis actionisque artificio constans, *cantu iam* ad tibiarum modos sonumque moderato. Erat quidem fabula, sed rudis adhuc et incondita, neque unius ac certi alicuius, sed mixti argumenti; a cuius etiam varietate, aeque ac posterior et didactica Romanorum *Satira*, nomen traxit, quod infra monebimus. Eaedem *Saturae* postea vocabantur *Exodia*. Cur et quando hoc factum sit, mox docebit nos Livius.

scripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere (1) *(idem scilicet, id quod omnes* (2) *tum erant, suorum carminum actor), dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset,* (3) *venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat.* (4) *Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.* (5) *Postquam lege hac fabularum ab risu*

(1) L. aut M. *Livius* Andronicus, Graecus, M. Livii Salinatoris libertus, a. V. c. DXIV. C. Claudio Appii Claudii Caeci filio et M. Tuditano Coss. anno ante natum Ennium et post confectum bellum Punicum I. (v. Cic. Brut. 18. et Tusc. Q. I, 1. Gell. XVII, 21. et ad hh. ll. Intpp.) *ab Saturis*, post Saturas, quae diu in scenis viguerant, *ausus est primus fabulas* (ex Graeco in latinum sermonem versas) *serere*, construere, *argumento*, h. e. scribere, docere et agere fabulas unius eiusdemque argumenti, quae partibus inter se connexis et aptis constarent, non, ut Saturae, confunderent et miscerent res plane diversas ac varias. Distinctius haec expressit Valer. Max. II, 4, 4. ubi Livium exscripsit: *A Saturis primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit.*

(2) *omnes* scil. fabularum auctores, vel poëtae dramatici. Ellipsis dura est, et verba quoque, parenthesi inclusa, videntur loco suo mota esse, atque post voc. *revocatus* vel *obtudisset* ponenda.

(3) *vocem obtudisset*, saepius cantando vocem fecisset infirmiorem et raucam.

(4) Livius Andronicus, quum raucus esset factus, puerum accivit, qui ad modos tibiae caneret s. declamaret, ipse vero *canticum egit motu* scil. manuum et totius corporis, h. e. soliloquium, quod a puero canebatur, histrionum more expressit gesticulatione (quo sensu etiam *canticum agere* dixit Suet. Galb. 13. ubi v. Ernesti), et quidem multo acriori ac vehementiori, quum non simul canere vocemque intendere opus esset. Ita quoque Valer. Max. II, 4, 4. haec verba interpretatus est: *Adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit. — Canticum* Romani vocabant μονολογίαν vel soliloquium, quod scil. ad modos tibiae canitur aut recitatur; *diverbia* autem dialogum s. colloquia duorum pluriumve actorum. Diomedes III. p. 488. collect. Putsch. *Membra*, inquit, *comoediarum tria sunt, diverbium, canticum, chorus. Diverbia sunt eae comoediarum partes, in quibus diversorum personae versantur. In canticis autem una tantum debet esse persona; aut, si duae fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat. In choris vero numerus personarum definitus non est.*

(5) Interpretes tantum non omnes iunxisse verba *ad manum histrionibus*, eaque pro *ad manum histrionum* posita accepisse videntur. Gronovius et Rambach. ad Casaub. p. 183 exponunt: tacitae histrionis gesticulationi,

ac soluto ioco res avocabatur et ludus in artem paulatim verterat; iuventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit: (1) *quae inde exodia postea appellata* (2) *consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant.* In his fabulis, ab *Atella*, Oscorum in Campania oppido, sic dictis (unde actores earum Osce etiam loquebantur), sermo quidem rudis erat et impolitus, sed facetus potius et ridiculus, quam obscoenus et lascivus, argumentum quoque castum et sententiae

quae saltando fiebat et loquaci manu, cantando respondere et pronunciare modulate, quae histrio agat. Turnebus in Animadv. III, 23 et Ferrarius. histriones coeperunt *ad manum*, in promtu, in praesentia (*zur Seite*), habere, qui cantaret, et quo pronunciante ipsi saltarent. Koenig: Histriones dicebantur, qui saltabant et gesticulabantur, quorum voci etiam *diverbia* (dialogus, *das, was gesprochen wurde*) relicta erant, *cantica* autem (soliloquia) relata ad tragoedos, qui ad histrionum gestus accommodate canebant. Ernesti: *Cantare ad manum* dicitur de histrionibus, quum recitantes s. cantantes illud ipsum exprimunt, quod ab saltatoribus gesticulando significatur. Salmasius ad Vopisc. Carin. 19. emendabat *ad manum saltari*, χειρονομεῖν. — Equidem verba *ad manum cantare* eodem sensu capio, quo Livius modo dixerat *canticum agere motu*, ut sententia h. l. sit: Inde ab histrionibus cantica gesticulatione, sola vero diverbia voce s. canendo exprimi coepta.

(1) Bene haec παραφράζει Casaubonus p. 182: » Fabularum compositione inventa, refrixit initio Satira; verum hoc tantisper, dum mos obtinuit, ut ipsi poëtae suas in scena fabulas agerent: ubi vero agendi partes ad histriones sunt translatae, retulit in scenam ipsa iuventus Romana risus iocosque priorum Satirarum; non quidem, ut fabulas excluderent, sed ut fabulis ipsis, praesertim autem Atellanis, adiungerentur sive insererentur. »

(2) Satyrae quum fabulis adiungerentur, *Exodia* (*Intermezzi, Nachspiele*) dici coepere. Cf. Iuven. III, 175. VI, 71. Suet. Tiber. 45. et Domit. 10. Casaub. p. 184 seq. » Vt Satyricae, inquit, tragicis dramatis adiectae sunt a Graecis ad temperandam tragoediae moestitiam; sic Satiras sive Exodia, simillimam ob causam post tragoedias produci solita, memoriae quidam prodiderunt. Scholiastes Iuvenal. III, 175. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrymarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.* — *Exodium* ita dictum, vel quia singulorum diverbiorum fini subiiciebatur, vel quia extremae fabulae semel. Sic inter chorica mele Graecorum dramatum,

purae atque honestae: unde Valer. Max. II, 4, 4. dicit, *hoc genus delectationis Italica severitate* (1) *temperatum ideoque vacuum nota* fuisse. Videntur illae prorsus fere congruisse fabulis Graecorum comico-satyricis, tum in argumenti delectu et tractatione, in petulantia, dicacitate et audacia dictionis, in actorum et saltationis indole et in ipsa actione, tum in eo, quod seorsum, nec adiunctae tragoediis, exhiberentur. (v. Eichstaedt de dram. Graec. com. sat. p. 53. 64. 65. 75 seq. et 84. ubi etiam de noto Diomedis loco lib. III. p. 487. ed. Putsch. ita disputat: « Diomedes Atellanae Romanae a Graecorum Satyris distantiam sic aperuit, utriusque ut Satyrices, a Graecis tractatae, speciem et formam quodam modo indicasse videatur. *Latina*, inquit, *Atellana a Graeca Satyrica differt: quod in Satyrica* fere *Satyrorum personae inducuntur, aut si quae sunt ridiculae, similes Satyris, Autolycus, Busiris; in Atellana Oscae personae, ut Maccus.* Quo in loco duo se nobis offerunt digna observatu, alterum, quod Satyrorum inductio ab Atellanis plane aliena iudicatur, alterum, quod eadem Graecorum satyricis fabulis non sine exceptione quadam tribuitur. At vero si fabulas unice respiciamus, a tragicis poëtis profectas, ignoraverunt sane hanc exceptionem Graeci. Diomedem itaque arbitror fabulas comico-satyricas simul mente descriptioneque comprehendisse et, sicuti tragicis Satyros, ita his Autolycum et Busirin adscripsisse. ») Conf. tamen extrema huius Comment. verba.

Praeter illa, quae breviter memoravi, carmina Romanorum maledica, etiam *iambica* ab iis Graecorum exemplo et imitatione scripta, sed sero demum, etsi iam a Catullo, Bibaculo et aliis ante Horatium, qui tamen illorum nomina gloriamque obscuravit, et hinc gloriatur in Epist. I, 19, 23—34. *Parios ego primus Iambos Ostendi Latio* (in Epodis et Odis quibusdam contumeliosis), *numeros animosque sequutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben* cet. Conf. Horat. Od. III, 30, 13. 14. Propert. III, 1, 3, 4. et ad hh. ll. Intpp. Quintilianus (Inst. Or X, 1. § 96.) *Iambus*, inquit, *non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus; a quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio: quamquam illi* (Catullo) *epodos intervenire* (h. e. ex interpretatione Gesneri, ἐπῳδούς,

quod ab introeuntibus in scenam cantabatur, εἰσόδιον dicebant; quod ab exeuntibus, ἐξόδιον. »

(1) Hac *Italica severitate* designari Satiram, Atellanis coniunctam, non persuasit nobis Casaub. p. 184.

versiculos breviores longioribus, dimetros trimetris, *accinentes* quasi s. *succinentes*, i. e. subiunctos, ut in XI prioribus Horatii Epodis) *non reperiatur.*

Ad *Satiram* Romanorum δραματικὴν et διαλογικὴν, quae antiquissima fuit et tum ante Livii Andronici tempora, tum *Exodiorum* nomine post illa diu viguit (v. pag. xxvii, not. 3) accessit deinde *Satira* διδακτικὴ et διηγηματικὴ, et quidem duplicis generis, *Enniana* et *Luciliana;* nam *Varroniana*, de qua infra disputandi locus erit, commode ad priorem referri potest. Q. Ennius, poëta celeberrimus, Graecis literis iam aliquantum imbutus et Scipioni Africano maiori familiarissimus, qui natus est Rudiis, opp. Calabriae prope Tarentum sinumque Tarentinum, (1) et vixit ab a. V. c. DXV ad DLXXXV, non modo carminis Romanorum heroici poëtarumque epicorum parens fuit, sed etiam Horat. Sat. I, 10, 66. *rudis* (h. e. novi et adhuc impoliti) *et Graecis intacti carminis* (Satirae didacticae) *auctor* dicitur. (2) Quot Satiras scripserit, non constat: liber IV a Porphyrione, et VI a Donato ad Terent. Phorm. II, 2, 25. laudatur (nisi librariorum incuria numeri sunt confusi); et singuli libri singulas comprehendisse videntur Satiras, unde illi plerumque, non hac memorantur. Earum non nisi perpaucae inveniuntur reliquiae, quas e Gell. II, 29. XVIII, 2. Servio ad Virg. Aen. XII, 121. Nonio (in vocc. *obstringillare*, *politiones* et *criminat*) aliisque Grammaticis collegere Columna, Merula, Hesselius et Casaub. de Sat. Rom. p. 193. 194. ubi nota exhibet duo maiora fragmenta, sed fontem, unde hausta sint, non indicat. Alterum astrologos somniorumque interpretes notat, et Iuvenalis forte menti in Sat. VI, 511—591. obversabatur: alterum venustam libidinosae mulieris descriptionem continet. Illud legitur ap. Cic. Div. I, 58. et ibi Ennio certe tribuitur: utrumque vero e Satiris potius, quam fabulis huius poëtae depromtum esse crediderim. Ceterum de indole Satirarum Ennii ab antiquis scriptoribus haud scio an quidquam memoriae proditum sit, nisi quod Quintilianus Inst. Or. IX, 2, 36. tradit, Mortem ac Vitam contendentes ab eo inductas esse, et aliis laudatur Asotus

(1) Inde *Rudius homo* dicitur Cic. Arch. 10. *Rudinus* Cic. Or. III, 42 extr. et Auson. Idyll. XII, 17. *Tarentinus* Hieron. Chron. Euseb. Olymp. 135.

(2) Casaubonus p. 197. ingeniose suspicatur legendum esse: *Quam Rudius, Graecis intacti carminis auctor.*

s. Sotadicus, titulus Satirae Ennianae, in qua luxuriosi vel dissoluti hominis imaginem adumbrasse videtur. Ex his tamen indiciis et ex ipsis fragmentis huius poëtae probabili iudicio colligitur, Satiras eius fuisse *varios* carminum lusus, magna et metri et argumenti diversitate conspicuos et non plane quidem respuentes dialogi formam, sed animandis tantum orationis coloribus adhibentes, neque comicum derisum, sed risum potius satiricum sectantes in rebus, e vita communi petitis et ad utilitatem communem moresque hominum spectantibus.

Ab hac *Satira Enniana* differebat *Luciliana*, cuius auctor C. Lucilius, Eques Romanus magnusque Pompeii Magni avunculus, qui a patria, Suessa Aurunca, opp. Campaniae, Iuven. I, 20. *magnus Auruncae alumnus* dicitur, vixit ab a. V. c. DCVI ad DCLI et Satirarum libros XXX (vel totidem forsan Satiras) scripsit, quarum fragmenta tantum, sed non pauca, supersunt. (1) Is enim primum heroico plerumque metro usus est, et raro tantum iambico vel trochaico. Deinde tum facetior et urbanior, tum limatior fuit, quam Ennius et poëtarum seniorum turba. (2) Denique Satira eius ab Enniana discrepat et in materia et in forma, sive in argumento et in ratione consilioque, quod in eo tractando sequutus est: non enim saepe, ut Ennius, sed

(1) Collecta sunt ea primum a Stephanis, deinde a Fr. Dousa Lugd. Bat. 1597. 4. quam editionem recudendam curarunt Vulpius Patavii 1739. Maittarius in Corp. Lat. Poët., Havercamp. ad calcem Censorini Lugd. Bat. 1743. 8. et editores Bipont. Iuven. et Persii.

(2) v. Horat. Sat. I, 4, 7. 8 et 10; 64 seq. Cicer. Or. I, 16. II, 6. et ad Div. IX, 15. ubi *antiqua* eius et *vernacula festivitas* laudatur, quae videtur praecipua fuisse causa, quare Lucilius eiusque Satira Romanis tam diu in deliciis fuerit. Nam idem Horatius ll. ll. Sat. I, 4. 8 seq. et 10, 1—30. 46—71. contendit, eum fuisse *durum componere versus — pigrum ferre recte scribendi laborem — eum fluere lutulentum, saepe ferentem plura tollenda relinquendis, —* qui *detereret sibi multa, si foret hoc nostrum fato delatus in aevum*, et qui *non magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis miscuit.* Hoc iudicium improbat Quintilianus Inst. Or. X, 1, 93. *Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui* (Sat. I, 4, 11.) » *Lucilium fluere lutulentum et, esse aliquid, quod tollere possis,* » *putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius et ad notandos hominum mores praecipuus.* Enimvero Horatius easdem ei laudes tribuit, et quae vituperat, recte vituperasse videtur, immo excusare, partem vitiorum tempori imputans.

unice ac semper id egit, ut mores hominum, et quidem acerbissime, notaret, nec vitia tantum, sed personas quoque, iis contaminatas, nominatim et summa libertate, nulla dignitatis ratione habita, perstringeret; (1) quumque veteris Graecorum comoediae studio ingenium eius formatum huiusque veluti succo nutritum esset, illius non modo sermonem quotidianum ac paene pedestrem, qui satiris inde proprius fuit (v. Horat. Epist. I, 4, 1. et Sat. I, 4, 39—62. II, 6, 17.) sed venenatos etiam sales et dicacitatem aemulatus est. Et haec est illa *libertas verborum*, quae ei a Cic. ad Div. XII, 16. et aliis tribuitur; hic est *styli nasus* (dicacitas) *ab eo primum conditus* (v. Plin. Praef. Hist. Nat.) et singularis ille *character Lucilianus* (Varr. R. R. III, 2, 17.) et Satirae Lucilianae, qui tam ex fragmentis eius, quam ex veterum scriptorum testimoniis (inpr. Horat. Sat. I, 4, 1—8. I, 10, 1—30. 43—71. II, 1, 62—70. Pers I, 114 seq. et Iuvenal. I, 152 seq. 165 seq.) cognoscitur. Diomedes lib. III. p. 482. ed. Putsch. *Satira*, inquit, *est carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum: quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.* Quintilianus Inst. Or. X, 1, 93. *Satira tota nostra est: in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius.* Evanthius, seu quisquis auctor fuit libelli de Trag. et Com. (in Thes. Gronov. T. VIII. et in editt. Terent. Westerhov. T. I. p. LV. Lindenbrog. p. 27. et Zeuniana) *Quum poëtae abuti licentius stylo* (in versibus Fescenninis) *et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege* (in XII Tabulis) *lata siluere. Et hinc deinde aliud genus fabulae, id est Satira, sumsit exordium:* (Fescenninis versibus in scena successit Satura prisca et dramatica) (2) *quae a Satyris, quos illotos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Haec, quae Satira dicitur* (et Exodia), *eiusmodi fuit, ut in ea*

(1) Dousa (in nota p. 185 ed. Havercamp.) monet, in pauculis fragmentis exagitari XVI clarissimos Romanos, et mortuos quoque poëtas, Euripidem, Ennium, Caecilium, Pacuvium, Accium.

(2) Ita obscurum grammatici locum intelligo, quem alio sensu cepit Casaub. p. 23. alio Blankenb. ad Sulzer. T. IV. p. 126. 138. alio Eichstaedt p. 56. 57. et alio denique Manso p. 410. 411.

quamvis duro et veluti agresti ioco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comoediae (Satira dramatica) *multis obfuit poëtis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse genus stylo carminis; quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poësin inde faceret* (singulare carminum genus, quod non ageretur in scena, sed legeretur, non dramaticum esset, sed didacticum) *id est, unius carminis plures libros.*

Satira itaque a Lucilio inventa, et praecipue ab Horatio, Persio ac Iuvenale, sed ab unoquoque diversa ratione exculta, est illud carminum genus, quod vivis coloribus imaginibusque mores hominum adumbrare, et tum virtutem praeceptis, quorum gravitas comitate plerumque ac festivitate condita est, commeodare, tum errores potissimum ac vitia, luculentis exemplis salibusque modo urbanis modo nigris, vel risui vel invidiae exponere, adeoque multiplici poëseos, dramaticae potissimum, arte argumenta e vita quotidiana depromta tractare, et sic lectores tam delectare, quam docere et emendare conatur. Vtrum haec Satira sit iustum poëma nec ne, in quaestionem vocarunt Horat. Sat. I, 4, 39—64. Wieland ad h. l. not. 7. Casaub. de Sat. Rom. II, 5. (ubi conf. Rambach) et alii, qui in poëseos naturam diligentius inquisivere, inpr. Astius de Platonis Phaedro p. 44 seq.

Iam si quaeritur, num et nomen et ipsum carminis genus, sive alterutrum, Romanis proprium fuerit, an a Graecis, ut quidquid ad artes scientiasque spectat, petitum et satiricae eorum poësi cognatum; Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. Illud propugnarunt in primis Ios. Scaliger, Casaubonus, Spanhemius, Rambachius, Rigaltius, Dacerius, Manso et Köenig; hoc Iul. Caes. Scaliger, (1) Dan. Heinsius, Vulpius, Flögelius, Blankenburg et Conz. Hinc etiam nomen varie scribitur;

(1) In Art. poët. lib. I. c. 12. *Idcirco falluntur*, inquit, *qui putant, Satyram esse Latinam totum: a Graecis enim et inchoata et perfecta primum, a Latinis deinde accepta, atque extra scenam exculta. Quamobrem non a satura vel lege vel lance dicta est, ut frustra et temere satagunt grammatici: quin has a Satyris dictas puto. Cum lancibus enim prodibant et canistellis pomorum omni genere plenis, quibus Nymphas allicerent.* Fuere etiam Grammatici, qui *Satiram* vel potius *Satyram* a *Satyris* dictam putarent, v. c. Evanthius in loco supra adscripto, et Diomedes, qui mox a nobis laudabitur, sed dubitanter scripsit.

ab his *Satyra*, ab illis vero; quos sequutus sum, *Satura* vel *Satira*; nam utraque scriptura in plerisque Satiricorum codicibus MSS. reperitur, et nihil differt inter eas, ut inter *optumus* et *optimus*, *maxumus* et *maximus* al. *Saturam* nonnulli dictam existimant a *saturitate* sive abundantia (voce et significatione a Graecis desumta, quod colligitur ex Hesychio, qui docet: σατορας s. σατηορους esse σκαφας βοτρυων, vasa racemorum plena, παρα Λακωσι), alii a nomine *satur* (v. c. Isidorus, qui facete monet: *aut a saturis nomen Saturae dictum*, *qui multa habent*; *vel ob ea*, *quae per vinolentiam* (libere et mordaciter) *dicunt*, *ut ebrii*, quam posteriorem rationem distinctius exponit Porphyrion) plerique autem a rebus *saturis*, h. e. multiplicibus et miscellis (v. c. *gestu* vel *lance satura*, variis primitiis referta et oblata diis ruralibus, vel *lege satura*, multa capita variasve res comprehendente) (1) adeoque a mixtura variarum

(1) Casaub. p. 250—255. " Erat mos antiquorum, quando Cereri, Baccho aut aliis diis agri annua vota solverent pro laeto frugum fructuumque proventu, ut primitias rerum collectarum in lancem congestas cuique deo pro ratione eius cultus offerrent. In ritibus Graecorum huiusmodi sacra miscella vocantur παγκαρπος θυσία et πανσπερμία, aut πυανία vel πυανεψία, quum leguminibus fiebat sacrum; item εἰρεσιώνη. Latini vero lances ita refertas variarum rerum copia *lances saturas*, vel simpl. *saturas* appellarunt. *Satur* enim pro pleno et cui nihil deesset usurpabant: sic *color satur*, cui ad perfectionem nihil deest, quando lana colorem δευσοποιόν imbibit. A similitudine huius lancis etiam aliarum rerum mixturas appellarunt *saturas*. Verrius Flaccus: *Satura cibi genus*, *ex variis rebus conditum*. Hoc quoque uberius Diomedes. *Quoddam*, inquit, *genus farciminis multis rebus refertum Saturam dicit Varro vocitatum. Est autem hoc positum in II libro Plautinarum quaestionum. Satura est*, *ubi uva passa et polenta et nuclei pinei ex mulso conspersi: ad haec alii addunt et de malo punico grana.* Sic et voces πανσπερμία et πάγκαρπος quamlibet mixtionem e multis diversisque rebus ac κυκεῶνα denotant:—et quum in foro leges unica rogatione ferebantur multorum capitum, aut veteres leges interpolabantur adiectione novorum capitum, *saturas* vocabant h. e. miscellas, quomodo a ICtis lex Iulia Papia Poppaea nominatur *miscella*, quia et multa et diversa capita continebat. Hinc natum proverbium, *per saturam legem ferre*, quum raptim, neque viritim dictis sententiis aliquid senatores decernebant; et ut apud Festum loquitur Laelius, *quasi per saturam sententiis exquisitis*. (Cf. Crenii not. ad Casaub. p. 253. 254. VV. DD. ad Sallust. b. Jug. c. 29. et Ernesti clav. Cic. ad leg. Caeciliam Didiam.)— Laudatur etiam Lactant. I, 21. Pescennius Festus in libris *Historiarum per saturam*; hoc est, ut Graeci similes libros inscribere soliti, Ποικίλης ἱστορίας, vel Αμαλθείας κέρας, aut Τῶν σποράδην

rerum, vel argumenti, vel metrorum, vel sermonis poëtici et pedestris. Quam etymologiam omnibus Satirae Romanae speciebus (antiquissimae, Ennianae, Lucilianae et Varronianae) (1) congruere dicunt, eamque firmant tum verbis Iuven, I, 85. 86:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli;

tum testimoniis veterum Grammaticorum; v. c. Diomedis lib. III. p. 483. collect. Putsch. *Satira dicta sive a Satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a Satyris proferuntur et fiunt; sive a Satura lance, quae referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur; vel a copia et saturitate rei Satura vocabatur: cuius generis lancium et Virgil. in Georg. II*, 194. *et* 394. *meminit. Alii dictam putant a lege satura, quae uno rogatu multa simul comprehendat, ut scilicet et Satira carmina multa simul et poëmata comprehenduntur: cuius legis Lucilius meminit in primo: Per Saturam Aedilem factum, qui legibu' solvat.* Isidor. Orig. V, 6. *Satura vero lex est, quae de pluribus rebus simul loquitur, dicta a copia rerum et quasi a satietate, unde et Satiram scribere est, poëmata varia condere, ut Horatii, Iuvenalis et Persii.* Conf. Festus in voc. *Satura*, et Acron vel Porphyr. ad Horat. Sat. I, 1. pr.

Meo qualicumque iudicio omnis quidem res, toties et a tam multis in quaestionem vocata, non magni adeo momenti est, et

λεγομένων, aut denique, Sosipatro interprete, Πανδέκτης ἱστοριῶν. Propius ad vocem *Satura* accesserunt, qui libros suos Inscripserunt Πίνακας h. e. lances (immo tabulas), vel Πινακίδια. Quarum ἐπιγραφῶν exempla in Praef. Plinii et ap. Sueton. in Aurelio Opilio Grammatico. „ (Cf. Gell. I, 8.)

(1) De Satira Varroniana sermo erit in commentatione seq. De reliquis iam supra egi. Qui vero *Satiram* hinc ita definierunt, ut sit carmen, cuius argumentum farragine vel mixtura diversorum vitiorum contineatur, nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexerunt; quod recte iam explosit D. Heinsius. Omnino autem notandum, Graecis et Romanis non, ut nobis, distinctas fuisse et accuratas diversorum poëseos generum carminumque divisiones, neque ex natura semper cuiusque petitas, sed saepe a metro (unde *Iambi* v. c. dicti) vel aliunde desumtas. Veteres quoque scriptores libros suos plerumque sine titulo in vulgus videntur emisisse, vel de eo non admodum laborasse: et inscriptiones illorum Grammaticis fere debentur. Conf. not. seq.

quemadmodum Casaubonus aliique, qui *Saturam* vel *Satiram* ita definiunt, ut sit carmen, cuius argumentum farragine seu mixtura diversorum vitiorum rerumque contineatur, nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexisse, ita Iul. Scaliger, Dau. Heinsius aliique similitudini vocabulorum *Satyrice*, *Satyri* et *Satyra* nimium tribuisse videri possunt, et quamvis nomen omnino graecae sit originis, tamen *Satura* rectius scribitur, quam *Satyra* et *Satira;* nam veteres Romani Graecum υ ut breve Gallorum *u* pronuntiabant, Grammatici vero substituebant *y*, et indocti, aut qui sibi forte docti videbantur, *i*, v. c. *inclytus* et *inclitus*, *lacryma* et *lacrimae* pro *inclutus* et *lacrumae*, quae vera scriptura iu multis codd. MSS. reperitur. Multo autem probabilius est, nou modo hoc carminum genus, de quo quaeritur, sed etiam nomeu eius, saltem huius usum, Romanis proprium fuisse, quam a Graecia profectum. Nam primum omnem fere dubitationem eximunt testimonia Horatii (Sat. I, 10. 66. ubi Ennius *rudis et Graecis intacti carminis auctor* dicitur) et Quintiliani (Inst. Or. X, 1, 93. *Satira tota nostra est*, *in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius*) quae profecto longe digniora sunt fide, quam incertae recentiorum Criticorum coniecturae. Deinde illa carpendi alios pravosque hominum mores ridendi ratio neque a Graecis verbo aliquo, a Satyris petito, insignita est (nam ipsum σατυρίζειν lasciviam potius petulantem, quam mordacitatem, significat, et Satyri quoque salaces quidem vel petulautes et saltatores, non autem dicaces fingi solebant), neque singulare aliquod, a Graecis excultum, poëseos carminumque genus umquam constituit, ad quod illa, quam supra dedi, Ennianae et potissimum Lucilianae Satirae descriptio ita transferri queat, ut nou magna deprehendatur dissimilitudo. (1) Aliquam qui-

(1) Koeing p. II. "Omnino, inquit, haec vitia, stultitiam et pravos hominum mores ridendi et vituperandi ratio numquam singulare aliquod carminum genus, proprio aliquo nomine insignitum, apud Graecos constituit, sed modo epica, modo lyrica, modo dramatica, modo didactica forma prodiit induta, ita tamen, ut dicacitas semper fere in certos quosdam homines, non in vitia ipsa, a personarum complexu disiuncta, exerceretur.„ p. 23. "Sed sit nomen vel maxime Graecae originis, quod de multis verbis Latinis probabili ratione disputare possis, hoc tamen constat, Graecos eodem ad carminis aliquod genus, praesertim satiricum, numquam fuisse usos, adeoque usus saltem, ad quem Romani illud adhibuerunt, novus est dicendus. „ p. 24. „ Genus hoc carpendi alios et ridendi

dem cum hac Satira cognationem habuerunt fabulae Graecorum satyricae, in primis comicorum poëtarum, et maiorem forte Silli, de quibus supra disputavi. Sed illarum et materies

verbisque mordacibus incessendi nusquam Graeci verbo aliquo, a Satyris petito, insigniverunt, sed aliis omnibus potius usi sunt, σκωπτειν, διασυρειν, κωμῳδειν, ἰαμβιζειν, ὑβριζειν, ipsumque σατυριζειν de lascivia petulanter se exserente, non de mordacitate et subsannatione acceperunt; atque του παιζειν vis et significatio, quod Satyrorum proprium esse dicitur, de petulanti eorum saltatione potius, quam de dicacitate in alios se exserente interpretandum est. Satyri quidem erant salaces, petulantes, saltatores; eos autem dicteriis alios incessisse, nusquam apud Graecos, eo saltem nondum tempore, quo drama satyricum vigeret, legere me memini, neque hoc in illo dramate, in scena agendo, obtinuisse existimo." p. 25. "Nomen *satirae* ad Ennianas et Pacuvianas satiras, in quibus primum adbibitum est, proprie pertinuit, non ad singula carmina Horatii, Persii et Iuvenalis. Nam ab Ennio et Pacuvio libros integros *Satirarum* nomine insignitos fuisse, non singula librorum segmenta, quorum varietate erant compositi, satis constare videtur ex Varrone, illorum virorum imitatore, cuius satiram eamdem Gellius I, 22 sub *satirae*, et XIII, 11 sub *libri* nomine excitat. (Cf. quae supra de Ennio dixi.) Forsan etiam Lucilius libros, non eorum diversi argumenti sectiones, *Satiras* inscripsit. Verum progressu temporis tandem verbum hoc antiquam suam vim amisisse, et ad scribendi genus Lucilianum translatum esse, valde probabile est. Cf. Horat. Sat. II, 1, 1. et Stat. Sylv. I, 3, 103. Sed Horatium singulis carminibus Satirarum nomen non imposuisse, Cruquius in comm. suo ex vetustiss. codd., in quibus haec carmina *Eclogae* inscribuntur, extra omnem dubitationis aleam mihi videtur posuisse. Ex ipsis etiam carminibus constat, singula primum ad amicos esse missa et paucis admodum recitata, Sat. I, 4, 73 seq. deinde vel ab ipso auctore, vel ab alio Venusinae musae amante (immo a Grammaticis; cf. Heyne de carm. bucol. T. I. edit. Virgil. sec. p. 18.), *eclogae* nomine singulis fortasse indito, in libros collecta et digesta videntur. In ipsorum numero quaedam quoque sunt, quibus *Satirae* titulus, sive antiquam verbi vim retinueris, sive novam illam subieceris, parum convenire videatur, nisi contenderis, Horatium vel ea carmina, quae certo et finito alicui generi subiungi non potuissent, eadem inscriptione, cui minime responderent, gaudere voluisse. Pari modo *Sermonum* et *Epistolarum* inscriptionem ab Horatio esse profectam, probari nullo modo potest, quamquam ipse huic rei occasionem dederit Sat. I, 4, 39 seq. Epist. I, 4, 1. II, 1, 250 seq. (*Libellos* vocat Satiras Epist. I, 13, 4.) Sed vetustam eam esse probat Sidon. Apollin.. Epist. ad Tonant. Etiam grammatici *epistolas* Horatii et *sermones* citant. De Persio, quomodo librum suum inscripserit aut singula carmina, nihil certi liquet. Pithoeus in vetusto aliquo cod. in singulis paginis hunc titulum invenisse testatur: *Thebaidorum Persii Satyra*, et in extremo: *Explicit Theb. P. satyra*

et forma fuit diversa; (1) hi vero didactica quidem erant car-

feliciter. Caeterum a Sosippo Charis. p. 66 in collect. Putsch. *Satira* I Persii citatur. In Iuvenale autem libri a grammaticis semper memorantur. — Quia autem Horatius, Persius et Iuvenalis Lucilii scribendi genus, sua tamen quisque ratione, secuti sunt, inter eos auctores, qui saturam seu saturas scripserunt, iure sunt relati, eorumque libris seu carminibus singulis is titulus, cuius ipsi auctores forsan non fuerunt, a librariis est inscriptus. »

(1) Cel. Eichstaedt p. 59 — 64. » In *tragicis*, inquit, Graecorum Satyris, ad quos revocata fere est omnis quaestio, quemadmodum permulta sunt, quae diversa reperiantur a Romanae ingenio Satirae: ita si hanc conferre cum ea Satyrica instituerimus, quam *comici* Graecorum poëtae variis modis excoluerunt (v. pag. 22 not. 1.), facillime arctiorem quamdam fuisse harum propinquitatem ac necessitudinem, intelligemus. Nam ut omittam nunc Satyrorum choros, quos comica Graecorum Satyrice, aeque ac Romanorum Satira, aut parcius adscivit, aut penitus sustulit (v. ead. not.), utramque etiam hac in re deprehendimus conspiravisse, quod argumenta peterent e vita quotidiana, quod notarent et designarent turpitudinem domesticam, saepenumero etiam turpiter, quod aequales vi ridiculi vulnerarent. Quorum nihil cadit in tragicam Satyricen. Vero enim vero propter hanc similitudinem equidem non ausim partes illorum sequi, qui Graecam Satyricam procreatricem quamdam Latinarum Satirarum et quasi parentem iudicaverunt. Nam et gravissimi auctores, Horatius et Quintilianus, inventioni eas Romanorum vindicant, et a veri specie neutiquam abhorret, eas e compositis temere ac rudibus iocis et dicteriis fuisse enatas, quae priscis temporibus iuventus Romana per otium et lasciviam alternis soleret in scena effundere. Praeterea non modo in argumento eiusque tractandi consilio, verum etiam in ipsa tractatione magna reperitur dissimilitudo. Primum enim si *argumentum* spectetur, quod situm est in variis ridiculi generibus, cum fabulis comico-satyricis Graecorum componi nullo pacto potest Horatiana Satira, potest quodam modo Luciliana, quae imaginem referebat antiquae Comicorum dicacitatis. Quippe quam Horatii venusta urbanitas coluit, Persii gravitas acuit et Iuvenalis austeritas tamquam veneno armavit, Satira, quod a morum integritate severitateque profecta, iudicio de rebus humanis liberali mentisque generosae honesta indignatione niteretur, materiem omnem ridiculi repetiit ab istis gravioribus vitiis, quae essent in vita hominum et moribus quaeque satyricis salibus perfricata coërceri possent et salutis publicae causa emendari. Graecorum contra Satyrice, dicacitatis laude contenta, non tam risum sectata est satyricum, quam comicum derisum, et cavillandi magis libidine excitata, quam corrigendi studio impulsa, modo fortunas civium, modo corporis deformitatem et alia leviora vitia, quae Comicorum solent ludibriis agitari, contumeliarum aculeis lacessivit, ita ut ne ingenuitatem quidem praestaret et ruborem suum verbo-

mina, at differebant argumento eiusque tractandi consilio, quod ad solos vel philosophos vel poëtas eorumque errores, non ad vitae quotidianae mores horumque emendationem spectabat; neque dubito, quin rerum quoque tractationem magnopere discrepasse intelligeretur, si integri superessent Silli, nec potius perpauca eorum fragmenta, quae exactam comparationem non admittunt. Non etiam repugnabimus, si quis contenderit, Ennium et praecipue Lucilium eiusque imitatores duxisse colores quosdam, et sales hausisse ex Graecorum vetere comoedia (v. Horat. Sat. I, 4, 1 seq. 10, 14 seq. et Pers. I, 123 seq.), Iambis, Sillis et fabulis satyricis. Verum propterea neque Graeci Satiras scripsisse, neque Romani has illis acceptas retulisse censendi sunt. Praeterea Romanam, non Graecam, Satirae originem fuisse, ex historia et ipsa quoque nominis forma probabile fit. Temporibus priscis, quibus nec Satyri et Satyrica dramata, nec ulla Graecae poëseos genera, iam innotuerant Romanis, versibus Saturniis Fescenninisque in scena successit *Satura*, ut supra vidimus; et haec deinde appellatio propter similitudinem aliquam, quae argumenti potissimum varietate continebatur, tam ad illa carminum genera, quae ab Ennio, quam ad ea, quae

rum turpitudine et rerum obscoenitate vitanda. Quam quidem ridiculi speciem, in oratione Comicorum velut exuberantem, longe superavit Romanorum poëtarum, quos supra nominabam, liberalis festivitas, non illa quidem in celeritate atque dicto posita, sed in perpetuitate sermonis: quamquam propius ad illam accessisse superiorem Lucilianae Satirae videntur, quarum plerisque par fuit ridendi materies, simile consilium, eadem impudentia, gemina audacia. — Deinde ubi de *tractandi ratione* quaeritur, deducenda sinedubio erit disputatio ad certas quasdam satyricae poëseos formas, quibus externo etiam habitu, seu componendi lege et artificio, impressa similitudinis vestigia inveniantur. Iam vero illud perspicuum est, satyrica Graecorum *dramata* non comparari cum Lucilii aliorumque *didacticis* Satiris satis insignite atque commode posse. At tametsi Romani in scribendis Satiris interdum proxime reperiuntur abfuisse a dramatico genere, quod sprētis viae angustiis, quibus docendi ratio includitur, liberiore cursu fertur rerumque tractationi varietatem dialogi impertit ac subitaneam quamdam vim: tamen omne hoc dramaticae compositionis artificium frequentatum demum est ab iis poëtis, qui poliundis Satiris limam adhibuissent suam, et in medio est posita Comoediae Romanae species, arctiore dramaticae actionis vinculo istis Graecorum fabulis adstricta. Atellanae cui non succurrunt fabellae, quas finitimas esse Graecorum Satyris veteres iam universe pronuntiarunt, quorum iudiciis eam licebit moderationem adhibere, ut comicam maxime Satyricen ad comparationem vocemus?»

a Lucilio inventa dicuntur, ab auctoribus eorum grammaticisque translata est. Enimvero neque Graecis scriptoribus haec carmina et, quae vulgo iis tribuntur, nomina, *Satura*, *Satira* et *Satyra*, memorantur, neque Romanis aut *Satira* sua umquam *Satyrice*, aut satyrica Graecorum poësis s. fabula a. dramata *Satirae* vel *Satyrae* dicuntur. Romani quoque vix ullam *satyricarum fabularum*, vel nominis certe huius, mentionem faciunt; neque ab iis carmina eiusmodi scripta (nisi forte a Lucano, cui satyricae fabulae XIV tribuuntur, quae tamen cuiusmodi fuerint non constat), aut Satyri umquam Romae inducti videntur. Contrarium certe mihi non persuaserunt, qui provocant ad loca Horatii Ep. ad Pis. v. 220—250. Dionysii Halic. VII, 72. (p. 460. ed. Hudson. et T. III. p. 1491. ed. Reisk.) Athenaei VI, 7. (p. 261. ed. Lugd. 1612. VI, 78. T. II. p. 500. ed. Schweigh.) et Marii Victorini lib. IV. p. 2591. collect. Putsch. Horatius l. l. non de Romanorum, sed de Graecorum fabulis satyricis, et de norma, ad quam illae sint exigendae, iudicium fert criticum, docetque, quam rationem *Satyrorum scriptor* (v. 235.), h. e. si ipse satyrica scriberet dramata, sequendam putaret. (1) Dionysius, qui et populi Romani et omnium eius rituum originem a Graecis deducit, illos ab iisdem tradit hunc adscivisse morem, ut in vetustissimis triumphorum pompis non modo exercitus victor imperatorem triumphantem, sed etiam *Satyri* quoscumque spectatores iocis dictisque petulantibus lacessierint, quam κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδιὰν appellat. Ille vero non a Graecis repetendus est, sed ab antiquissimis potius temporibus similibusque priscorum festorum et pomparum solennibus, de quibus supra dixi, et exinde iam viguisse videtur non alius mos, quam notissimus ille, quem Dionysius seriori tantum aevo tribuit: νῦν δὲ ποιήματα ᾄδουσιν αὐτοσχέδια, h. e. versus inconditos et Fescenninis similes. Praeterea Satyros illos non nisi Mimos fuisse, ex his eius verbis cognoscitur:

(1) Koenig putat p. 24, Horatium loqui de Satyris Graecis, latino sermone imitandis, Hurdius in Comm. ad Epp. Horat., Horatii aetate Oscas personas in Romana scena Satyris cessisse; sed Eichstaedt p. 78. Horatium, scenicae poëseos, quae inter Romanos viguerit, intelligentissimum et censorem et emendatorem, suasisse id aequalibus, ut relicta Oscarum personarum ignobilitate Graecos Satyros introducerent, paululum tamen illos politos et ad saeculi elegantiam formatos; incertum autem esse nobis, utrum ea res eventum habuerit, an intra consilii fines steterit.

οὗτοι δὲ Σάτυροι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις, ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες. Neque illud mirabitur, qui meminerit, non tantum Graecas voces σάτυροι, σατυρίζειν et σατυρικὸς ad omnes personas et res iocularcs atque hilaritatis parum honestae plenas transferri, sed Mimos etiam et Pantomimos saepe tum induisse personas Satyrorum ridiculas, tum egisse. Hinc quoque ad mimos potius, quam ad fabulas sive satyricas sive Atellanas, retulerim loca Athenaei et Marii Victorini, quae supra laudavi. Hic affert versum iambicum dimetrum: *Agite, fugite, quatite, Satyri*; quo finem factum esse mimo, probabile fit ex Cic. pro Coelio c. 27. *Mimi iam exitus est, non fabulae: in quo quum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulaeum tollitur.* Ille memorat, Sullam insigni favore amplexum esse Mimos et *patrio sermone* scripsisse κωμῳδίας σατυρικὰς, h. e. mimos, imitatione expressos ex dramate Graecorum comico-satyrico: quae forte explicatio non displicebit ei, qui modo dicta et seriem narrationis expenderit: Νικόλαος (Nicolaus Damascenus, philosophus peripateticus, poëta, orator et historicus, ab Herode M. Iudaeorum rege orator missus ad Augustum Imp.) ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν Σύλλαν, φησί, τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν, οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλόγελων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας. Ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ (id Schweigh. ex MSS. restituit pro πατρῴῳ) φωνῇ — Quid vero? nonne fabulis Graecorum comico-satyricis Atellanas, ab Oscis invectas, simillimas fuisse supra professi sumus? Id quidem non dissimulamus: enimvero haec convenientia, si non tota, certe maximam partem, fortuita potius fuisse videtur, quam ab imitatione profecta. Ea quoque non nisi ex Grammaticorum (Diomedis III. p. 487. et Marii Victorini II. p. 2527. ed. Putsch.) testimoniis, quibus non nimium tribuerim, suspecta est; et neutiquam dubitamus, quin praeter personarum diversitatem (v. sup. not. 23.) alia quoque deprehenderentur discrimina, si vel unius fabulae et comico-satyricae et Atellanae exempla haberemus, quae comparare liceret. Quae facultas quum nobis praerepta sit tristi literarum fato, et illius dramatis vix ulla fragmenta, aut dubia tantum (qualia sunt Sositheanum et alia, quae eo referuntur), huius vero admodum pauca reperiantur; omnis haec disputatio, quamvis doctissima et ingeniosissima, qualem Cel. Eichstaedt instituit (cuius praecipua fere momenta ex utriusque fabulae

exacta convenientia pendent), incertis nititur coniecturis.

Ceterum notandum etiam est, Graecis scriptoribus et Romanis neque accuratas, ut nobis, fuisse diversorum poëseos generum divisiones, vel ex natura semper cuiusque petitas, sed saepe a metro (unde *Iambi* v. c. dicti), vel aliunde desumtas, neque morem librorum cum titulis in vulgus emittendorum. Sic Horatii carmina, quae vulgo *Satirae* et *Epistolae* appellantur, ab ipso singula primum ad amicos sunt missa et admodum paucis recitata, deinde vero a Grammaticis tum in libros collecta atque digesta, tum *Satirarum* vel *Eclogarum* vel *Sermonum* et *Epistolarum* titulis insignita. Vtrum et quomodo Horatius ipse et Persius Iuvenalisque libros suos singulave carmina sive inscripserint sive digesserint, ignoramus. Conf. not. pag. xxxvii. Illud quoque *Satirae* nomen a Grammaticis demum singulis Horatii, Persii et Iuvenalis carminibus inditum est: nam olim et primum integros Satirarum libros, non horum diversi argumenti sectiones, significasse videtur. Iisdem quoque Grammaticis synonymae voces fuere *satira* et *liber*; Gellio certe Satira Varronis eadem I, 22. *satira* et XIII, 11. *liber* dicitur. Conf. Horat. Epist. I, 13, 4.

DE

SATIRICIS ROMANORVM

POETIS

In superiore commentatione ostendimus, Saturam sive Satiram Romanorum tum dramaticam fuisse tum didacticam, et hanc sive Ennianam sive Lucilianam. Iam breviter recensebimus poëtas, qui vel Ennium vel Lucilium imitati, adeoque vel varia argumenta versibus persecuti, vel in vitia saeculi sui invecti sunt; et simul ostendemus, quam varie ab iis tractata sit Satira et quam diversas inde species induerit. Quod consilium vellem accuratius perfici posset: sed primum duplex hoc carminum genus, praecipue Lucilianum, quod gliscente morum corruptela sub malorum Principum dominatu et indignatione versum faciente (Iuven. I, 79.) prae ceteris arrisisse non est quod miremur, multorum haud dubie ingenia exercuit, quorum omnis intercidit memoria; deinde plerorumque poëtarum, quos memorabimus, nomina tantum nobis innotuere, non carmina quoque relicta sunt; denique novimus quidem, ab his vel illis Satiras esse scriptas, sed ignoramus saepe, utrum Ennianae fuerint illae, an Varronianae, an Lucilianae, an adeo dramaticae. Rem quoque turbarunt viri docti, qui vel in caecam molem congessere carmina omnia, quae satirici quid, h. e. sive miscelli sive dicacis, spirarent, vel recentiora antiquis auctoribus tribuere, vel ea adeo commenti sunt, quae nemo scripsit. Neque dissimulamus, nos ipsos etiam vereri, ne, finibus terminisque ultra quam satis sit prolatis et multis diversisque satiricorum carminum generibus coagmentatis, implicatior facta sit disputatio nostra. Quidquid vero ita peccavimus, iuvenum causa peccatum est eoque consilio, ut hi omnium poëtarum Latinorum, qui inter satiricos vulgo referuntur, veram indolem perspectam haberent, et, quoties horum nomina vel legerentur ab iis vel audirentur, recte de iis iudicarent.

Cn. Naevius, antiquissimus Romanorum poëta, qui bellum Punicum I, quo stipendia fecerat, versibus descripsit Saturniis, Satiram quoque composuit, teste Festo p. 411 edit. Dacerii. Haec vero haud dubie fuit dramatica: nam Naevius iam inde ab a. V. c. DXIX, adeoque quadriennio post natum Ennium, fabulas dedit (v. Gell. XVII, 21 extr.), et mortuus est a. V. c. DXLIX. v. Hieron. in Chron. Euseb. ad Olymp. 114. ubi etiam tradit, eum ob maledicentiam Scipioni Africano et Metello invisum fuisse, et primum in carcerem a triumviris capitalibus coniectum, deinde in exsilium actum, nec inde rediisse Romam, sed Vticae obiisse. Talem quoque suspicor fuisse Satiram L. Pomponii, quae in sexto Prisciani libro laudatur. Fuit is Bononiensis et clarissimus Atellanarum scriptor, quem Velleius Pat. II, 9. Sullanis dicit temporibus vixisse, ac sensibus fuisse celebrem, verbis rudem et novitate inventi a se operis commendabilem. Atellanae eius memorantur Gell. X, 24. XII, 10. XVI, 6. XVIII, 6. Ad idem forte Satirarum genus referendae sunt illae, quas T. Quinctius Atta Ciceronis aetate, praeter Togatas fabulas et Epigrammata, scripsisse perhibetur. v. Diomed. et Macrob.

Ennianas Satiras scripsit M. Pacuvius, poëta tragicus et pictor, Ennii nepos ex sorore, si Plinio XXXV, 4, vel ex filia, si Hieronymo fides habenda in Chron. Euseb. Olymp. CLVI, 3. ubi is hoc anno illum Brundisii natum esse et prope nonagenarium Tarenti obiisse refert. Vtrum vero pressius Ennii vestigia persequutus, an proprio consilio usus sit, non constat: quin satiricum quoque poëtam eum fuisse ignoraremus, nisi id docuisset nos Diomedes lib. III. p. 483. ed. Putsch. cuius verba iam supra laudavimus: *Olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.* Pacuviana quidem servarunt Cicero (de Div. I, 57. et ad Heren. II, 23.), Gellius (I, 24. II, 26. IV, 17. IX, 14. XIII, 2. 8. 29. XIV, 1.) et alii: sed haec tragoediarum eius vel epigrammatum, non satirarum, fragmenta sunt et tituli. De ingenio illius ita indicavit Quintilianus I. O. X, 1. *Hic gravitate sententiarum, pondere verborum, auctoritate personarum clarissimus fuit, citra tamen nitorem.*

Quinam poëtae praeter Pacuvium Ennianas conscripserint Satiras, non habeo dicere. In eorum forte numerum tum quidam ex iis referendi sunt, quos infra in Lucilii imitatores reposui, tum Saevius Nicanor Grammaticus, qui Varronis aevo, vel non

ita multo post vixisse videtur, et de quo haec memoriae prodidit Sueton. de ill. Gramm. c. 5. *Fecit praeter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, et Satiram quoque, in qua libertinum se ac duplici cognomine per hoc indicat: Saeviu' Nicanor Marci libertu' negabit; Saeviu' Postumianus idem, sed Marcu' docebit.*

Ad Ennianae Satirae similitudinem accessit *Varroniana*, quae tamen non varia tantum metra et argumenta, et seria cum iocis, sed pedestrem quoque sermonem cum poëtico et, ut Luciliana, Graeca cum Latinis miscuit. Quintilianus, qui in Inst. Or. X, 1. s. 93. de Satira Luciliana disputaverat, mox s. 95 haec adiungit: *Alterum illud est et prius Satirae genus* (scil. Ennianum, quod antiquius est), (1) *quod non sola carminum varietate* (sed etiam orationis, prosae et numeris adstrictae, Latinae et Graecae) *mixtum condidit* M. Terentius Varro, *vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguae Latinae et omnis antiquitatis et rerum Graecarum nostrarumque, plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae.* Quod consilium sequutus sit Varro in Satiris suis, quae et *libri* passim dicuntur et quarum non nisi pauca supersunt fragmenta et tituli, ipse declaravit ap. Cic. Acad. Quaest. I, 2. his verbis: *Quae nemo adhuc docuerat, nec erat, unde studiosi scire possent, ea, quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror), feci, ut essent nota nostris: a Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice: quae quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in iis ipsis antiquitatum prooemiis philosophiae, scribere voluimus, si modo consequuti sumus.* Varro itaque in hoc opere numeroso et multiplici orationis rerumque, ex omnibus literarum et artium generibus decerptarum, varietate conspicuo philologiam cum philosophia temperavit, et imitatus est in scribendi genere *Menip-*

(1) Gesnerus ad Quintil. l. l. putabat, *prius genus* hic dici praestantius, vel illud *prius* ex compendio vocis *posterius* ortum esse, nostram vero interpretationem diserte contradicere iis, quae s. 93 disputaverit Fabius, quod equidem non assequor; cum tamen non satis perspicue loquutum esse crediderim.

pum, philosophum Gadarenum, Cynicum et σπουδογέλοιον; unde etiam tum ipse, tum Satirae eius olim dicebantur *Menippeae* et *Cinycae*. Hanc et denominationem et imitationem ad solum scribendi genus eiusque similitudinem spectasse, iam monuit Probus ad Virgilii Ecl. VI. his verbis: *Varro Menippeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine expoliverat satiras suas*, h. e. libros suos, Romanis satiris similes: nam Probus, non ipse Menippus, ita eos appellasse censendus est.

Menippi et Varronis exemplo etiam alii prosam vario carminis genere tamquam interiectis gemmulis ac stellulis distinxere; v. c. Iulianus, tum in libello de Caesaribus, in quo primos perstrinxit Imperatores, tum in Satira, cui titulus est Μισοπώγων s. barbae osor, et in qua acerbe notavit mores Antiochensium, quibus barba, quam alebat, ludibrio fuerat: L. Annaeus Seneca, in lepidissimo ludo de morte Claudii Caesaris, in quo confingit, hunc ingentis stuporis hominem non in deos, sed in cucurbitas relatum esse: nam esu venenati boleti, κολοκύντης s. κολοκύνθης. Claudius, huius cibi avidissimus, periisse credebatur, et inepti homines cucurbitis comparari solebant (cucurbitae caput habere dicuntur Apul. Met. I. p. 109. ed. Elmenh.) unde Seneca libellum suum non *Satiram*, neque ἀποθέωσιν, sed ἀποκολοκύντωσιν facete inscripsit: T. Petronius Arbiter (Massiliensis, equestri genere natus, consularis, Neroni familiaris et elegantiae *arbiter*, sed artibus Tigellini aemuli ad mortem compulsus, quam sibi lente, incisis venis, intulit; de quo v. Tac. Ann. XVI, 18. 19.) in *Satirico* vel *Satiricon libris*, in quibus mores suae aetatis, praecipue avaritiam, luxum, superbiam aliaque vitia, discordias bellaque civilia gignentia et rei publicae conversionem minantia stylo mordaci et plano describit, insertis passim carminibus, modo longioribus, inpr. de bello civili vel de mutatione rei publicae, modo brevioribus; unde intelligitur, eum non magis Varronem, quam Lucilium sibi imitandum proposuisse et novum aliquod mixtumque Satirae genus tractasse (ad quod tamen Iuliani quoque et Senecae libelli modo laudati quodam modo referri possunt): Marcianus Mineus Felix Capella, Madaurensis vel Carthaginiensis, scriptor semibarbarus, qui Saec. V. temporibus Leonis Thracis vixit, in *Satira* sua, cuius duo priores libri Philosophiae ἀποθέωσιν sive fabulam de nuptiis Philologiae et Mercurii, reliqui vero septem singularum artium liberalium, Grammaticae, Dialecticae, Rhetoricae, Geometriae,

Arithmeticae, Astronomiae et Musicae, laudes ac praecepta continent: Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius consularis (natus Romae a. Chr. 455. et securi percussus a. 524. quum reus maiestatis factus esset), in libris praeclaris et tam argumento quam stylo conspicuis de consolatione philosophiae, quos in carcere scripsit, in quem iussu Theodorici Gothorum regis coniectus erat. — Aliae *Satirae Menippeae* etiam ab aliis tum ante tum post renatas literas scriptae sunt, v. c. a P. Cunaeo, ICto Batavo, *Sardi Venales seu Satira Menippea in sui saeculi homines inepte eruditos*; a Iusto Lipsio *Somnium s. Satira Menippea in criticos, et poëtas inscitos*; a Dan. Heinsio *Hercules tuam fidem, sive Munsterus Hypobolimaeus, id est Satira Menippea de vita, origine et moribus Casp. Scioppii.*

Sed iam progrediamur ad recensum eorum, qui Lucilium et Satirae ab eo inventae genus imitati sunt. Huic Satirae primum novam plane multoquo meliorem induit formam ingenium Horatii, qui maculas et labes, tum incuria auctoris, tum saeculi genio ei adspersas, eluit, verborum contumeliis et petulantiae iocos et sales, orationique subitae et incuriosae, horridae et scabrae, obscoenae et procaci, tersam et limatam, puram et aequabiliter fluentem, facetam et urbanam substituit, et neque Graeca immiscuit Latinis, neque alio quam heroico versu usus est. Illum sibi exemplar proposuere posteriores poëtae satirici, etiam secundi ab eo, Persius et Iuvenalis: at quisque eorum singulari genere dicendi usus est et diversa ratione, pro ingeniorum temporumque diversitate, argumenta tractavit. Quod intelligetur ex proxima commentatione, in qua de *Horatio*, *Persio* ac *Iuvenale* seorsum disseremus, et hos poëtas satiricos, quorum opera manibus adhuc nostris teruntur, inter se comparabimus. Nunc sufficiat breviter recensuisse ceteros *Lucilii* imitatores, quorum Satirae tantum non omnes interciderunt; quod gravius doleremus, nisi fortuna nobis triumviros illos servasset.

Ante *Horatium*, qui a. V. c. 689. adeoque XL. fere annis post Lucilii mortem natus est, non defuisse, qui huius quidem exemplo, sed parum prospero conatus successu, ad Satiras scribendas animum appellerent, ille nos ipse docet Sat. I, 10, 46 seq. *Hoc* (satiricum poëma) *erat, experto frustra Varrone Atacino Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem, Inventore minor.* Hic est P. Terentius Varro, natus circiter a. V. c. 670. et a patria Atace, Galliae Narbonensis vico (v. Hie-

ron. in Chron. Euseb. ad Olymp. 174. a. 2.) vel ab Atace, Narbonensi fluvio (v. Porphyr. ad Horat. l. l.), dictus Atacinus. Is praeter Satiras scripsit Argonautica bellumque Sequanicum, et iudicio Quintil. X, 1. s. 87. *in iis, per quae nomen est adsequutus, interpres fuit operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Praeter hunc quosdam alios satiricum dicendi genus frustra ante se expertos esse tradit Horatius l. l. at quinam hi fuerint ignoramus. Casaubonus huc refert *Saevium* s. *Suevium Nicanorem* et *Lenaeum* (Pompeii M. libertum) Grammaticos (v. Macrob. Sat. II, 14. et Suet. de ill. Gramm. c. 5. et 15.) quorum Satiras forte non Lucilianas fuisse supra diximus. Omisit autem L. Albutium, quem nos in horum locum substituimus ex Varrone de Re Rust. III. 2. s. 17. *Nonne item L. Albutius homo (ut scitis) apprime doctus, cuius Luciliano charactere sunt libelli, dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa? agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena.* In optimis Varronis codicibus legitur *Abuccius*, ut et III, 6, 6. sed praenomen forte, non nomen emendandum et reponendum *T. Albutius* s. *Albucius.* Is fuit aequalis Lucilio, qui passim eius meminit in Satiris (v. c. ap. Cic. Fin. I, 3. et Orat. 44.) Propraetor Sardiniae a. V. c. 648. (Cic. Div. 19. Pis. 38. Off. II, 14. Prov. 7. Brut. 26.) perfectus Epicureus et paene Graecus, qui primum adolescens et postea exsul Athenis vixit (Cic. Brut. 35. et Tusc. Qu. V, 37).

Horatii aetate Iulius Florus, et, si Porphyr. ad Horat. Epist. I, 3. fides habenda, *hic Florus fuit Satirarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio, Lucilio et Varrone:* adeoque diversa Satirae genera tractavit vel miscuit. Ei inscriptae sunt Horat. Epist. III. lib. I. et II. lib. II. ex quibus (et quidem ex Ep. III, 21; 24. et II, 59. 60.) Casaubonus pag. 230. et Wielandus (ad Horat. Ep. T. II. p. 129.) coniiciunt, eum non nisi Ερωτικὰ scripsisse. Ingenium tamen eius varium fuisse et ad diversa scribendi genera aptum, ex eadem Epist. III, 22 seq. cognoscitur; ex quo loco etiam probabile fit, de eodem Floro loqui Quintil. X, 3, 12 seq. et Senec. Controv. XXV. Hic memorat, eum declamatorem, ille vero, eum principem in eloquentia Galliarum et inter paucos disertum fuisse.

Post Horatium praeter *Persium* et *Iuvenalem* horumque aetate multi alii exstitere Satirarum scriptores, *Turnus, Lenius, Silius, Sulpicia, Tucca, Manlius Vopiscus,* forte et *Iulius Ru-*

fus, *Cornutus*, *Gavius Bassus* et *Rabirius* s. *Rubrius* aliique, quos fama obscura recondit (Quintil. X, 1. s. 94. laudatis Lucilio, Horatio et Persio, haec subiungit: *Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur*). Tres priores, Auruncae natos, quae Lucilii quoque patria fuit, memorat vetus Scholiastes Iuvenalis ad Sat. I, 20. ubi haec notavit: *Turnum dicit Scaevae Memoris tragici poëtae fratrem, qui libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani: vel Lenium dicit, qui et ipse Satiras scripsit: vel Silium, et ipsum sui temporis Satiricum. Qui omnes ex Aurunca fuerunt. Lenius* et *Silius*, quod sciam, non aliis laudantur, nisi potius illi nomen fuit *Lenaeo*, de quo supra dixi, et huic cognomen *Basso* vel *Sparso*, qui rhetores fuere (v. Senec. Controv. III. VI. et VII). *Turni* autem Satiras amplissimis verbis ornant Martial. VII, 97. XI. 10. Rutil. in Itiner. I, 600. et Sidon. Apollin. Carm. IX. excusat. ad Felicem x. 267. Conf. Wernsdorf P. L. M. Vol. III. p. LIX seq. qui non vanis rationibus ductus suspicatur, eum auctorem fuisse Satirae prolixae, quae Neronis vitia sceleraque omnia liberius et longo ordine enarrasse videtur et cuius fragmentum, XXX versus complectens, ex P. Burman. Anthol. Lat. T. II. p. 645. ille cum notis exhibuit ibid. p. 77 seq. Ex eadem vel alia Turni satira petiti duo versus, qui admodum corrupte leguntur in vett. Scholiis Iuven. ad Sat. I, 71. *Ex qua Caesareas soboles horrida Locusta Occidit cura sui verna nota Neronis.* Quos varie emendarunt viri docti: Casaubonus de Sat. Rom. p. 231. *Ex quo C. s. homicida L. Occidit curaeque veneni admota Neroni est*; Barthius Advers. XXIV, 11. *Circes vi vernae nota Neroni*, vel *cura vivaria* (h. e. praedia a Nerone donata) *nacta Neronis*; vir doctus in Miscell. Obss. T. V. p. 264. coll. Suet. Ner. 33. *Et quo Caesaream sobolem Locusta cecidit Horrida, caede suis vernae iam nota Neroni;* Wernsdorf l. l. p. 82. *Ex quo C. s. horrenda Locusta Occidit, Circe inter vernas nota Neronis*, vel *curans saevi fera vota Neronis.*

Sulpicia s. Sulpitia, Caleni uxor, praeter carmina amatoria Satiram de corrupto rei publicae statu temporibus Domitiani tunc scripsit, quum tyrannus ille edicto philosophos Vrbe expulisset. Ea adhuc exstat et multis exemplaribus tum Ausonii (inter cuius carmina primum reperta est et edita a. 1500 a Thaddaeo Vgoleto), tum Petronii, Catalectorum, Persii et Iuvenalis adnexa est: recepta quoque a Wernsdorfio in Poët. Lat.

Min. T. III. p. 83 seq. Ipsa poëtria impense laudatur a Martiale X, 35. et 38. et Scaliger in Hypercritico monet, *in ea multum dexteritatis ad satiricam amarulentiam adspirantis esse, numeros vero, ut in eo genere poëmatis, non contemnendos.* Contra Casaubonus de Sat. Rom. p. 236. *Non erraverit iudicio meo*, inquit, *qui Satiram id poëma nominaverit: eruditionem tamen et probitatem nobilissimae feminae ex carmine potius laudes, quam acrimoniam et ad satiricos morsus* εὐφυΐαν; *lacertis enim caret oratio et* ἀγωνιστικῷ *spiritu.* Conf. Wernsdorf l. l. p. LX seq. — Tucca ineptus fuit Satirographus et deridetur a Martiale XII, 95. al. 94. et al. 96. e cuius epigr. versu 7. (*Audemus Satiras: Lucilius esse laboras*) Casaubonus et Wernsdorf colligebant, Martialem, si eum serio scripserit, ipsum quoque satiricorum poëtarum choro inserendum esse. Qui totum vero perlegerit epigramma, non ita iudicabit. — Manlii Vopisci ingenium et ad alia carmina, et ad Satiras scribendas aptissimum Statius summis laudibus celebrat in Sylv. I, 3, 101 seq. idemque in Epistola ad Stellam, Sylvis praefixa, Vopiscum appellat *virum eruditissimum, qui praecipue vindicet a situ literas iam paene fugientes.*

Satiricis horum temporum poëtis adnumerantur etiam *Iulius Rufus, Cornutus, Gavius Bassus* et *Rabirius* s. *Rubrius*: sed Rufus nullas forte Satiras, et reliqui alias, quam Lucilianas, scripsere. Iulii Rufi mentionem facit Martialis in disticho, figurae Socratis subscripto, lib. X. epigr. 99. *Si Romana forent haec Socratis ora, fuissent, Iulius in Satyris qualia Rufus habet.* Casaubonus de Sat. Rom. p. 231. existimat, his verbis gravitatem Rufi in Satiris laudari, Crenius autem ibid. in adnot. et Raderus ad Martial. l. l. suspicantur, hunc virum illustrem fuisse et doctum, ad quem Plinius Epist. V, 21. et VII, 25. scripserit. Sed Wernsdord l. l. p. XVII. iam bene contra eos ita disputavit: « Vt hoc affirmari vix tuto licet, quum plures Rufos in epistolis memoret Plinius, ita et illud valde dubium, an Satiricam Rufi poësin Martialis laudare voluerit. Nam quum de imagine Socratis sermo sit, quem simo vultu et Silenis simili fuisse gemmae antiquae docent, potest haec esse sententia Martialis, ut dicat, vultum Socraticum Rufi quasi inter Satyros fuisse, aut eum irrisum a Satiricis poëtis.» — Annaeus Cornutus, philosophus Stoicus, tragicus poëta (v. Sueton. vit. Persii) et praeceptor Persii (cuius Satira V ei inscripta est), multa scripsit philosophica et rhetorica (v. Euseb. in Chron. ad a.

2083. Hieron. in Epist. ad Magnum oratorem, et Suidas, qui tamen multa de eo falsa et inepta tradit) forte et libellum de natura deorum, qui Phurnuti vulgo nomen prae se fert, nec non commentaria in Virgilium et libros de figuris sententiarum (v. Gell. II, 6. IX, 9. et Macrob. V, 19.): a Nerone autem propter liberius de eius carminibus iudicium exsilio mulctatus est (v. Euseb. l. l. et Dio Cass. LXII. extr.), et postea interfectus cum Musonio (cf. Suidas et Voss. de hist. Lat. I, 26. ubi diversas narrationes illas ita conciliavit). Eumdem composuisse Satiras, colligitur ex verbis Fulgentii Planciadis in exposit. serm. ant. *Titivillitium dici voluerunt fila putrida, quae de telis cadunt. Plautus Casina II, 5, 39. Non ego istud verbum emsitem titivillitio, id est, re admodum vilissima. Nam et M. Cornutus in Satyra ait: Titivilles Flacce do tibi.* Ita hunc locum exhibuit Munker. in Mythogr. Lat. T. II. p. 175. Casaubonus vero de Sat. Rom. p. 234. et 235. ita citavit postrema verba: *Titivillitii sat cedo tibi*, et haec adnotavit: « Fortasse legendum: *Titivillitio istas cedo tibi* (Sed v. Gronov. ad Plaut. l. l.). Videtur hic esse Annaeus Cornutus: quam ob rem verba Persii Sat. V, 15. quae sub persona Cornuti pronunciantur: *pallentes radere mores Doctus et ingenuo culpam defigere ludo*, ita puto accipienda, ut dicta Cornutus, se Persium discipulum suum in scribendis Satiris exercuisse et hac occasione interdum, velut exempli causa, Satiras scripsisse. » -- Satira Gavii (non *Galbii* vel *Gabii*, quae ignota sunt gentium nomina) Bassi, forte eius, quem Traianus Ponticae praefecit orae (v. Plin. Ep. X, 18. et 32.), laudatur eidem Fulgentio l. l. p. 179. *Veruina iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Gavius Bassus, Satira: Veruina confodiende, non te nauci facio.* Sed Wernsdorf iam bene monuit l. l. p. XIX. vocabulo *Satirae* commentarium fortasse miscellarum observationum indicari, quales Bassi fuerint libri de Diis et de origine verborum, de quibus v. Macrob. Sat. I, 9. II, 14. et Gell. II, 4. V, 7. XI, 17. -- Rabirii Satiram (sed qualem?) memorat idem Fulgentius l. l. p. 183. (ubi in quibusdam codd. *Rubrius* legitur) *Abstemius observans. Rabirius in Satira: Abstemium merulenta fugit Methenia nomen.* Vulgo putant, C. Rabirium designari, poëtam epicum et secundum a Virgilio; de quo v. Vellei. II, 36. Ovid. Ep. ex Ponto IV, 16, 5. et Quintil. X, 1, 90.

Seriores Satirographi fuere L. Apuleius, quem vide in Floridis p. 346. et p. m. 363. edit. Elmenh. -- Tetradius, Ausonii

Burdigalensis amicus, a quo Satirae eius et sales laudantur in Epist. XV. -- Caecina Decius Albinus, Praef. Vrbi et Tusciae regnantibus Honorio et Theodosio II, aut potius pater eius Lucillius vel Lucullus, quem Turno et Iuvenali aequat Rutilius in Itinerario I, 599 seq. et de quo docte ac copiose egit Wernsdorf in Poët. Lat. Min. T. III. p. XXII seq. T. IV. p. 824. et T. V. p. 182. -- Rusticus Elpidius, Theodorici Italiae regis medicus, qui olim se dolore ob iniurias a quibusdam acceptas incensum Satiras scripsisse easque postea damnasse profitetur in carmine de Christi Iesu beneficiis p. 757. Poët. eccles. Ge. Fabricii. -- Claudius Marius Victor Massiliensis rhetor et poëta, mortuus Theodosio ac Valentiniano regnantibus, auctor Epistolae ad Salmonem Abbatem vel potius *dialogi de perversis suae aetatis moribus* (v. Wernsdorf P. L. M. III. p. LXVIII seq. et ipsum dialogum p. 103 seq.). -- Probus, quem Lupus Ferrariensis in Epist. XX. et ex eo Barthius Advers. XLVIII, 16. floruisse dicunt circa a. Chr. 840. et in Satira quadam ostendisse, Christum etiam pro paganis sapientibus mortuum esse. Quae Satira vel non Luciliana fuerit, vel hoc argumentum non solum tractaverit necesse est (Conf. inf. Ind. Editt. ad a. 1585.). -- Iohannes de Garlandia s. *Garlandria*, Anglicus poëta, grammaticus, chymicus, mathematicus et theologus, qui Sacc. XI. vixit et cuius Satirarum mentionem fecit Io. Baleus Scriptor. Britan. Cent. II. n. 48. -- Godfridus, Wintoniensis in Anglia coenobii Prior, mortuus a. Ch. 1141. cuius *Epigrammata Satirica* et *libros de diversis hominum moribus* memorat Baleus l. l. Cent. II. c. 59. p. 168. et Io. Pitseus in relatt. hist. de rebus Angl. p. 192. 193. -- Bernhardus Geystensis *Palponista*, qui ita inscripsit duos libros de vita privata et aulica, rhythmicis hexametris compositos (v. Werns dorf T. IV. p. 826.).

DE DIVERSA

SATIRARVM

LVCILII, HORATII, PERSII ET IVVENALIS

INDOLE, DEQVE FRVCTV EX EARVM LECTIONE PERCIPIENDO

Declaratis iam variis Satirae Romanae generibus poëtisque satiricis breviter recensitis, superest, ut horum principes, Lucilius, Horatius, Persius et Iuvenalis, inter se conferantur, quaeque cuivis et virtutes et vitia sint propria, ostendatur. (1) Comparatio illa iam a multis est instituta: sed dici vix potest, quantopere inter eos discrepet. Neque hoc adeo mirum videri debet. Nam, ut taceam, eum plerumque scriptorem aliis eiusdem generis a nobis anteferri, cuius ingenium moresque cum nostris maxime congruant quique adeo nobis potissimum in deliciis sit, viri docti non satis reputasse videntur, illam comparationem fere totam pendere a diversitate temporum, ingeniorum, morum studiorumque cuiusvis poëtae. Omnis vero disputatio fluctuet necesse est, si non nisi in universum rès aliqua in quaestionem vocatur, neque certa constituitur formula regulaque, ad quam iudicia exigantur.

In diversis Satirae generibus auctoribusque diiudicandis ratio praecipue habenda est saeculi, quo poëta quisque vixit, et morum studiorumque, quae eo viguerunt. Nullum enim poëseos genus est, quod magis sit filia temporis, quam Satira, quae

(1) De fructu ex Horatii, Persii et Iuvenalis lectione percipiendo, pauca tantum infra disputavi, quum de poëtici studii utilitate in universum iam multi accurate atque copiose praeceperint et pleraque, ad illam rem proprie spectantia, sint talia, ut, nisi quis tardissimi sit ingenii, haec facile ex iis, quae de poëtarum illorum virtutibus ac propria indole dixi, colligere possit.

inde depromit argumenta et omnem fere succum atque colorem ducit. Praeterea dispiciendum est, quod cuivis poëtae fuerit ingenium, quae institutio et victus consuetudo.

Lucilius, ut de eo primum quaedam et seorsum dicamus, ab obsessa Carthagine ad initium quinti consulatus Marii, in quo Cimbri et Teutones victi sunt, adeoque ea vixit aetate, qua in dies quidem ardescebat quasi certamen, in quod antiqui mores cum novis, probitas cum improbitate, descenderant, sed virtus pleniore adhuc ore palamque laudabatur et innocentia a multis protegebatur; qua numerus infirmorum aegrotorumque quotidie gliscebat, sed non deerant medici, quorum remedia si non arcerent contagionem pestemque, ex Asia, Graecia et Macedonia importatam, saltem vim eius infringerent; qua adhuc bonis potius quam malis artibus, et virtutibus magis quam nobilitate et divitiis summus dignitatis gradus obtinebatur, et iuvenes virique natalium splendore conspicui bonis exemplis, adspectu imaginum et memoria rerum a maioribus gestarum, ad mores eorum constanter tuendos et ad ea, quae honesta, praeclara et magnifica sunt, sectanda inflammabantur; qua libertas loquendi scribendique nondum vel legibus vel metu tyrannorum praecisa erat, neque magna vel generis vel ordinis ratio habebatur; qua praeterea Romani, scriptis Menandri aliorumque Graecorum exculti, iam paene exuerant rusticam iocorum morumqe asperitatem et linguam suam plane ad Graecam formare coeperant. Idem poëta Laelii, Scipionis aliorumque summorum virorum consuetudine politus, hilari et promto ad iocandum animo et ingenii dotibus egregie a natura instructus erat (v. Horat. Sat. II, 1, 62—74). Hinc illa audacia magnaque verborum libertas, qua Lucilius sensa mentis palam expromit et explicat, neque tam vitia quam ipsos stultos et improbos cuiuscumque generis, loci ac dignitatis vel nominatim insectatur; hinc antiqua eius et vernacula festivitas et sales magis nigri quam urbani, ex auctoribus veteris Graecorum comoediae hausti; hinc incondita orationis asperitas et versus illi, Graeca saepe verba Latinis inserentes, atque limatiores quidem Ennianis, sed minus politi et comti, quam poëtarum, quos Caesaris et Augusti saeculum tulit.

Ab aevo Luciliano multum differebat Horatianum. Statum rei publicae Romanae luxus, avaritia ceteraque vitia, quae una cum divitiis peregrinis immigraverant, in dies magis labefactabant et mirum in modum concutiebant primum Gracchanae,

Drusianae, Apuleianae aliaeque seditiones tribunitiae, mox bella civilia, proscriptiones, dictaturae perpetuae et triumviratus. Mores enim, antea sensim paulatimque lapsi, iam coeperant praecipites ire, et abundantes divitiae atque voluptates pepererant desiderium, per ambitionem atque potentiam audendi perdendique omnia, donec ad ea perveniretur tempora, quibus perditi atque profligati homines non amplius vel vitia sua, vel remedia, quae morbo quidem adhibebantur, sed salutem minuebant, pati poterant, uut ferre libertatem, quae, quum a Caesariano inde Pompeianoque bello ad pugnam Actiacam vel septimum Augusti consulatum velut moriens reluctata esset dominatui, tandem ei cedere cogebatur. Romani cives, qui olim, quamdiu adhuc parsimoniae paupertatique honos steterat, disciplinam severam, inopem duramque vitam, iustitiam aliasque virtutes coluerant, inde a Sullana aetate opum et coacervandarum et profundendarum inexplebili atque insana cupiditate ardebant; mulieresque non minus turpiter vivebant quam viri. Censura non satis severa erat aut efficax, et institutio liberorum perversa, hominibus saepe vilissimis turpissimisque tradita et a parentibus vel plane neglecta vel pravis vitiorum exemplis corrupta. Cicero non uno loco deplorat summam, in quam prima aetas sua incidisset, perturbationem disciplinae veteris, tam publicae quam privatae, cum qua rem publicam potentiamque Romanorum et stetisse et cecidisse sapientissimi viri iudicarunt, et in Orat. pro Coelio c. 17. continentiam dicit aliasque Camillorum, Fabriciorum Curiorumque virtutes non solum non in moribus huius aevi, sed vix iam in libris reperiri; chartas quoque, quae illam pristinam severitatem continuerint, obsolevisse. Exemplum deinde Augusti, Principis magnifici et luxuriosi, maxime vero Maecenatis, hominis otio ac mollitiis paene ultra feminam fluentis (Vellei. II, 88. Iuvenal. I, 66. XII, 39.), opes immensae, ex provinciis Romam confluentes, securitas ac quies imperii, tam diutinis procellis ac turbulentis tempestatibus vexati, exiguas simplicitatis, magnitudinis animi aliarumque virtutum morumque veterum reliquias extinguebant, animosque omnium pronos reddebant ad luxuriam, effeminatum languorem et libidines, quae consiliis Imperatoris novoque civitatis statui quam maxime congruebant, mentem vero abalienabant a studiis severioribus eiusque vires frangebant. Idem Augustus, ut animos civium a sensu libertatis amissae et diligenti mutatae rei publicae consideratione avocaret, ipse autem potentiae securus esset, callido

Maecenatis consilio, servata externa civitatis forma relictisque omnium magistratuum veterum nominibus, commodis, honoribus, omnem ad se trahebat potestatem, et plebem tam congiariorum, quam spectaculorum, munerum ludorumque adsiduitate, varietate et magnificentia in turpem inertiam atque torpedinem resolvebat, homines autem sanioris mentis tum beneficiis honoribusque sibi devinciebat, tum ad studia excitabat artium literarumque, quarum amorem inani laudis cupiditate ductus simulabat. Magna rerum mutatio novam loquendi, cogitandi et agendi rationem inducebat, et in locum liberae vocis, olim vel scriptis expressae, vel toties in concionibus, curiis, foro et rostris auditae, nunc succedebat oratio adulatorum, calumniatorum et servorum, qui se totos ad domini arbitrium nutumque fingebant. Hinc vera eloquentia Cicerone necato obmutescebat, et poëtae tantum non omnes erant imitatores servum pecus. Nihilo tamen secius saeculum Augusti multo melius feliciusque erat extremis liberae rei publicae temporibus. Princeps imperio quietem atque dignitatem civibusque securam bonorum possessionem reddebat, et multa vitia severe coërcebat legibus saluberrimis. Ipse etiam, quamvis in adolescentia dedecorum quorumdam et in triumviratu saevitiae infamiam subierat, postea magnis virtutibus pensabat vitia et clemens erat dominus ac patronus, amicus comis ac fidelis, bonus paterfamilias et Imperator, neque Patris patriae nomine indignus. Idem artes scientiasque fovebat et cives ad virtutem si non colendam, certe simulandam, praemiis poenisque incitabat. Decor itaque et honestas, iudicium et sensus veri, boni ac pulcri, nondum plane exstincta erant, et acuebantur literarum Graecarum studio, quod adhuc vigebat.

Hac aetate (ab a. V. c. 689. ad a. 746.) vixit Horatius, homo hilaris ac suavis, comis et humanus, urbanus et facetus, levis et Veneri Bacchoque non minus, quam Musis carus, fidus et candidus, gratus et officiosus, ingeniosus et doctus, patre nec ingenuo nec claro, sed bono et honesto, adsiduo morum filii custode et rectore virtutumque et praeceptore et exemplo, natus (v. Sat. I, 4, 105 seq. 6, 65 seq.), praeclara praeditus indole, artibus imbutus liberalibus et honestis, familiaritate Graecorum et multo rerum usu subactus, elegantissimorum summorumque virorum consuetudine politus, gratia Caesaris principumque civitatis florens ac tutus, non adsectator eorum vel adsentator humilis et mancipium, nulla philosophiae disciplina

adstrictus, sed modo ex Zenonis, modo ex Epicuri hortis flores decerpens (v. Epist. I, 1, 13 seq.), privatam virtutem, quum nulla amplius publica esset, colens ac praecipiens, fractis Bruti Cassiique opibus et summa rerum ad unum senatus populique consensu delata cedens fortunae et vitam liberam, commodam, nullis vel curarum vel negotiorum publicorum molestiis vexatam, otium liberale securamque mediocritatem sectans, animo, paupertate et gloriae amore ad carmina facienda impulsus.

Post Augustum valde mutabatur rerum status, et libidines vitiaque, pudore et legibus adhuc refrenata, aut clam magis quam palam exercita, vinculis ruptis effuso ferebantur cursu, et vel publica auctoritate exemplisque Caesarum muniebantur. Pessimi Imperatores erant *Tiberius*, homo ad saevitiam et omne genus vitiorum, quae vivis Augusto et Germanico Caesare metu dissimulaverat, natura propensus, qui comitiis populo ademtis, castris praetorianis extra Vrbem exstructis et institutis iudiciis maiestatis delationibusque, quibus maxime innocentes ab eo ceterisque tyrannis opprimebantur, dominationem firmabat; *Caius Caligula*, monstrum hominis, cum ratione insaniens; *Claudius*, ingenio praeditus tardo et uxoribus libertisque addictus; *Nero*, sceleribus non minus infamis, quam ineptiis; *Galba* avarus; *Otho* mollis et delicatus; *Vitellius* saevus, ignavus et non profundae modo, sed intempestivae etiam ac sordidae gulae. Quo occiso res publica ex tanta quasi fluctuum iactatione in tranquillum quidem redigebatur frugalitate *Vespasiani* et liberalitate *Titi*, amoris atque deliciarum generis humani; sed mox avaritia et crudelitate *Domitiani* iterum profligabatur, neque ferre poterat munificentiam et mansuetudinem *Nervae*, quae contemtui habebantur. Nova ei lux affulgere coepit inde ab a. V. c. 850. regnantibus *Traiano* et *Hadriano*. Ille libertatem ac salutem, securitatem atque otium universis et singulis reddebat, et imperium tam bene et clementer administrabat, ut senatus decreto et consentiente omnium voce *Optimus* appellaretur: hic legibus civitatem condebat, provincias et literatos liberalitate sublevabat, iudicia, rem militarem disciplinamque diligentissime constituebat. In illo temporum rerumque statu, ante Vespasianum et Nervam, vix umbra vel frugalitatis, pudoris, magnitudinis animi aliarumque virtutum pristinarum, quibus nec honor nec pretium erat ullum, vel metus legum, libertatis atque religionis, relinquebatur, et vigebant omnia vitiorum genera, nec minus prorupta audacia deorumque contemtus, quam servile obse-

quium et anilis superstitio. Honores non virtutibus meritisque patebant, sed vel divitiis et nobilitati, vel sordibus artibusque inhonestis. A studiis severioribus plane abhorrebant hominum ingenia, quum luxuria atque libidines non corporis tantum, sed animi etiam vires vigoremque omnem exstinguerent. Qui philosophorum nomen et munus profitebantur, si Senecam et Cornutum Stoicos, aliosque admodum paucos exceperis, vel voluptatum illecebris capti Aristippi et Epicuri, vel disputandi tantum cupiditate ducti Academiae disciplinam sectabantur, vel sola vanae ostentationis causa Stoicorum praecepta et gravitatem, non vita et moribus, sed verbis, barba, supercilio, vestitu et victus asperitate exprimebant, vel denique nulli sectae addicti, apum instar, quae arriderent, undique delibabant. Eloquentia, libertate primum et deinde comitiis populi a Tiberio sublatis mutatisque moribus ac studiis, a lumine forensi et causarum tam veritate quam gravitate ad iudicia centumvirorum, ad adulatorios panegyricos in senatu habendos et ad scholarum umbram fictarumque causarum simulacra traducebatur, et sic omnis oratio a naturali pulcritudine ac veritate, a simplicitate, gravitate et sublimitate, ad rhetorum subtiles argutias et puerilem in dicendo ornatum, ad quaesitam quamdam elegantiam et verborum luxuriem, robore nervisque destitutam, ad inanem doctrinae ostentationem affectationemque artis deflectebat. Poëtica oratio, vis et facultas a natura, ingenio rectoque iudicio, a quibus tota pendet, ad artem et praecepta, quae sine illis parum valent quaeque sensum verum ac pulcrum, acrem et acutum, alere quidem et regere, non vero in illis, quibus a natura denegatus est, gignere et excitare possunt, iam exeunte saeculo Augusteo devertebat, et exinde magis vana eruditione atque Asiatico tumore vel iciunitate, ornatus verborum phrasiumque aucupio et variatione, servili imitatione aliorum et frigida sermonis ubertate, transitionum audacia et inversionum duritie, dialectico sententiarum acumine rerumque obscuritate et amplificatione, comparationum, figurarum troporumque multitudine et insolentia, verborum vel antiquorum obsoletorumque sectatione, vel vulgarium perplexa structura, declamatoria vanitate et prolixis sine succo ac sanguine disputationibus, quam naturae simplicitate ac venustate, genuino urbanitatis veritatisque colore, nullo fuco illito, ingenii ubertate atque elegantia quadam admirabili, inventionis pulcritudine ac novitate, imaginum veritate et proprietate sententiarum ac verborum, argumenti exquisito delectu

et scita tractatione, apta serie et collocatione rerum et orationis ad eas accommodatione continebatur. Haec corrupti sermonis indoles, haec oratorum poëtarumque oratio, consentanea erat genio illius aevi, quo homines in dies magis a natura recedebant, eorumque ingenia non amplius diligenti Graecorum lectione et accurata humanae naturae rerumque cognitione alebantur, sed grammaticorum rhetorumque, stolidorum plerumque inanis doctrinae ostentatorum, institutione praepostera et assidua declamandi recitandique consuetudine formabantur. (1)

His temporibus vixere Persius, qui annos vix duodetriginta natus obiit nono imperii Neronis anno, et Iuvenalis, qui octogenarius ab Hadriano in Aegyptum missus et paulo post mortuus est. Ille, Volaterris in Etruria nobili genere natus opibusque magnis innutritus, postea Romae disciplina usus est Palae-

(1) Digna sunt quae iuvenum causa adscribantur verba Petronii Sat. pr. » Num alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant: — Haec vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi? — Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut, quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quiă nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident: sed piratas cum catenis in litore stantes et tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant; sed responsa in pestilentia data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. Nondum iuvenes declamationibus continebantur, quum Sophocles aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum Pindarus novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne poëtas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa isthaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit, simulque corrupta eloquentiae regula stetit et obmutuit Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani coloris enituit; sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere cet. »

monis primum grammatici et Verginii Rufi rhetoris, ab anno autem aetatis decimo sexto Annaei Cornuti philosophi Stoici, cuius lateri adhaesit perpetuo. Fuit verecundiae virginalis (si Suetonio vel auctori vitae eius fides habenda) mentis generosae et ad severitatem pronioris, morum sanctissimorum, uni aequus virtuti et constans vitiorum hostis, sed felicior forte Zenonis et Chrysippi, quam Lucilii et Horatii imitator. Satirae eius non, ut Horatianae, mox in vulgus edebantur, sed singulae amicis tantum, quibus eadem erat mens et de quorum fide ipsi constabat, Cornuto, Basso, Plotio Macrino et aliis, innotescebant et omnes eo demum mortuo divulgabantur, quam ob causam libere poterat scribere, quidquid indignatio dictaret. Iuvenalis nulli, ut Horatius, philosophorum sectae fuit addictus, nec inferior ingenio ac superior forsan exquisita rerum cognitione atque doctrina, sed affectator nonnumquam artis, quam diu diligenterque in rhetorum scholis exercuerat. Idem non funesta tantum rei publicae tempora vidit, sed felicia quoque, quibus ea ex diuturno quasi morbo a Vespasiano primum ac Tito, et deinde a Nerva, Trajano et Hadriano, remediis interdum vehementioribus recreata, omnibus fere partibus convaluit: unde satiras quoque, quas iuvenis scripserat et diu ne modico quidem auditorio committere ausus erat, tum in vulgus tuto edere, tum politius limare potuit.

Ex his, quae de temporibus, ingeniis, studiis moribusque Horatii, Persii et Iuvenalis diximus, facile vel colligi vel explicari possunt virtutes et vitia eorum tam communia, quam cuivis propria, quae nunc eadem brevitate recensebimus.

Triumviris quidem illis consilium commune erat cum omnibus poëtis satiricis: et docere et delectare moresque hominum tamquam in picta tabula adumbrare, sed varia ratione, pro temporum ingeniorumque diversitate, conabantur. Nam Augusti aetate, rebus adhuc laetis et imperio legibusque vigentibus, ridere licebat; Neronis vero et Domitiani temporibus, quum omnia pessum irent, vitiaque in praecipiti iam starent et acribus aut violentis egerent remediis (v. Iuvenal. I, 45 seq. 63 seq. 73 seq. 147 seq. II, 25 seq. 121 seq. 162 seq. III, 150 seq.) risu parum proficiebatur, et probi sapientisque hominis mens angebatur dolore, qui diu alteque pressus ad indignationem et iram exardescebat. Praeterea Horatii ingenium elegantissimorum principumque virorum familiaritate subactum, ad hilaritatem propensius erat, quam ad gravitatem. Idem quoque censoriam forte

acerbitatem ipse reformidabat; et vario rerum usu intimaque naturae humanae cognitione imbutus didicerat, tum erroribus et animi vel levitate vel infirmitate plura, quam eius pravitate, gigni vitia, tum facilia remedia saepe salubriora esse et efficaciora vehementibus, tum satius esse, tempori servire et mores hominum humaniter patienterque ferre, quam nimis acrem eorum animadversorem indicemque severum esse, et sic potius se stultis, quam hos aliis deridendos propinare (Cf. ei. Sat. I, 10, 7-15.) Quae quum ita essent, Horatius non tam vitia notat, quae publice adhuc coërcebantur, quam stultitiam et errores humanos, qui poenis non tenentur. Neque id potissimum agit, ut hominibus huius aevi vel ruborem eliciat, vel vitae officiorumque praecepta subtiliter graviterve inculcet, quam ut eos scita, venusta ac iucunda ratione convincat, ipsos non tales esse, quales videri cupiant, neque iis, qui sapiant, imponere posse vel fraudem facere. (1) Hinc etiam stultos fere et ineptos homines, velut aliud agens, ridet, malos vero pugione magis pungit aut stringit, quam alte vulnerat. Quin, ut maiorem sibi iustioremque alios carpendi libertatem vindicet, sibi ipse non parcit, nec melior, quam est, videri cupit. -- Persius errores

(1) » Vitia immania notare suum non erat, sed philosophiam illam, quam non doctorum formulis, sed multa rerum experientia sibi comparaverat et quae in omnibus vitae partibus plus utilitatis habet, quam omnium philosophorum scrinia, cum aliis voluit communicare, praeceptaque sua in hominum animos cum eorum voluptate inducere: voluit docere, instruere, errores, quibus animi opprimerentur, evellere, opiniones hominum pravas et temere acceptas tollere, aut emendare, rationem, qua optime, secure, tranquille, honeste et cum voluptate vivere possis, ostendere, et haec omnia ita, ut nulla magistri severitate, nullo philosophi supercilio, nulla docti cuiusdam ostentatione offenderemis, sed ut amico ludenti, aut potius veritati ipsi, habitu cultuque simplici et amoeno, multa cum urbanitate loquenti, operam dare tibi videreris. Ex hoc consilio et ratione, qua id persecutus sit, si eum iudicaveris, palmam sane omnibus, qui in hoc genere eum secuti sunt, praeripiet, non quidem Iuvenali, qui aliud et plane diversum consilium alia et diversa ratione persecutus est. Non magis verum illud videtur: Horatianam rationem, ridendo scilicet errores corrigendi, meliorem esse, quam qua Iuvenalis usus sit, ut in invidiam vitia adduceret indignationemque moveret, sed Horatium, quod sibi proposuerit, non tam bene adsecutum esse, quam Iuvenalem, qui feliciori successu in suo genere usus sit; illum nempe raro risum movere potuisse, hunc semper indignationem excitasse. « Ita iudicat Koenig de Sat. Rom. p. 62.

ad Stoicorum placita, vitiaque ad rigidae virtutis regulas exigit, et vel iuveniliter ac generose ardet, vel morose atram bilem effundit. -- Iuvenalis sive graviter praecipit virtutem et severi monitoris partes agit, sive, ira et indignatione inflammatus, in ipsa plerumque vitia invehitur, vel scutica caedens, vel tollens cachinnum. (1) Acrimoniam vero Archilochiam saepe temperat risu et gravitatem comitate condit. Virus quoque acerbitatis in primis potissimum satiris evomit; in iis, quae viri aetate provectioris maturiorisque ingenii fetus videri possunt, irae aestus fere deferbuit et frigori cessit declamationis: in his etiam rarius singuli, et dente minus maledico acutoque carpuntur, ut in Horatii epistolis.

Persius praecepta ac tela tantum non omnia ex porticu petit et schola: Horatius et Iuvenalis ex philosophia vera et populari, quae ex multa rerum experientia atque interiore generis ingeniique humani cognitione hausta est, et ad praesentem vel animi sensum, vel rerum conditionem, vel indolem argumenti se et iudicia sua componit. Ille caeco vitae ac disciplinae Stoicorum amore captus non videt, quid in hac vel illa displicere possit: his philosophorum, praecipue Stoicorum Cynicorumque, mores, habitus, paradoxa, argutiae, arrogantia, dissimulatio aliaque vitia largam ridendi irascendique materiam praebent. Illius argumentatio est subtilis et acuta, nec alte in animum descendens, horum simplex, ad uniuscuiusque captum usumque accommodata, ab ipsa veritate suggesta, menti penitus infixa haerens et eam suaviter afficiens. Horatii praeterea philosophia est illa vitae, quae docet, potentiam, divitias, externum splendorem et vulgaria hominum studia contemnere ac deridere, nil admirari, h. e. valde vel metuere vel cupere, tranquillitatem mentis, otium et mediocritatem securam hominis, non in aula, sed in recessu libere ac sibi viventis, summorum honorum loco putare, rebus suis, etiam exiguis, contentum esse, praesentibus laete frui, non

(1) „Quum inter eos homines viveret, quorum animi vitiorum diuturnitate callum iam duxerant ingeniaque obtusa erant luxuria: urbanitate et facetiis, quae Horatium nobilitaverant, iocisque subtilibus et acutis vix poterat uti. Accedit, quod is, quem indignatio, ex sceleribus, improbitate et turpitudine orta, instigat, nihil potest suspenso brachio notare, nihil facete illudere; in summam invidiam contra adducit, quae vituperanda sunt, et risus lenis et iucundus, quo ab animi permotione liber usus fuisset, nunc in cachinnum abit.” Koenig De satyra Rom. pag. 87.

sollicitum de futuris, vel externis obnoxium esse, neque extra, sed intra se veram quaerere felicitatem, fortunam a Deo petere et a se ipso sumere sapientiam animique aequitatem.

Horatius, ut lectores et suavius afficeret et vehementius, multis satiris vel epistolarum vel dramatici carminis formam induit. Vtramque rationem sequuti sunt Persius et Iuvenalis. Sed ut taceam, ab his unam tantum alteramque sententiam et argumenti partem, numquam vero illud totum in drama et actionem converti, Persii dialogus poëticae similior est figurae, quam, ut Horatianus, vividae rerum repraesentationi, quae magna sententiarum varietate, gratia ac novitate, ingenioso personarum delectu et insigni earum cogitandi loquendique proprietate mirifice delectat. Iuvenalis saepius docentis aut declamantis partes sustinet, quam alios colloquentes inducit: huius tamen artis Horatianae defectum compensat vividis rerum imaginibus, sententiarum veritate et gravitate dictionisque proprietate. -- Ab iisdem poëtis, sed a Persio et Iuvenale saepius, quam ab Horatio, induci solent adversarii, ne ficto quidem nomine insigniti. Quae ars non est, quod nobis displiceat: nam pulcrior est imago et efficacior, quae personis animatur. Enimvero multa occurrunt loca, in quibus non satis manifestus est dialogus et in dubio positum, utrum verba, quae leguntur, sint adversarii aliquid opponentis, an poëtae ironice loquentis. - Quod ad epistolas attinet, Horatianae maxime excellunt urbanitate, argumenti praestantia et eximia arte, qua easdem saepe res varia ratione tractat, lectores diversis excursibus observationibusque vel delectat vel docet, utile dulci miscens, sensus suos sive tectius expromit sive liberius, et eos, ad quos scribit, laudat vel carpit, et hortatur vel dehortatur. Idem Horatius satiras epistolasque notissimis plerumque et clarissimis inscripsit viris, Persius et Iuvenalis ignotis fere et obscuris. Illud plurimum facit ad fidem et auctoritatem augendam; hoc vero temporum diversitati tribuendum est, neque poëtis vitio dandum. Multi praeterea homines, nominibus tantum noti, eorumque stultitia aut turpitudo a triumviris illis uno fere alteroque verbo, a Iuvenale vero passim copiosius notantur. Hac ratione nonnumquam vis satirica minuitur; illa tenebrae multis obducuntur locis, ad quorum sententiam penitus perspiciendam plurimum refert, bene nosse homines ac res, de quibus agitur. Obscuritas tamen haec, ex ignorantia multarum rerum, ad quas latenter alluditur, profecta, omnibus poëtis satiricis est communis, neque vitio iis vertenda, quippe

qui suis potissimum popularibus scribunt, quibus multa sunt notissima, quae nos ignoramus. (1) -- Ceterum in Satiris et Epistolis Horatii non levis conspicitur et formae, et argumenti, et orationis, et ipsius denique metri disparilitas, de qua *Morgenstern* V. C. in singulari libello a. 1803 edito docte disseruit, et Ill. *Eichstadius* in Epistola ad Astium, huius comment. de Platonis Phaedro (Jen. 1801.) adnexa p. 168 seq., praeclare ita disputat: « Quod ad *formam* attinet, epistola quum certae personae, aut verae, aut fictae, ab auctore scribatur; necesse est, omnem orationem componi conformarique non modo ad huius, qui scripsit, sed in primis ad illius, cui scripta est, animum, mores, tempora, externam conditionem; earumque rerum omnium tantam cerni in toto carmine vim, ut non magis argumenti, quam personarum ratio habeatur. Horum nihil quicquam in Satiris apparet: quae etiam si cuiusdam nomini inscribantur, tamen inscriptio non nisi pro dedicatione est, quae argumenti tractatione nihil afficiat. Sed quae certam et constantem habet formam Epistola, eadem in *argumento* varia reperitur et inconstantissima. Quippe huius copia et varietas nullis terminatur limitibus, nisi qui ab ipsa natura poeseos constituti sunt. Quaecumque enim materiem praebent vulgaribus epistolis, ea, nisi poëticam expositionem prorsus respuant cultaque ornamentis nitescere nequeant, Epistolarum poëticarum scriptori patent. Hae reduci omnes commode possunt ad tres potissimum species; quarum una est Epistolarum didacticarum, altera elegiacarum, tertia iocularium. Ad illam didacticarum speciem per-

(1) Iam e satiricis nostratibus, qui Romanos passim secuti sunt, quique, quum de rebus loquantur quotidiano usu tritis, faciliores intellectu nobis sint necesse est, coniectura possumus assequi, quam multa in Horatio non solum, verum etiam in reliquis occurrant, quae, etsi animum nostrum in nullam partem nunc quidem moveant, in popularium mentes magna vi egerint, siquidem in ipsis verbis, quae adhibentur, in eorum flexu et collocatione aliqua vis latere possit, quae, quum rerum, ad quas tecte allusum sit, ignari fuerint, vel veterum grammaticorum sagacitatem, nedum acumen recentiorum interpretum, qui saepe tamen plus videruut quam veteres, penitus praeterierit. Quid? quod in nonnullis locis plus sensu, non illo quidem satis explicato, percipere nobis videmur, quam verbis declarare possumus. Quibus tamen rebus indagandis, si in antiquis monimentis nihil sit, quo nitaris, non magnopere indulgendum censeo, ne in ineptiarum et somniorum campum, in omnes partes late patentem, phantasiae impetu deducaris, unde exitus haud est in facili. » Koenig de Sat. Rom. p. 95.

tinent morales seu ethicae, quales Horatius composuit. Earum omnino est instruere homines et docere, praecipere virtutem ad eamque amplectendam et colendam excitare. His moralibus Epistolis (nam reliquae nihil ad h. l.) quamquam propinquae sunt Satirae, propinquiores apud Horatium, qui et urbanissime vitia carpsit, et in virtutum commendatione cum illorum levi vituperio socianda mirabile temperamentum adhibuit: tamen Satirarum omnis vis non docendo et monendo, verum ridendo et increpando expromitur, si quidem in eo versantur, ut vitiorum vel graviorum turpitudinem, vel leviorum ridiculam stultitiam notent, redarguant, castigent. Vnde duplex earum genus enascitur: unum hilarium ac festivarum, quas Venusini vatis elegantia lusit; alterum tristium et austerarum, quibus Iuvenalis Persiique ira se armavit. Denique quemadmodum materies horum carminum diversa est, ita et *orationis* color ratioque *metrorum*. In Epistolis enim gravitas elucet Philosophi, qualis decebat Horatium, et virum, et verae sapientiae studiosum: in Satiris levitas apparet Comici, qualis a poëta iuvene exspectabatur, iuveniliter exsultante poculisque et puellis adhuc idoneo. In illis metrorum adstrictior lex; in his numerorum solutissima negligentia. In Epistolis non Socraticae solum philosophiae sparsa sunt semina, sed illa quoque Socratis, certe discipulorum eius, lepida quaedam cum urbanitate de rebus ad mores et officia spectantibus disputandi ratio adumbrata agnoscitur. Ad Satiras contra referri debent, quae vel de Comoediae veteris dicacitate, ab Horatio expressa, vel de mimico morum imitandorum artificio, vel de felici Lucilianorum lusuum emendatione passim, sed promiscue disputavit Astius in libro supra laudato.» Eiusdem libri auctor bene docet cap. 3, vestigia Platonicae imitationis praecipue reperiri in Horatii Epist. ad Pisones (de Arte Poëtica), et in hac omnia eo redire, ut falsa, quae tunc percrebruerint, de poësi iudicia (ut de arte rhetorica in Platonis Phaedro), modo iocando, modo serio docendo refellantur, et perstringantur tum poëtae, sine ingenio et doctrina poësin attingentes, tum vani eorum laudatores; cetera vero his inserta non nisi episodia esse.

Praeter dramaticae compositionis artificium etiam aliud, idque non minus ingeniosum gratumque, Horatio paene proprium est in rerum inventione ac dispositione, etsi magis negligentia, quam ars esse videatur. Plerumque enim idonea occasione, a tempore aliquo, vel loco, vel personis, vel cura et cogitatione,

in qua versatur, suppeditata, et dissimulata ridendi castigandique voluntate, obliquis orationibus et velut longe aliud agens, errores ac vitia carpit, res varias et sponte subministratas persequitur; missilia inopinato spargit, imprudentes adoritur ex insidiis, subitos obliquosque dat ictus, amoena loca negligenter ac libero cursu pervagatur, saepe de via declinat; quam modo inierat, et vel certum finem consiliumque haud sequi videtur, vel ad metam, si qua ei est, longis ambagibus flexibusque diversis lente contendit, ita ut plurimae eius satirae imaginem exhibeant ambulationis, in qua quaelibet loca devia ὡς ἐν παρόδῳ oculis perlustrantur et omnis via est recta. Persius et Iuvenalis nonnunquam quidem Horatium etiam hac in re imitati sunt, sed plerumque more philosophorum rhetorumque unam tantum thesin explicant, et recto itinere dirigunt cursum, quo contendunt, raro a via aberrantes: negligentia enim Horatiana, quae in iocoso dicendi genere mirifice nos delectat, a graviore ac sublimi oratione aliena est. Illius satirae sunt poëticae pertractationes propositionis philosophicae, huius vero thematis rhetorici; doctae quidem et interdum ingeniosae, quae tamen magis se commendant arte, qua singula pertractantur, quam poëtica inventione, qua prorsus carent illae, in quibus varia tantum unius hominum generis vitia recensentur, v. c. mulierum in sexta satira Iuvenalis.

In sententiarum nexu rerumque ordine et collocatione Horatius non modo negligentiam, eamque gratissimam, ostendit, sed summam quoque artem, quam tamen sedulo dissimulat. Tam naturali enim arctoque vinculo omnia constricta, tam mirifice alia ex aliis apta et nexa sunt, tanta facilitate oratio currit ac fluit, tam scite extrema cum primis et partes cum toto cohaerent, ut sine insigni totius ordinis perturbatione vix quidquam vel transponi possit vel omitti, utque dubius sis, utrum singula casu ac sponte sint oblata, vel nata repente et sine studio ac cura ceris mandata, an diligenter ante excussa et quaesita vel praemeditata. Persii contra oratio passim nos abrupto dicendi genere, audacibus et insolitis transitionibus inversionibusque duris offendit et saepe ad aliena delabitur. Iuvenalis singulas quidem partes magis declamatorio more ac ordine, accurate nonnumquam (v. c. in Sat. X.) prius designato, copulavit et alias aliis subiunxit, quam nexu artificioso inter se implicuit, sed easdem summa cum arte velut in tabula depinxit et exornavit.

Descriptiones, similitudines et exempla Horatii ad summam fere rei spectant et delibant potiora, primis tantum ac praecipuis, ut in ichnographia, lineis ductis. Eadem aptissima sunt, et non vulgares modo res ac notiones, sed subtiles quoque et philosophicas, egregie illustrant, oculis sensibusque subiiciunt et confirmant. Persius in iis saepe vel sectatur anxie minuta, vel aliena immiscet, et magis in partibus exornandis amplificandisque, quam summa rei declaranda, occupatus est. Iuvenalis errorum scelerumque imagines ardentissimis plerumque pinguissimisque coloribus adumbrat, et in his eximiam artem gravitatemque, in descriptionibus insignem rerum cognitionem, varietatem ingeniique aciem, in exemplorum delectu iudicium subtile, in eorum copia exquisitam doctrinam, sed in figuris exornandis nimiam interdum curam ostendit: ita ad vivum resecat omnia, etiam turpissima, et nihil praetermittit, quod vel ad vividum odium; vel ad cachinnum commovendum valere queat.

Horatii genus dicendi vulgare quidem et tenue (*Musa pedestris* et *sermones per humum repentes* vocantur Sat. II, 6, 17. et Epist. II, 1, 250.), sed tersum, naturale, elegans, purum, rebus ad vitae communis usum et consuetudinem pertinentibus aptissimum, fluens aequabiliter, prae se ferens felicissimam facilitatem, et inexplicabili quadam venustate, gratia et simplicitate conspicuum: Persii grande, tropis refertum, artificiosum, vehemens, minutum, aridum, concisum, durum nonnumquam et saepe obscurum: Iuvenalis doctum, acre, copiosum, pro rerum diversitate varium, et hinc modo facetum, modo grave, modo sublime, modo remissius, at numquam humile. (1) Horatii versus fluunt illaborati et sine arte ac studio

(1) Koenig l. l. p. 96. »In Persio, inquit, et Iuvenale, quo longius a vulgari consuetudine dicendi recedunt, eo magis verborum exquisita ratio et delectus in oculos incurrit. Et ille quidem irae et indignationi tantum tribuit, ut saepe, quum gravissima quaeque aucuparetur, ad tropos delatus sit, tam longe petitos, ut rationem eorum ipse animo magis placido vix probasset, adeoque huic rei indulsit, ut vel pudoris sui, quem alias summa cum cura praestare studuit, modo vehementiam sensui suo ardenti consentaneam assequeretur, rationem habuerit nullam. Non tam impotens sui Iuvenalis est, quamvis impetu feratur non minori, et sermonis ingenio raro vim infert, quamvis ipsis nominibus, quae rebus imponit, aut in summam invidiam eas rapit, aut subsannationi acerrimae exponit. Ac, quod rerum cognitionem summam, doctrinam non

scripti videntur, Persii vero et Iuvenalis maiore cura expoliti, numerosiores et concinniores sunt.

Horatio propria est venusta urbanitas et faceta illusio, Persio gravitas Stoica, Iuvenali austeritas et sarcasmus Archilochius. Persius, qui et natura et institutione totus ad severitatem factus erat, non ridet, sed vel conviciatur, vel inscitos frigidosque immiscet iocos, etsi se profitetur *cachinnonem petulanti splene* (Sat. I, 12.), et operam dedisse videtur, ut styli Luciliani nasum, vim et inconditam asperitatem Horatiana venustate et elegantia temperaret. Iuvenalis sales saepe non minus urbani sunt et faceti, quam Horatiani, et nonnumquam per totam orationem fusi ac sparsi (v. c. in Sat. IV. et dimidia Sat. XII.), plerumque vero vel amari et venenati, vel ad cachinnum, non risum, movendum apti, vel obscoeni. Lepidi eius ioci spectant praecipue ad vanitatem vel religionis vulgariumque de natura Deorum sententiarum, vel fabularum poëticarum, quarum deridendarum nullam praetermittit occasionem. Cf. Sat. I, 81 seq. II, 31. 130 seq. IV, 34 seq. VI, 59. IX, 63 seq. X, 246. 314. XII, 23. XIII, 34—52. 76 seq. 112 seq. XIV, 261.

vulgarem et studium in expoliendis suis satiris insumtum declarat, in ipsa verborum ubertate, quae maxima est, nullum fere otiosum deprehendes, nullum non propria et singulari vi praeditum, qua in illorum coacervatione vel plenior et significantior rei notio exprimitur, vel fortior et efficacior designatur." Idem p. 88. "Faciliori negotio artem Horatius, ut fecit, poterat dissimulare, quum rerum natura, in quibus versabatur, sermonem quotidianum non solum admitteret, verum etiam postularet. Altius insurgenti Iuvenali vitiorum immanitas id non permisit: cothurno erat ei, ut in tragoediis, incedendum, sermoque gravior ab epicis mutuandus, quo plerumque etiam apte, raro ambitiose et putide usus est. Quin ipsa loquendi ratio sublimis et verborum pompa, in rebus abiectis et insigniter turpibus adhibita, miram vim habet et efficacem ad animum lectoris vel ad odium invidiamque torquendum, vel ad eumdem ipsa rerum vehementer inter se discrepantium copulatione risu concutiendum. Ad epicum sermonem pertinent locorum et temporum designationes, Sat. III, 25. 118. 299 seq. IV, 40. 60. V, 23 seq. VI, 83. X, 168. XIII, 40 seq. XIV, 240 seq. notiones rerum fortiter expressae, ut sceleris conscii III, 49. simulatoris II, 3. timiditatis XIV, 199. pubertatis XIV, 216. indignationis XIV, 325. sterilitatis V, 138. contemtus I, 131. tironis V, 153. calumniantis III, 122. camerae sub tegulis III, 201 seq. somniantium III, 238. properantis V, 19 seq. pecuniae VIII, 61. nobilitatis XIII, 241. caecitatis XIII, 249. res in maius elatae I, 42. III, 308 seq. IX, 54 seq. Nonnumquam ex illa ipsa epica ratione ridiculum nascitur III, 7 seq. ubi ad pericula Vrbis poëtae recitantes adiunguntur."

Horatii et Iuvenalis satirae redolent et spirant illam ingenii ubertatem et fecunditatem, quae vel ipsa novi quid parit, et intentata ab aliis tentat, vel inventa aliorum sui facit, ingeniosis non minus ingeniose utens, rudia autem et inchoata poliens, ornans, perficiens. Persius utraque prorsus fere destitutus erat: permulta Horatio accepta refert, et, si Cornuti aliorumque Stoicorum scripta ad aetatem nostram pervenissent, plura haud dubie vestigia, ab eo pressa, deprehenderemus.

Quod ad sententias attinet, Horatius facete, prudenter, callide et amice suadet; Persius argute philosophatur, rerum pondera saepe minutissimis sententiis frangens; Iuvenalis vel graviter dissuadet, vel virus acerbitatis suae evomit, at nonnumquam inanem artis doctrinaeque ostentandae cupiditatem prodit et friget, nimis sectans orationis luxuriem (v. c. Sat. IX, 102 seq. X, 218 seq. XI, 137 seq. XIII, 23 seq. 34 seq. 40 seq. 62 seq. al.) et rhetorum argutias: quae tamen acuta dicta valde admirabatur Scaliger.

Sententiis salubribus, ad vitam bene, honeste, feliciter atque iucunde agendam et ad amorem virtutis vitiorumque odium gignendum pertinentibus, refertae sunt tum poëtarum illorum satirae, tum Horatii potissimum epistolae, maturioris ingenii fetus. Omnes istae tum veritate, tum praestantia et utilitate quam maxime se commendant. Horatius tamen eas naturali quadam simplicitate, Persius rigore, acumine et subtilitate, Iuvenalis gravitate orationis exprimere solet. Ceterum propter horum praecipue praeceptorum multitudinem et praestantiam satiricorum poëtarum lectionem utilissimam esse, vix est quod moneam. Ea profecto a poëtis comprehensa versibus multo magis et tenebunt delectabuntque lectorum animos, et diutius in memoria haerebunt, quam si ea ex ethico libro, vel tenuiter vel subtiliter scripto, perceperint, aut morum praeceptorem ea docentem et explicantem audiverint. Dici autem vix potest, quantopere illis, memoriae infixis et tempestive in eam revocatis, mens vel caris confecta confirmetur, vel ira aliisque affectibus turbata contineatur.

Ex his, quae supra de Horatii, Persii et Iuvenalis satiris earumque virtutibus disputavimus, facile intelligitur, plurimum utilitatis ex earum lectione percipi posse, eamque non modo ad ingenium multiplici doctrina variarumque rerum cognitione excolendum et mollius, suavius facetiusque reddendum, ad iudicium acuendum, ad sensum veri, pulcri, venusti et honesti

alendum, ad mentem admirationé ac voluptate perfundendam, ad mores tam Romanorum illius aevi, quam universe hominum penitus cognoscendos, ad venustam urbanitatem, naturalem simplicitatem, gravitatem aliasque et orationis et vitae artes discendas, ad diversam sermonis indolem percipiendam, sed etiam ad mores animosque fingendos, ad veram utilemque philosophiam vitae huiusque bene, suaviter, tranquille, secure transigendae artem imbibendam, et ad amorem virtutum odiumque vitiorum, argumentis exemplisque propositis, inspirandum et concipiendum, maximam omnino vim habere. Satirae horum poëtarum et Horatii potissimum epistolae, pulcerrimis locis, sententiis, imaginibus et descriptionibus, praestantissimis philosophiae, morum ac vitae praeceptis, diversis facetiarum et sermonis generibus, multarum rerum, scitu non minus gratarum quam utilium, copia variisque orationis et poëseos artibus in inveniendis, disponendis, connectendis et ornandis rebus, in sententiarum ac verborum delectu, abundant; et dignae omnino sunt, quae ab unoquoque, qui non modo sapere plus quam plebs, sed honeste etiam et iucunde vivere cupit, diligenter ac studiose per totam vitam legantur. Quidquid autem vitii vel aetas vel auctorum institutio iis adspersit, facile id poterit vitari non tantum a viris, quibus subactum est iudicium et pectus sapientia munitum, sed etiam a iuvenibus, modo non obtuso sint ingenio aut idonei praeceptoris ope et consiliis destituti. Levia quoque illa vitia poëtae satirici tot tantisque redemerunt virtutibus et tanto plura habent, quae utilia et praeclara, quam quae vituperanda vel ignoscenda saltem videri possint, ut plus et voluptatis et fructus ex illorum, quam ex aliorum scriptorum, tam veterum, quam recentiorum, lectione ad nos redundet. Quantopere itaque eos Romanis, illo aevo viventibus, et placuisse, et profuisse putabimus? Nam satirici poëtae, qui mores describunt saeculi sui suorumque popularium et aequalium, horum quoque animos quam maxime percutiunt.

Quid vero? nonne nimium risus facetiarumque pretium est, si honestatis probitatisque impendio constant? Iam dudum enim audire mihi videor paulo rigidiores morum censores graviter obscoena illa, tamquam ea, quae pudorem offendant et noceant morum castitati, damnantes, et Persium, qui ab iis, si quartam exceperis satiram, abstinuerit, Horatio propterea et Iuvenali anteferentes. Verum enim vero salva res est, iamque multi cau-

sam famamque horum poëtarum propugnarunt et in his nuper Cl. Koenig (de Sat. Rom. p. 96 seq.), cuius verba nunc mea facere, et aliorum observationibus infra in notis adiectis firmare liceat, ne horum scrinia compilasse videar. Haec autem sunt, quae ille disputavit:

« Ab instituto meo non videtur alienum, paucis ea attingere, quae multos graves viros nimiumque in iocis religiosos a Romanae satirae auctoribus legendis non tam solent deterrere, quam ad eos iuventuti commendandos segniores reddere; (1)

(1) Hos ita refutavit Fr. Gottl. Barth. in Praefat. ad Propert. p. VI seq. »Serio credimus, etiam adolescentibus lectione librorum paulo licentius scriptorum (a quibus eos frustra retinere conamini, O boni! nituntur enim in vetitum) interdicendum non esse. Ac primo quidem fateor, mihi quodlibet antiquitatis fragmentum, quod e communi literarum naufragio servatum et ad nostra tempora transmissum fuit, gratissimum omnique veneratione dignissimum videri. Id si sit eiusmodi, ut in rebus turpibus, quantum quantum est, versetur neque praeterea quidquam efficiat aliud, quam pruritum libidinis ut excitet adeoque iuvenum animo certissimam per se pestem afferat, manum non verterim, si quis eiusmodi librum iuvenibus eripiendum et quasi vi extorquendum clamet ac pertendat. Sed idem si liber in quibusdam modo locis bonis iuvenum moribus officere posse videatur, praeterea vero multa praeclara, graviter, ornate, venusteque dicta contineat, quae vel severissimi Catones legant, nae maxime et iniurii talis in libri foremus auctorem, et iuvenum rationibus pessime per nos consultum fuisse quilibet opinionis praeconceptae vinculo non constrictus iudicaret. — Sed fac etiam iuvenes eiusmodi loca obscoena legere, haec non erit nostra culpa. Neque enim aut ipsi illa scripsimus, aut commentariorum luce collustravimus. Poëta igitur ipse causam dicat suam et se partim religione sua, partim moribus saeculi, quo vivebat, defendat; nobis, qui eius interpretamur scripta, de eo quidem non adeo laborandum videtur. Neque tamen video, quid rerum cognitio turpium probo iuveni virtutisque verae amanti, detrimenti possit afferre, praesertim ab homine gentili, a veri Dei cultu alieno percipienda. Nam mala quidem nosse, nec tamen ea probare, usque adeo vitiosum aut reprehendendum non est, ut potius is demum nomen ac dignitatem hominis virtute praediti sustinere tuerique mihi posse videatur, qui cuncta mala atque illecebras eorum omnes cognorit, et nihilo tamen secius recte facta honestatemque totis viribus animoque toto complectatur eiusque se pulcritudine delectet unice Virtutis verae custos rigidusque satelles. Eiusdem sententiae fuit Ianus Gebhardus, antiquior Propertii editor. Praetextatis verbis, inquit, non imbuendas aures iuvenum esse dicunt et recte: sed an horum lepidissimorum poëtarum genius tantum flagitii, tantum corruptelae in lectorum animos admittat, nescio, et sane, Dei virtute dicam, non sensi. Vtinam non obscoenioribus saepius domi dictis teneriorum animi

quae contra interdum sola Latinorum poëtarum studium delicatulis et mollibus, quos philosophorum gravitas dignitasque oratorum numquam pellexisset, ad animum suum impurum pascendum excitaverunt, obscoena ex nostro sensu et turpia. -- Vt omittam, ad iudicium, de poëta aliquo eiusque virtutibus ferendum, neque mores eius, neque argumenti, quod tractaverit, rationem pertinere, non semper animo videtur obversatum, pleraque, a quibus cultior aetas abhorreat, rudiori aut omnino remotiori neque dictu neque factu turpia fuisse; (1) quumque turpia proprie vocentur, quae honestati contraria fiant,

redurarentur, et, quod neque pictum neque fictum in poëmatis, audiretur, unde puerorum os, oculi, aures, foedissime inquinantur moresque pessum dantur. — Omnium historicorum atque oratorum monimenta a tactu atque oculis iuventutis proscribenda sunt, si credunt, quando vitiorum turpitudines suis verbis exsequuntur, talia in animos teneriores destillare ibidemque contagium allinere. Vbicumque dulce est, inquit Arbiter, ibi et acidum invenies. Ideirco provida boni natura sensum fugiendi noxia omnibus animantibus indidit; hominibus quoque discernendi rationem. Poëtis nostris inspersa sunt quaedam, quae pravis mentibus adhaerescant, generosos praeterlabantur. Confirmatus ad honesta animus verbum lasciviusculum facile transmittit. — Illa nunc ita toleranda sunt, ut bona confinio malorum discernamus; ita habenda et tractanda, ut nosmet innocentia tutemur.

(1) *Iani* de moribus Horatii, in edit. huius poëtae T. I, p. CIII. edit. pr. » Si cogitemus, inquit, quam dissoluta fuerit Horatianae aetatis licentia; quam prorsus honestus et a vitii crimine liber fuerit amor peregrinarum et libertinarum; quam parum, certe ante legem Iuliam latam, ipse puerorum amor sceleris habuerit; denique, quam multae, et notiones et loquendi formae eo tempore dignitatem et honestatem habuerint, quas postea politior usus, ut fit, respuit, et inter illiberales retulit; haec si cogitemus, iam multum ex illo Horatii vituperio perire sentiamus. Loca et carmina Horatii, quae nos hodie offendunt, eo tempore non ita offendebant; licet, quod nos hodie in verbis castiores sumus ac delicatiores, non sequatur, ut *ideo* et mores hodierni castiores sint. Accedit, quod dare possumus, Horatium, hominem hilarem et suavem, praesertim in illa saeculi sui indole, ab amore non immunem fuisse, eius philosophiam morum hac parte laxiorem fuisse, cum arsisse subinde libertina aliqua aut peregrina puella; neque tamen ideo desinet esse is vir magnus, bonus et honestus. Nam numquam amavit matronas aut ingenuas, numquam, quod praeclare Lessingius docuit, pueros amavit, et sic leges Romanas illasque naturae numquam violavit; potius graviter subinde in adulteria proprie dicta incestosque amores invehitur. Carmina etiam illius amatoria haud dubie saepe lusus poëtici, ad hilaritatem facti, saepe et e Graeco poëta expressa sunt. «

obscoena vero, quae nauseam moveant, ad honestatis et decoris vim et significationem, quam singulae aetates constitutam haberent, et ad politum sensuum iudicium humanitatisque cultum, quo vel destituti essent homines, vel excellerent, omnem de hac re disputationem esse referendam. Obscoenitatis enim et dedecoris vis et potestas hominibus, in agris silvisque errantibus, nulla fere fuit, ea tantum, quae palatum, oculos, nares male haberent, removebantur e conspectu. Congregatis vero hominibus et in societates collectis matrimonioque constituto, verecundia tandem nata est et pudor, quo ab eorum, quae remotis arbitris fierent, mentione vel abstinerent, vel vocabulis ea, a similitudine aliqua petitis, et circumlocutione quadam indicarent. Qua in re autem antiquior aetas fastidii tam delicati non erat, id quod ex multis verbis et dictionibus apud Homerum notum est, quibus ad amorem, familiaritatem et consuetudinem utriusque sexus, nuptias et furtiva gaudia designanda usus est. Quae deinde verba a tragicis et lyricis, quasi auctoris praestantia obscoenitatem amisissent dignitatemque aliquam vetustate essent nacta, magnam partem sine sensus exquisitioris et politioris offensione adhibita in vulgari quoque sermonis consuetudine retinebantur. Sed relictis aliis ad ea veniamus, quae communia fuerunt Graecorum et Romanorum, unde multae res et dictiones, quas turpes et obscoenas nunc vocamus, in utrorumque factis et dictis, nisi honestae ac laudabiles essent, tamen sine reprehensione et fierent, et dicerentur. Primum ipsa mythorum et sacrorum ratio, antiquissimis temporibus orta et constituta, multis, ut nunc quidem, lascivis et obscoenis, quae religionis auctoritas quasi sanxerat, mentes et aures castissimas adsuefecit. Deinde Graecis et Romanis vel severioribus quum vestimenta nullam fere corporis partem semper celarent et in exercitationibus gymnicis omnia saepe deponerentur, feminaeque ex gynaeceis in virorum consuetudinem et coetum raro venirent, ut pudori ipsarum fuisset consulendum; multa manserunt honesta et sine honore praefando dicenda, quae, vestimentorum immutata ratione et verecundia in sequiorem sexum, qui nunc non minimam vitae socialis partem constituit, ab ingenue et liberaliter institutis non usurpantur. Porro, quod caput mihi videtur, quum mores civium disciplina publica, maiorum institutis et legibus maxime formarentur, iis autem legibus cives tantum tenerentur; multa, quae turpia fuissent in cives commissa, in peregrinos concessa

erant, de quibus igitur libere et aperte loqui nemo verebatur, praesertim in elegantiorum et delicatulorum circulis. Honestatis quidem, decoris et pudoris vi magis exculta, ii, qui gravitati et dignitati studerent, a multis quidem dictis sibi temperaruot, quae multitudinis levitati et petulantiae semper probabantur, ut Periclis tempore Aristophanis ioci impuri Atheniensibus, quibus bouestatis praecepta Socrates tradiderat quosque pulcri et decoris sensu Phidias imbuerat. Omnino autem inter liberales iocos lasciva quoque et ea habebantur, quorum mentio ingenue iostituto nunc ruborem offunderet, quamquam a philosophorum disputationibus, historicorum gravitate et usu forensi aliena, poëtis tamen in primis coocessa; eaque ex illis sublata velle, aut vitio illis dare, absurdissimi fastidii arbitror. Quod si igitur Ovidio, Catullo, Martiali reliquisque poëtis ea venia danda est ab omnibus, qui in legendis priscorum monimentis mente et cogitatione eorum temporum, quibus quisque scripserit, rationem praesentem sibi fingere sciant, ut lascive interdum ludant parumque pudice loquantur; quanto maiorem excusationem satirici habent, qui in rerum turpitudine exagitanda id, quod sibi proposuerunt, risu magis et ioco, quam austeritate et severitate consequi queant. Omnia, quae io Horatio obvia sunt, quaeque obscoena et turpia nunc vocamus, ea cogitemus a vitae elegantia lautiorum Romanorum nequaquam tunc abhorruisse, neque ingenuis et liberalibus viris indigna fuisse existimata; nec ad sanctioris disciplinae praecepta, quae et literae sacrae et emendatior philosophia nobis inculcant, ea revocemus, quae liberior vivendi ratio Romanorum, pudoris legibus non tam adstricta, tulerat. (Quapropter et ii, qui liberius vivendi geous poëtis Romanorum exprobraverunt, ioique egisse videntur, nec sapientius ii, qui, causa eorum suscepta, ex scriptis iudicium de moribus alicuius faciendum non esse, perhibuerunt. Quae enim ad honestatis rationem, tunc usu receptam et consuetudine, relata bono viro et liberali indigna non erant, eorum exprobratio iniusta est et inepta defensio) Iuvenalis rerum turpitudinem verborum obscoenitate adeo de industria persequi videtur, ut facile appareat, id egisse poëtam, ut ab illis deterrimis libidinum generibus lectores absterreret, sceleratos et abominaodos homines in invidiam adduceret gravissimamque iofamiae notam iis inureret. Huic consilio quoque aptissimum fuit, si quid iudico, illud nauseae movendae studium, quod in nonnullis locis elucere videtur, quam-

quam in literis et artibus elegantioribus huic studio aqua et igni interdictum a viris doctissimis video. Ceterum in scholis quidem explicatio istorum locorum, quae in editt. in usum Delphini e textu tam inepte resecata, quam stulte et imprudenter collecta et ad calcem adiuncta sunt (v. inf. Ind. Editt. ad a. 1684.), nisi cum gravitate institui possit, omittenda est: quamquam existimo, ea teneris iuvenum animis non tam pestifera esse, quam quorumdam poëtarum nostrae aetatis deliciae et elegantiae, quibus res turpes et ab honestate remotissimae vel liberali et ingenua facie induantur, vel verborum et sententiarum venere et illecebris commendentur. Etenim ut maxime tecte et ambigue ea enunciando verecundiae et pudori consultum videtur, ita facillime animis castis iisque improvidis se insinuant, libidines excitant, castitati altissima vulnera infligunt et corporis ingeniique vires frangunt et debilitant.»

INDEX CODICVM MSS.

QVI AD RECENSENDVM IVVENALEM ADHIBITI ET VEL AB ALIIS VEL A NOBIS COLLATI SVNT.

(*Memorabimus eos secundum ordinem numerorum, quibus in Var. Lect. designati sunt.*)

CODICES THEOD. PVLMANNI.

2. *Noviomagensis.*
3. *Pulmanni.*
4. *Hadr. Iunii.*
5. *Miggrodii.*

Hi a Pulmanno neque accuratius descripti sunt, neque diligenter collati. Vid. inf. ad edit. Pulmanni Antverp. 1565.

CODICES AB HENNINIO LAVDATI.

6. *Iac. Susii.*
7. *Amstelodamensis.*

Henninius, qui ipse neque membranis usus est, neque editiones antiqnas, praeter priorem Stephani, contulit, ad calcem Prolegomen. notabiliores dedit lectiones horum codicum, de qnorum indole ne unum quidem verbum addit. Illius lectiones editioni Pulmanuianae (a. 1565) subiectas, huius ab Almeloveuio excerptas esse dicit. Pulmannus vero quatuor tantum codices, nobis modo laudatos, memoravit, neque Susianum memorare potuit: nam Iac. Susius, doctus Iesuita et Coadiutor spiritualis, anno demum 1588 Brugis natus est et a. 1639 mortuus Lovanii.

CODICES P. PITHOEI.

8. *Antiquissimus Budensis.*
9. *Latiniacensis.*

De illo vid. inf. ad edit. Paris. 1585. Alterius codicis lectiones

subinde enotavit Pithoeus, sed nullam eius notitiam dedit. Aliorum quoque codicum nonnumquam mentionem fecit: qui tamen utrum scripti fuerint, an editi, dicere non habeo.

XVIII CODICES NVNC PRIMVM ET TANTVM NON OMNES A NOBIS COLLATI.

10. *Schwarzianus*, nunc *Altorfinus*,
qui olim fuerat Chr. Gottl. Schwarzio, celeberrimo quondam (ab a. 1709. ad 1751). Prof. Altorfino, et nunc Altorfii in bibliotheca academica servatur. Lectionum eius specimina dedit Vlr. Seb. Beckius in *Obss. philol. in Satyras Iuvenalis duas priores* (Altorfii 1732. 4.), ubi pag. 3. monet, codicem esse quartae formae membranaceum haud malae notae, qui cum Schurzfleischiano mirifice consentiat et cui scholia quaedam tum in calce, tum sparsim in margine Satirae I. allita sint. Eumdem optime scriptum et conservatum esse, docet auctor Vol. II. Biblioth. Schwarz. Altorf. 1769. et ad Saeculum XIII refert eum Mannert in Miscellaneis, diplomatici potissimum argumenti, German. scriptis editisque Norimb. 1795. Satiram VII ex illo venerabilis academiae Altorf. Senior Will in usum praelectt. suarum typis exprimendam curavit a. 1760. Totum vero codicem una cum quinque editt. antt. (Ven. 1491. 1512. Brix. 1501. Lips. 1504. et Argent. 1527.) a principio ad finem exemplo editionis Bipontinae comparavit Cl. *Nothnagel* Norimbergensis A. L. M., isque omnem var. lectionum recensum mihi ultro obtulit; quae summa eius humanitas numquam ex animo meo effluet.

11. *Schurzfleischianus* s. *Vinariensis*.
Vid. quae infra in fine Indicis Editt. Iuven. dicemus.

12. *Erlangensis*.
Lectiones huius codicis excerpendas benignissime curavit *Harlesius*. De externa eius forma non certior factus sum. Quod si tamen omnis illius varietas diligenter notata est, videtur ex bono exemplo transcriptus esse.

13. *Vlmensis*.
Integram huius codicis, plane singularis, recensionem debeo humanitati *Veeseumeyeri* Prof. Vlm. qui iam specimina quaedam lectionum eius var. ediderat a. 1793 in *Commentat. historico-critica de Codice MS. Iuvenalis Satiras complectente*, et indolem illius his verbis descripserat: « Adservatur, quem diximus, Codex in bibliotheca, quae ab Illustri Schermariorum gente

nomen habet, et conditur in editiori summi templi fornice. Continet praeter Iuvenalis satiras etiam Horatii epistolas, excepta illa ad Pisones scripta, et Prosperi Aquitanici Poëmatia. Scriptos in pergamena charta, et forma, quam octavum maiorem nominant, complicatus constat LXV foliis, quorum XXIII Iuvenalem exhibent. Quo anno sit exaratus, non adest certum indicium, sed ante medium Saec. XV. scriptum fuisse, et literarum ductus ostendit, et indicat possessoris nomen. Literae sunt minusculae Longobardicae, frequentibus, sed constanti ratione pictis vocum compendiis. Distinctionis notae nullae comparent praeter punctum, comma et interrogationis signum. — De interna Codicis ratione in universum praecipiendum videtur, eum esse non magis bonitate, quam singularitate, si ita dicere fas sit, memorabilem. Habet enim quamplurimas lacunas, minime ubique ex homoeoteleutis ortas, disiectiones versuum, diductiones, adiectiones. Quae omnia unde sint orta, admodum est difficile dictu. Fluxisse codicis textum ex admodum lacero exemplari, vix persuademur; unde enim tot mutationes? Aliam autem esse textus recensionem ab ipso profectam Iuvenali, quis credet perpendens et Sat. IV. brevitatem in nostro Msto octo tantum versibus constantis, et mutationum rationem, et veterum Scholiorum silentium? Alium igitur immisisse falcem in Iuvenalis messem, vix est, quod dubitemus.»

14—16. *Norimbergenses tres*,

quos, una cum edit. Lips. 1502, auctore Mannerto comparavit Seybold, doctiss. Conr. Gymn. Norimb. *Codex primus*, membranaceus idemque antiquissimus emendatissimusque, in splendida bibliotheca Ebneriana asservatur et mutilus est: desiderantur enim in eo Sat. VI, 269—303. VIII, 1—63. X, 9—70. XI, 152—208. Margini eius adscriptae sunt glossae, sed literis minutissimis et nonnumquam valde pallidis vel maculatis vel adeo rasis, quae eas lectu difficillimas reddunt. Reliqua, quae ad hunc Codicem spectant, monere occupavit Mannert in Miscellan. p. 78. «Ab initio situ vermibusque corruptus et passim maculis foedatus est. Maiore literarum charactere, qui Saec XII adhiberi solebat, perspicue quidem, nec tamen eleganter exaratus. Vnciales literae iam more illius Saec. degenerant: pro *ae* plerumque e, raro simpl. e, et c̄ pro *con* substituitur; *ii* cum apicibus, *i* constanter fere sine puncto legitur, distinctionum signa sunt vulgaria illius aevi !, ; et punctum; lineae usquequaque stylo ductae. In duobus foliis penultimis longe

alia eaque purior manus, qualis Saeculo XI propria est, deprehenditur; quam tamen conspicuam faciunt maiores inflectiones, crebra *ii*, simpl. *e* pro *ae*, quod interdum occurrit, unciales cet. In ultimo deinde folio prior redit manus: quod certissimo est argumento, una cum maiore scriptura, quae Saec. XII usitatissima erat, minorem quoque eamque rotundiorem superiorum temporum viguisse.» Multae eius lectiones sunt bonae vel memorabiles et singulares, plures tamen sive vulgares sive vitiosae.

Codices Norimbergenses *secundus* et *tertius* (15. 16.) sunt chartacei et scholiis instructi inter lineas, sed recentes, e Saec. XV. (v. Mannert l. l.) neque ex optimo ducti exemplo: habent tamen lectiones nonnumquam notabiles et vix alibi obvias. Ille in 4to. et nitide in Italia, hic in Fol. et vitiosissime omnium scriptus est.

17—20. *Guelpherbytani* s. *Gudiani* quatuor, membranacei, quorum mihi usum perhumaniter concessit *Langer*, Ducali bibliothecae praefectus.

17. *Gudianus primus*, No. 156. notatus, quadrato volumine mai., e bono et vetusto libro in fine Saec. XII vel initio XIII descriptus. In eo servatur vulgaris divisio in quinque libros, quae tamen bis tantum, in principio Sat. VI et X, notata et pro argumentis brevibus, quae reliquis Satiris praefixa sunt, substituta est. Eadem manus et textum poëtae scripsit et scholia, eaque breviora inter lineas, uberiora ad marginem, quae plerumque vulgaria sunt et parum utilia, vel scholasticorum acumen sapiunt. Qui tamen otio abundant, eos non plane poenitebit, haec scholia excussisse.

18. *Gudianus secundus* (No. 119.), eiusdem formae, sed recentissimus quatuor illorum codicum, et mutilus. Desunt Sat. I—VI, 168. XII, 125—130. XIII, 1—10. 23—40. 53—108. 226—249. XIV, 1—54. 66—83. 268. XVI, 60.

19. *Gudianus tertius* (No. 304.), formae octavae, medio forte Saec. XIV scriptus.

20. *Gudianus quartus* (No. 53.), formae, quae *in folio* vocatur, sed recentioris quoque aetatis (scriptus a. 1384.), cum scholiis brevissimis, quae versibus interscripta sunt.

21. et 22. *Schonbornenses* s. *Gaybacenses* duo, membranacei, formae oblongae et quadratae, qui Gaybaci, in tractu Franconiae Steigerwaldensi, et quidem in bibliotheca Illustriss. Comitis de Schönborn servantur. Horum lectiones variantes acce-

ptas refero insigni benevolentiae Cl. *Degen*, viri humanissimi et doctissimi, qui specimen earum ipsorumque codicum descriptionem iam dederat in prolusione scholast. quae inscripta est: Einladungsschrift zum gewöhnlichen Herbstexamen—Onolzbach 1785. 4to. unde excerpam, quae ad rem nostram spectant, quaeque p. 4. 5. et 10. 11. traduntur.

21. *Schonbornensis* s. *Gaybacensis primus*, praeclarus, qui memorabiles ac singulares passim suggerit lectiones, et Saec. XII scriptus est. Foliis LIV constat, et marginem spatiumque inter lineas multae occupant glossae. Membrana magis flava est quam alba, sed bene levigata. Literarum forma maiuscula et ovata magis quam rotunda.

22. *Schonbornensis* s. *Gaybacensis alter*, sine glossis, bene conservatus et satis perspicue medio forsan vel exeunte Saec. XIII scriptus. Quatuor prioribus Satiris recentior manus brevia praemisit argumenta. Codex ipse non eamdem, quam superior, recensionem sequitur, multasque lectiones exhibet tum egregias, tum sibi proprias. In utroque innumera deprehenduntur vocum compendia et non modo crebrae emendationes secundae manus, sed aliquot etiam varr. Lectt. notationes.

23. et 24. *Gothani duo*, membranacei,
qui in bibliotheca Ducali exstant et summa Virorum Cel. *Geisleri* et *Doeringii* humanitate usibus nostris oblati sunt. Criticus tamen eorum usus vel nullus vel exiguus est, quum indocte et recentiori aevo (alter exeunte forsan Saec. XIV. alter principio Saec. XV.), neque ex optimo exemplari descripti sint. Ceterum alter Persium Iuvenali iunctum et glossas habet, tum inter lineas, tum margini adscriptas, sed parum utiles.

25. *Lipsiensis*,
membranaceus et recentioris quoque aetatis, neque tamen nullius momenti, quem cum aliquot editt. antt. (Lips. 1497. et 1507. Ven. 1498. Argent. 1518. Heidelb. 1590.) e biblioth. academ. mihi benevole commodavit Ill. *Beck*, meo nomine rogatus ab amiciss. *Kühnol*. Eadem manus tum inter lineas, tum in utroque margine multas adscripsit glossas, e quibus tacite quasdam ab Ant. Manciuello transcriptas et pro suis venditatas animadverti.

26. *Hamburgensis*, formae octavae,
quem in ipsa bibliotheca senatoria cum edit. Henniniana perhumaniter compararunt *Lichtenstein* et *Freudentheil*, qui eum

Saec. XI. scriptum suspicantur. Sed neque studio librariorum, neque lectionum bonitate insignis est.

27. *Kulemkampianus*,
membranaceus et eiusdem formae eleganterque scriptus, sed recentior, neque magni pretii, etsi lectiones interdum exhibet in aliis membranis nondum repertas. Consentit plerumque cum Lipsiensi, et ex eodem forsan fonte fluxit. Fuit olim in praeclara b. Kulenkampi bibliotheca; ex qua qui eum emerit ignoro. Paulo vero ante quam haec Goettingae vendebatur, illum benignissime ad me una cum multis editt. antt. misit Heyne, unicus praeceptor meus fautorque generosissimus.

CODEX ROB. STEPHANI.

28. *Codex vetustus Rob. Stephani*,
cuius variae lectiones ad calcem edit. Stephani Lutet. 1544. 8. deprehenduntur, quae bonae quidem plerumque sunt et ab optimis editoribus receptae. Sed Stephanus paucas tantum enotavit (v. c. in Sat. IX. X. et XII. non nisi unam, in Sat. III. et XIII. binas, in Sat. II. et VII. trinas), neque ipsum codicem accuratius descripsit.

29. CODEX BASILEENSIS,

e quo varietatem lectionis excerptam dedit Wetstenius in edit. Amstel. 1684. 8. ubi tamen ulterior eius descriptio frustra quaeritur.

ALII CODICES AB ALIIS MEMORATI.

Praeter hos, quos iam recensui, codices viri docti passim in commentariis scriptisque suis laudarunt alios, et varias ex iis lectiones, sed paucas tantum, protulerunt, quas ego, quanto fieri potuit, studio congessi.

30. *Codex Domitii Calderini*,
qui eum in commentariis suis nonnumquam memorat et certissimae dicit fidei esse ac summae vetustatis.

31 a. *Codex Vallae*
antiquissimus, de quo vid. inf. ad eius edit. Venet. 1486.

31 b. *Alii eiusdem Vallae codices*,
qui in comment. eius nonnumquam laudantur, sed tam parum distincte, ut nescias, utrum scripti fuerint an editi.

32. *Codex Mancinelli unus et alter*,
quorum is aliquoties mentionem facit in Comm.

33. *Codex vetustissimus Lubini*, et
34. *alter eiusdem*,
de quibus vid. inf. ad edit. Hanov. 1603.
35. *Codex vetustus Canteri*,
36. *C. alter eiusdem*,
37. *C. vetustus Carrionis*, et
38. *C. alter eiusdem*,
e quibus quatuor Codd. Lipsius Heinsiusque passim lectionis varietatem enotarunt.
39. *Codex antiquissimus Casp. Barthii*, et
40. *alter eiusdem*,
quorum in Adversariis eius subinde mentio fit.
41 et 42. *Codices antiquissimi Plathneri*,
qui passim laudantur in eius Lectionibus Iuvenalibus, de quibus v. inf. Ind. Editt. extr. Suspicor tamen, hos esse Gothanos, de quibus v. sup. ad n. 23 et 24.
43. *Codex Divaei antiquus*,
unde aliquot lectiones protulit Lipsius in Operibus suis.
44. *Codex antiquissimus*, et
44 b. *alter Vossii*,
qui ab eo in Comment. ad Catullum et al. interdum excitantur.
83. *Codex Leidensis*, et
84. *C. Perizonii*,
e quibus aliquot lectiones attulere Nic. Heinsius et Io. Schrader, ille in Comment. in Ovid., hic in Emendationum Libro et in Obss. criticis, quas exemplo Iuvenalis Henniniano adleverat, unde exscriptas ad me misit doctiss. et humaniss. *Herbellius*, qui de Silio quoque meo bene meritus est.
85. *Fragmentum Erlangense*
vetustum, quod Sat. VI, 66—197. 264—661. continet et mecum ab Harlesio est communicatum, qui etiam benevole adiunxit edit. Marshall. Lond. 1723. cuius margini adscriptae sunt variae lectiones codicis MS. qui designatur litera E. quem tamen Ebnerianum vel Norimbergensem I. esse mox animadverti. Fragmentum plerumque consentit cum cod. Norimberg. tertio, sed non paucas quoque lectiones tum alias, tum sibi proprias exhibet et nonnumquam non spernendas.

Accedit nunc

ELENCHVS CODICVM MSS. XXXV

qui olim exstiterunt in Bibliotheca Imperiali Parisiensi et collati

sunt a cl. Nic. Lud. Achaintre, qui indolem eorum his verbis indicavit:

I. E CATALOGO IMPRESSO CODD. MSS.

1. *Codex Puteanus* (catalogi no. 7900. A.)
Codex membranaceus, formae quam vocamus *in folio*, exeunte nono saeculo, ut nobis visum est, exaratus, constans 155 foliis. Praeter Iuvenalis satiras, in quinque libros dispertitas, continet Terentii comoedias, Horatii lyrica carmina et epistolas, Lucanum et Martianum Capellam cum scholiis, et quidem copiosissimis, sed parum utilibus. Huius codicis scriptura non recta quidem, nec pulchra, sed levis et lectu facillima, etsi quibusdam in locis minutissima, pallida atque vetustate prope deleta. Inter ceteros memorandus idem est propter antiquitatem et propter varietatem lectionum, quarum notabiliores aliquot in praesentis editionis curriculo notavimus: non tamen mendis expers, sed a manu recentiori emendatus est. At quisquis ille fuerit intempestivus castigator, melius certe codicis auctoritati consuluisset, si cum integrum reliquisset. In quibusdam libri locis reperiuntur maiores literae et figurae calamo delineatae, sed rudes ac deformes et plane saeculo, quo ille scriptus fuit, convenientes. Eo autem codice plurimum usi fuimus, quippe qui ex eodem atque vetus schol. Pithoei exemplari ductus, pervetustus item, nobis in hac editione recensenda maximi esse momenti visus est.

2. *Mazarineus* I. (no. 3110.)
Cod. membr. in fol. X saeculo exaratus, constans 84 foliis. Continet opus de Regimine Principum, primas quinque Persii satiras, Priscianum de Grammatica et alia opuscula poëtica; denique XIV satiras Iuvenalis, cum notis inter lineas scriptis. Eleganter quidem scriptus est ille codex; sed ubique mendis scatet, nec ullam fere memorandam lectionem praebet.

3. *Colbertinus* I. (no. 7906.)
Cod. membr. in fol. X saec. exaratus, et quidem a manu diversa. Optimae tamen est notae, etsi mutilus. In eo leguntur Iuvenalis satira IV a v. 10: satirae V. VI. VII. et octavae tantum 24 primi versus. In eodem volumine exstant integer Terentius, sed XIII saeculi, Aeneidos lib. IV. et V. saec. IX. Daretis Phrygii eiusd. saec. historia, Gregorii Turonensis Gesta Dei per Francos eiusd. saec. et carmen religiosum, cui titulus: *Disputatio mundi et religionis* XIV. saec.

4. *Thuaneus* I. (no. 8071.)
Cod. membr. in fol. X. saec. exaratus, constans 61 foliis. Scriptura eius perspicua satis est, nec inelegans, et literarum forma duobus praecedentibus plane similis. Ceterum non adeo bonae notae codex iste est; quippe in eo multa reperiuntur menda: praeterea desiderantur tres satirae Iuvenalis priores, aliae ita ordinantur: 4. 5. 13. 14. 15. 16. 10. 11. 12. 8. 9. (cuius pars media deest a v. 38.) 7. 6. His adde Martialis libros tres tantum, aliquot Catulli epigrammata, Pervigilium Veneris et alia quaedam opuscula poëtica minimi pretii. Primo folio, quod dicimus *feuille de garde*, ultima linea, eadem manu, sed maiusculo charactere, haec scripta sunt:

Iuvenalis ex orthographia Bedae presbyteri.

5. *Cod. Fauchetii.* (n. 8070.)
Membranaceus in fol. XI saec. exaratus, constans 141 foliis, eleganti simul et docta manu scriptus, charactere quidem minutissimo, sed nitido et lectu facili, qui quidem e bono exemplari ductus videtur. Exhibet Iuvenalis satiras cum commentario non integro (quinque tantum priores satiras complectitur) cumque scholiis ad marginem et inter lineas scriptis; praeterea Persii satiras VI. sed X saec. exaratas. Hunc codicem saepe saepius volvimus, veluti doctorum attentione dignissimum. Ita inscribitur: *Claudii Fauchetii regii consiliarii curiae monetarum praesidis.*

6. *Codex Pithoei.* (n. 8072.)
Membran. in fol. XI saec. exaratus, constans 113 foliis, nitide et accurate scriptus, atque propter emendationem inter optimos recensendus; quem non attente minus quam praecedentem perscrutati sumus. In eo reperiuntur XIII priores satirae Iuvenalis absque scholiis, Horatii Lyricorum libri III, Persii Satirae sex, in parvo codice separato 12 foliis constante; denique eiusdem Iuvenalis satirae I. II. III. V. VI. repetuntur cum fragmentis aliorum recentiori manu scriptae ac mendis refertae. Primo autem folio legitur hoc nomen, *P. Pithoeus*, manu ipsius possessoris scriptum. Idem codex exinde transiit in bibliothecam Iac. Aug. Thuani, postea Colberti, demum post mortem huius inter Regios fuit relatus.

7. *Colbertinus* II. (n. 8285.)
Cod. membran. in 4to. min. constans 60 foliis, XII saec. exaratus charactere Gothico, neque eleganti, neque nitido, quin etiam ita pallido, ut vix legi queat: attamen non infimae notae videtur ille codex, sed e bono ductus exemplo.

8. *Codex Memmii.* (n. 8287.)

Membran. in 4to. constans 48 foliis, XIII saec. exaratus, mendosus aeque ac ineleganter scriptus, cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

9. *Codex Silvestri de Florentia.* (n. 8292.)

Membr. in 4to. constans 74 foliis, XIII exeunte saec. vel XIV ineunte exaratus, eleganter quidem, sed non adeo diligenter nec accurate: memorabiles tamen reperiuntur lectiones, quibus interdum usi sumus. Continet XVI Iuvenalis satiras cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

10. *Codex Senatorius.* (n. 8073.)

Membran. in folio parvo, constans 118 foliis, XIV saec. exaratus, maioribus literis auro pictis, charactere Gothico elegantissime et membrana nitidissima scriptus. Cum puritatem, tum exactam convenientiam in co scribendo affectavit librarius, adeo ut liber iste editiones primas impressas superet, sed et rectitudine scripturae pulcherrimus. Nec minor cura in contextu emendando fuit adhibita. Praeter commentarium partim initio libri, partim in fine adscriptum, textui poëtae subiuncta est paraphrasis, quae tamen ut commentarius glossam redolet. Ille autem codex inter optimos et utilissimos nobis visus est recensendus. Haec ad calcem leguntur.

Iste liber, qui senatorius vocatur, fuit scriptus per me nicolaum olim de pusio, anno domini millo', ccc°, uij°, indictiae V. tempore domini clementis papae V, anno eius sx. mensis aprilis die XIX, et fuit compilatus quoad lecturam per nobilem et illustrem virum dominum gentilem de filiis ursi, tempore sui senatus sexti.

11. *Thuaneus II.* (n. 7984.)

Cod. membr. in fol. const. 212 foliis, exeunte XIV saec. exaratus, eleganter scriptus, cum initialibus literis auro et coloribus depictis, bene conservatus satisque emendatus. Habet integros Horatium, Persium et Iuvenalem. Primo folio inscribitur *Iac. Aug. Thuani* et *Colberti*, ad quem postea devenit.

12. *Thuaneus III.* (n. 8290.)

Cod. membran. in 4to. constans 109 foliis, XV saec. exaratus, eleganti quidem, sed indocta manu, cum initialibus literis depictis. Habet Iuvenalem et Persium sine scholiis et inscribitur: *Iac. Aug. Thuani* et *Colberti.* Ceterum mendosissimus est ille codex.

13. *Mazarineus II.* (n. 8281.)

Cod. membr. in 4to. min. constans 104 foliis, XV saec. exaratus, nitidus satis, bene scriptus et perfecte emendatus. Continet Statii Achilleid. et XVI satiras Iuvenalis absque scholiis. In prima fronte inscribitur *Federici Ceruti Veron.* Is fuit Cerutus Veronensis, qui Iuvenalem illustravit paraphrasi.

14. *Colbertinus III.* (n. 8293.)
Cod. membr. in 4to. min. constans 88 foliis, XV saec. exaratus, satis perspicuus, quod ad scripturam spectat; sed mendosus admodum et infimae notae. Iuvenalem exhibet et Persium sine notis.

15. *Codex Salmasii.* (n. 8469.)
Membranaceus in 8vo. constans 87 foliis, XV saec. exaratus, nitide quidem et eleganter, sed parum docte, nec sine mendis. Humor praeterea et incuria hunc codicem paene dilaceravit et usum eius difficilem reddidit. Salmasius, cuius erat, sua manu ad marginem plurimos emendavit locos Sat. I—VI.

16. *Codex Iardineus.* (n. 8289.)
Chartaceus in 4to. constans 70 foliis, Florentiae a. 1483. a Iardino satis nitide scriptus; ceterum primis coaevus videtur editionibus, ideoque non magni pretii.

17. *Mazarineus III.* (n. 8076.)
Codex chartaceus in fol. constans 109 foliis, XV saec. exaratus, parum eleganter scriptus et lectu admodum difficilis, tum propter pravam scripturam, tum propter vocum compendia innumera. Nihilominus egregie emendatus et ex optimo ductus exemplo videtur. Glossas habet copiosissimas, sed parum utiles, scriptas ad marginem et inter lineas.

18. *Codex absque possessoris nota I.* (n. 8470.)
Membranaceus in 8vo. constans 77 foliis, XV saec. exaratus, satis nitide scriptus et bonae notae, quippe qui videtur e bono ductus exemplo, sed adeo mutilus atque humore detritus, ut eius usus fere nullus sit. Primae IV Iuvenalis satirae desiderantur, quinta incipit ad versum 64. et liber explicit ad v. 13. decimae sextae satirae. XV et XVI nullo modo legi queunt. In reliquis inter se conglutinantur paginae, quas si detrahere tentes, tecum scripturam tollas: quapropter, ne peius malum eveniat, eum intactum paene reliquimus.

19. *Codex absque possessoris nota II.* (n. 8077.)
Membranaceus in fol. parvo, constans 84 foliis, XV saec. exaratus, satis bene scriptus, nec admodum mendosus.

20. *Codex absque possessoris nota III.* (n. 8291.)

Partim in membranis, partim in chartis (huius enim duo folia prima et totidem extrema euiusque manipuli sunt membranacea, reliqua chartacea) in 4to. saec. XV exaratus, constans 91 foliis, satis bene scriptus et emendatus. Exhibet Iuvenalem et Persium sine scholiis.

21. *Codex absque possessoris nota IV.* (n. 8288.)
Chartaceus in fol. XV saec. exaratus, constans 87 foliis, nitide scriptus, cum notis ad marginem et inter lineas scriptis. Idem videtur, quod spectat ad textum, e primis ductus editionibus. Adscribitur annus M. CCCC. LXXI. Ceterum parvi momenti est iste codex.

II. E BIBLIOTHECA VATICANA.

22. *Codex Alexandrinus, antea Suecorum reginae.* (n. 2029.)
Membranaceus in fol. constans 61 foliis, X saec. exaratus (in catal. codd. Vatic. fert notam saec. IX.) Excellentissimus codex, nitidissime et accurate scriptus et ex optimo ductus exemplo. Eo frequenter in hoc opere recensendo usi sumus, ita ut nostra editio lectiones eius fere integras referat. Iuvenalem solum exhibet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

III. CODICES ALII EX ITALIA ALLATI.

23. *Codex n.* 111—451.
Membranaceus in 4to. constans 128 foliis, a. 1451. exaratus, charactere Gothico diligenter et accurate scriptus, sat bene conservatus, nec non emendatus. Exhibet Persium cum commentariis Cornuto attributis et Iuvenalem cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

24. *Codex n.* 112--453.
Membranaceus in fol. parvo, oblongo, constans 72 foliis, XV saec. exaratus, nitide et eleganter scriptus, diligenter conservatus et accurate emendatus. Iuvenalem habet et Persium sine scholiis. Scripturam antiquam Romanorum servat, scil. *quom* pro *cum*, *quoi* pro *cui*, *quoius* pro *cuius*, *optumus* pro *optimus* et alia id genus. In primo folio exstat vita Iuvenalis, quae fere eadem est ac vita in commentario Omniboni relata.

25. *Codex n.* 113--454.
Membranaceus in 4to. constans 82 foliis, XV saec. exaratus charactere Gothico, satis nitide scriptus, sed mendosissimus. Exhibet Iuvenalem integrum et Horatii Artem Poëticam cum scholiis, sed rarissimis.

26. *Codex n.* 455.
Membranaceus in fol. oblongo, constans 77 foliis, XV saec. exaratus, nitide et accurate scriptus, nec non emendatus. Iuvenalem habet et Persium absque scholiis et ulla possessoris nota et indicatione anni.

IV. E BIBLIOTHECA MONASTERII SANCTI SALVATORIS BONONIAE.

27. *Codex n.* 111--40.ᵉ
Membranaceus in 4to. constans 88 foliis, a. 1477. nitidissime scriptus et accurate habitus, sed mendosissimus.

28. *Codex n.* 112--40.ᵉ
Membranaceus in 4to. constans 69 foliis, XV saec. exaratus, nitide et accurate scriptus, sed satis bonae notae. Praeter Iuvenalem continet Persium in uno codice chartaceo constante 12 foliis, XIV saec. exaratum.

29. *Codex n.* 113--40.ᵉ
Membranaceus in 4to. oblongo, constans 60 foliis, XV saec. exaratus eleganter charactere Gothico; ceterum parum lectu facilis propter innumera vocum compendia. E bono tamen ductus videtur exemplo. Habet Iuvenalem et Persium integros.

30. *Codex n.* 114--40.ᵉ
Chartaceus in 4to. parvo, constans 236 foliis, XV saec. leviter nec non eleganter exaratus, cuius scriptura satis refert eam, quam nunc vocamus *Anglaise*. Continet Omniboni commentarium in Iuvenalem. Hic est *Omnibonus Leonicensis* sive potius *P. Fr. Omolloy* aut *Molloy* (*Ognibuono*, *Leonicenus*, h. e. Leonicae, opp. Vicent., hod. Lunigo, natus, Grammaticus Saec. XVI. mortuus a. 1524.) Hiberus Medensis, ordinis min. strict. observ. in collegio S. Isidori de urbe S. Th. prof. primarius, lector iubilatus et provinciae Hiberniae in curia Rom. agens generalis (Scripsit praeter alia commentarios in Iuvenalem, Sallustium, Lucanum, Valerium Maximum, Quintilianum et aliquot Ciceronis libros: quae scripta nondum edita sunt. Notae eius in Iuvenalem pleraeque pro tempore satis bonae sunt, simplices atque auditu faciles, et iis aliquando usi sumus).

V. E BIBLIOTHECA SANCTI GERMANI A PRATIS.

31. *Codex olim Coislinianus* n. 1166.
Membranaceus in 8vo. constans 56 foliis, XII saec. exaratus, charactere minutissimo et parum nitido scriptus, nec adeo ac-

curate emendatus et parvi pretii. Iuvenalem habet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

VI. E BELGIO.

32. *Codex n.* 263.
Membranaceus in fol. constans 76 foliis, X saec. exaratus, nitide et eleganter scriptus et accurate e bono exemplari ductus; nullas tamen varias lectiones memorabiles exhibet. Iuvenalis XIII satiras priores offert cum parte magna XIV. usque ad v. 196. Scholia praeterea habet ad marginem et inter lineas.

VII. E BIBLIOTHECA SORBONAE.

33. *Codex I.* n. 1589.
Membranaceus in 4to. constans 102 foliis, XV saec. exaratus, elegantissime in Italia scriptus, cum initialibus literis auro et coloribus variis optime depictis, satis bene emendatus. Quaedam habet scholia ad quatuor priores satiras. Is praeterea non contemnendae notae videtur.

34. *Codex* n. 1590.
Chartaceus in 4to. constans 63 foliis, XIV saec. exaratus, satis perspicue et eleganter. Ceterum parvi pretii est iste codex.

35. *Codex* n. 1767.
Chartaceus in 4to. saec. XIV exaratus, habet Iuvenalem et Persium cum commentario copiosissimo *Guarini* seu *Garini*, qui abbas fuit Victorinus apud Parisios et decessit a. 1194.

Hic est elenchus MSS. Paris. ab Achaintre collatorum.

Aliis codicibus mss. usi sunt Salmasius, Scaliger, Nic. Heinsius, Muretus, Schegkius, Mercer, Brodaeus, Flavius, Pontanus, Rittershusius, Claverius, Scioppius et alii: quamque hi in scriptis suis enotarunt ex illis varietatem lectionis, nos quoque passim laudavimus.

Aliorum codicum, qui nondum comparati sunt cum vulgata scriptura, ingens numerus in bibliothecis, non modo publicis (inpr. Italicis, Gallicis et Anglicis), sed etiam privatis latet: v. c. in Biblioth. Gersdorfia unus (v. Ephemerid. liter. Lips. 1710.), in Rhedigeriana duo (v. Fülleborn. vers. German. Persii p. V.), Senkenbergiana unus, Thom. Ios. Farsetti unus (v. le Bret Magazin zum Gebrauch der Staaten-und Kirchen-Geschichte, T. IV. n. 1. Francof. 1774.), Comburgensi prope Halam Suevorum duo (v. Intelligenzblatt der Ien. Allg. Lit.

Zeit. 1796. N. 153.). Permulti alii memorantur in bibliothecarum catalogis commentariisque virorum doctorum, praecipue in Montfauconii Biblioth. MSS. nec non sex Vratislav. et totidem Hafnienses in *Heinrichii* commentat. I. in Iuvenalis Sat. Kil. 1806. Praeterea variantes viginti codicum lectiones a doctiss. *Schwabio* Conr. Gymn. Vinar., a quo consilium edendi Iuvenalis abiectum est, accepit S. V. *Gurlitt*, Dr. Theol. Prof. et Director Gymn. Hamburg., qui in literis ad me datis earum propediem in proluss. scholast. divulgandarum spem fecit. Codices illi sunt: duo Zwiccavienses (quorum alter olim fuit Theod. Pulmanni), Noviomagensis, Miggrodii, Schurzfleischianus s. Vinariensis, duo Hamburgenses, Chemnicensis, quinque Leidenses (Lugdunensis, Perizon., Philipp. et duo Vossiani, in Catal. Bibl. Leid. p. 325 b. 494 a. 374 a. 373 a. 378 a.), Rottendorfii s. Withofii, Laubnensis (qui quondam fuit Christio Prof. Lips., tum Illustriss. de Zech et deinde Lauhnio, consiliario aulico Teustadiensi in pago Thuringico), duo Gothani et tres Argentoratenses. Octo priores a Gottl. Cortio et quinque Leidenses a Io. Schradero diligenter olim excussi sunt, quidam vero iam a nobis vel aliis collati, et Argentoratenses non nisi in duabus Satiris prioribus comparati.

Ex tot membranis nondum inspectis novam eamque ingentem variarum lectionum vel potius vitiorum errorumque molem congeri posse, non est quod dubitemus. Nec tamen crediderim, multum inde ad poëtam nostrum fructus rediturum esse. Nam codices Iuvenalis longe maximam partem sunt recentiores neque digni, quibus comparandis quidquam temporis et operae impendas: et ex XXXV MSS. Paris. ab Achaintre collatis, inter quos tamen sunt illi optimae notae Puteanus, Colbertini, Alexandrinus, Fauchetianus, Pithoeanus et Senatorius, duae tantum aut tres lectiones enotatae sunt, in aliis a me non repertae.

INDEX
EDITIONVM IVVENALIS.

(*Editiones, quibus unum asteriscum curavi praefigendum, a me ipso, et quibus duplicem praeposui, a viris doctis, vel sponte vel rogatu meo, non in dubiis locis, sed a principio ad finem cum Henniniana vel Bipontina collatae sunt. Alias deinde adnuxit Achaintre, quas triplici asterisco notavi. Multarum vero editionum non nisi titulos memoravi, desumtos vel ex catalogis bibliothecarum, vel ex Fabricii Bibl. Lat. et ex ind. editt. Henniniano, Bipontinorumet Ach. qui ne eos quidem accurate laudarunt et parum curarunt, quale pretium cuivis editioni sit statuendum.*)

SAEC. XV. 1470—1500.

* *Editio Iuvenalis et Persii princeps* videtur esse ea, quae in Fol. sine nota loci, anni et typographi in lucem prodiit, quamque Romae circa annum 1470. typis excusam esse probabili iudicio suspicabantur Maittarius in Annal. typograph. Tom. I. p. 296. et Hamberger in zuverläss. Nachr. von alt. Schriftst. T. II. p. 270. Eadem, ni fallor, memoratur in Catal. Bibl. Hulsianae. Praeter nos eam, nec tamen satis accurate, contulit Maittarius in ed. Lond. 1716. 12mo. Cf. Var. Lect. n. 45. Exemplari, quo nos usi sumus, praefixus est titulus: *Iunii Iuvenalis Aquinatis liber primus.* Nulla vero aliorum deinde librorum et ne numeri quidem satirarum, qui tamen in Persio indicatur, mentio fit, sed satirae parvo tantum spatio disiunguntur. Haec et alia iofantiam produnt artis typographicae: etsi charta satis pulcra et literae sunt luculentae. Ex interna autem indole huius editionis probabile fit, eam non a viro docto curatam, sed a typographo e libro MSto eoque bonae, quamvis non optimae, notae cum omnibus librariorum peccatis ductam esse, adeoque Codicis scripti auctoritatem obtinere.

*** *D. Iunii Iuvenalis et Auli Persii Flacci Satirae*, absque nota anni, impressoris et loci 4to. (1470)

Editio vetus, eodem charactere signata, quo liber, cui titulus est *Decor Puellarum* per Nic. Ianssonium.

(Catalogue de la Valliere, T. II. p. 102.)

Eodem forte anno typis expressa est alia Editio Romana, quae vulgo habetur omnium princeps et inscripta est:

Iuvenalis Satyrae et Flacci Persii Volaterrani — Romae *apud Vdalricum Gallum* fol. (1470)

De ea vid. Hamberger l. l. et Maittaire Ann. typogr. T. I. p. 297. qui tamen externam tantum libri speciem ac ne satis accurate describunt, nec de critico eius usu soliciti fuere. Quomodo itaque haec editio a superiore differat et quodnam ei statuendum sit pretium, dicere non habeo, quum nondum a quoquam cum illa vel vulgatis editt. comparata sit, quod factum vellem.

Veneta I. (In Var. Lect. n. 51.) *Iuvenalis Satyrae*, *per Simonem Biuilaqua* (al. Beuilaquam) *Papiensem*, Venetiis sine mentione anni fol.

Hanc editionem inspexit Beckius, ex cuius *Observatt. philolog. in Satyras Iuvenalis duas priores* nos nonnumquam in Var. Lect. eam laudavimus. In omnibus, quibus eam consuluit, locis easdem exhibet lectiones, quae in edit. Locatelli Venet. 1492. reperiuntur, nisi quod Sat. II, 164. in hac *Zelates* legitur et in illa *Zalates*.

Brixiensis I. *Iuvenalis et Persii Satyrae* : *iubente Presbytero*, *Petro Villa*, *sine notis* — Brixiae fol. 1473.

Haec quoque editio nondum a quoquam, quod sciam, collata est. Describitur quidem in Specim. literar. Brixiensis P. I. p. 125 seq. sed non ita, ut criticum eius usum inde cognoscere liceat.

Mediolanensis I. (in Var. Lect. n. 52.) *Iuvenalis et Persii Satyrae* — Mediolani *per Anton. Zarotum* (Zarothum) *Parmensem* fol. 1474.

Neque huius, neque reliquarum editionum Mediolanensium (de quibus v. Saxii hist. typogr. Mediol.) exempla, etsi diligenter quaesita, invenire mihi contigit. Vellem itaque, ut, si cui ad manus sint, critica cum cura eas excuteret. Si tamen ex illis lectionibus iudicare licet, quas Beckius loco supra laudato ex Mediol. 1474. et 1511. excerpsit, quasque nos in Var. Lect. n. 52. et 53. designavimus, non multum utilitatis ad ipsum Iuvenalem emendandum inde redundaturum esse opinamur.

Nihil in iis est, quod aut tollere velis, aut non ex aliis libris iam notatum sit.

Eodem anno 1474 Romae in vulgus prodiere:

Angeli Sabini Turrensis paradoxa in Iuvenalem, Romae *per Angelum Sachsel de Reichenhal et Barthol. Golsch de Hohenbart Clericos* fol. 1474.

et paulo post:

Domitii Calderini (al. Dominici de Caldariis) *Veronensis Commentaria in Iuvenalis Satyras*, Romae fol. 1474.

Hi duumviri fuere primi, qui commentarios in Iuvenalem, si non scriberent, certe vulgarent. Commentarius Domitii longe quidem praestat eo, quem Sabinus composuit (unde et hic fere nusquam, ille mox variis locis recusus est maximoque eruditae Italiae plausu exceptus); sed ineptis scatet erroribus, etymologiis et argutiis. Saepius in eo et acerbe refelluntur Tortellii, Sabini aliorumque explicationes, nec meliores substituuntur. Inde colligas, iam tum temporis multos exstitisse, qui Iuvenalem interpretari conarentur, quod et Domitius in dedicatione libri sui docet: nisi verba eius potissimum ad Glossas membranarum spectant, e quibus tum ille, tum Mancinellus et Britannicus multa tacite descripta in rem suam converterunt; quod ex usu et lectione earum cognovi. Corrupta lectio saepe argutias peperit, etsi Domitius iam usus est codicibus scriptis, quorum tamen neque numerum, neque indolem declaravit.

Domitii Calderini—Commentaria in Iuvenalem—Brixiae *typis Henrici de Colonia* fol. 1475.

* Veneta II. (in Var. Lect. n. 46.) *Iuvenalis cum comment. Dom. Calderini* (non Ge. Merulae, quod Socii Bipontini tradunt) Venetiis arte et ingenio Iac. de Rubeis fol. 1475.

Haec est prima editio Iuvenalis cum Comm. Domitii Calderini, ex qua haud dubie propagatae sunt Venetae 1481. 1482. binae 1483. 1485. 1487. et Vincent. 1480. quae et praeter textum eadem continent, sed in textu tamen passim ab illa, et quidem aliae aliis locis, discrepant, quod ex Var. Lect. intelligetur.

*** *D. Iun. Iuvenalis et Auli Persii Flacci Sat.* (v. Catalogue de la Vallière). fol. (1475)

Mediolanensis II. *Iuvenalis et Persii Satyrae*—Mediolani per Ant. Zarotum Parmensem fol. 1476.

Est repetita editio a. 1474. quae in catalogo editionum Persii

memoratur Fabricio Biblioth. Lat. T. II. pag. 166. Lips. 1773. Cf. ad a. 1474.

*** *D. Iun. Iuvenalis Satirae*, editio Christophoro Valdafero attributa (Catalogue de la Vallière). 4to. (1476)

Ge. Merulae (propr. *Merlani*, Alexandrini) *Commentarius* bis a. 1478. prodiit sine textu poëtae, non cum eo, quod in Fabric. Bibl. Lat. et hinc in edit. Bipont. traditur,

* Venetiis *per Gabrielem Petri Duce inclyto Andrea Vendramino* fol. 1478.

et paulo post vel ante

Tarvisii *per Barthol. de Confoloneris* fol. 1478.

De hac edit. v. Fabric. l. l. p. 359. Nachricht von den Büchern in der Stollischen Bibl. T. I. p. 96. § V. et Catal. Bibl. Hasaeanae Brem. p. 503. Merula exemplo Domitii in alios quoque auctores classicos scripsit commentarios et in iis clarissimos illorum temporum viros asperioribus facetiis perstrinxit. Quam itaque bilem Domitius effuderat in Sabinum Brotheumque, eadem, sed mortuus demum, acerbissime exagitatus est a Merula. Huius tamen commentarius in Iuvenalem non magni est pretii, eiusque interpretatio saepe vel nimis arguta, vel inepta et contorta. Meliora passim in suum Comment. transtulit Britannicus, ne laudato quidem fonte, ex quo hausit. Multorum autem errorum Merulam arguit iam Politian. Epist. XI, 10.

Iuvenalis cum comm. Ge. Merulae et notis aliorum, Pinarolii fol. 1479.

Huius edit. mentionem fecit Fabricius (Bibl. Lat. T. II. p. 359.) et quidem tam brevem atque obscuram, ut ea decepti socii Bipontini tradiderint, *hanc editionem factam esse per Ias. de Rubeis*, qui tamen officinam habuit Venetiis, ubi Iuvenalem quoque a. 1475. ab eo excusum supra vidimus.

*** Mediolanensis III. *D. Iunii Iuvenalis et A. Persii Flacci Sat. per Ant. Zarotum*, Mediolani (Catalogue de la Vallière.) fol. 1479.

* Vicentina s. Vincentina (in Var. Lect. n. 48.) *Iuvenalis Satyrarum Libri impressi* Vincentiae *per magistrum Henr. Liberarium* fol. 1480.

cum commentariis Domitii Calderini cet. ut in edit. Veneta II. a. 1475. quam plerumque, nec tamen ubivis, sequitur, ut ex nostra Var. Lect. apparet. Videtur emendata passim manu viri docti vitiisque repurgata esse.

*** Veneta III. (in Var. Lect. n. 47.) *Iuvenalis cum comm.*

Domitii Calderini. In fine: Venetiis *per Baptistam de Tortis* in biblioth. reg. Paris. fol. 1481.

Recusa mox a. 1482. 1483. et 1485. Cf. ad edit. Venet. II. a. 1475.

* Veneta IV. (ut Ven. 1481.) fol. 1482.

** Veneta V. *Iuvenalis Satyrae cum comm. Domitii Calderini* Venetiis *per magistrum Thomam de Alexandrià* fol. 1483.

** Veneta VI. (ut Ven. 1481.) fol. 1483.

Vtraque editio collata est a Maittario in ed. Lond. 1716. 12mo. unde intellexi, eas numquam fere neque a se invicem, neque a Veneta III. discedere, adeoque ex ea repetitas esse. Hinc etiam in nostra Var. Lect. non scorsum hi testes excitantur.

Mediolanensis IV. *Iuvenalis Satyrae* Mediolani *per Leonhardum Pachel et Vldericum Scincenzeler* (al. Vdalrichum Scinczenecller s. Scinzenzeler, Sinzeler, Sinczenzeller) *socios* fol. 1483.

Veneta VII. *Iuvenalis Satyrae cum comm. Domitii Calderini.* Venetiis per *Baptistam de Tortis* fol. 1485.

Nova repetitio Venetae III. si Fabricio fides habęnda. Mirari certe licet, quo emtorum studio eiusdem typographi sumtibus quatuor annorum spatio quater prelo excudi potuerit Iuvenalis, et quidem Venetiis, in qua urbe practerea aliorum typis ab a. 1483. ad 1501. toties expressus est.

* Veneta VIII. (n. 49.) *Iuvenalis cum comm. Ge. Vallae Placentini.* Venetiis per magistrum Antonium de Strata (al. Strada) fol. 1486.

Haec editio, quam et Maittaire contulit in ed. Lond. 1716., prima est commentarii Ge. Vallae, non Veneta X. quod putabant socii Bipontini. Ge. Valla, Medicus et Prof. Ling. Graec. et Lat. Venetus, praeter multa alia in Iuvenalem commentarium edidit, in quo multa correxisse videtur poëtae loca, sed plurima etiam superioribus sublegit interpretibus, nec minus etymologiis verborum indulsit, parum vero novi ac boni, vel adeo praeclari, ipse attulit. Vsus tamen est antiquo codice MS., qui et Probi, ut putabat, Grammatici interpretamenta continebat; quae postea Pithoeus (v. inf. ad edit. Paris. 1585. 8vo.) Scholiis Veterum emendandis supplendisque adhibuit.

Brixiensis II. *Persius cum comm. Io. Britannici, et Iuvenalis cum Comm. Ge. Merulae, typis Iacobi Britannici,* Brixiae fol. 1486.

* Veneta IX. (n. 47.) *Iuvenalis cum Comm. Calderini*, Venetiis per Bartolomeum de Zanis de Portesio fol. 1487.

Plerumque congruit cum Veneta 1482.

*** *D. Iun. Iuvenalis Sat.* Editio absque loci, impressoris et anni nota, forsan per Iac. Pagnanis (Catalogue de la Vallière.) fol. (1490)

Mediolanensis V. (ut IV. a. 1483.) fol. 1491.

** Veneta X. (n. 54.) *Iuvenalis cum comm. Domit. Calderini et Ge. Vallae*, Venetiis *per Magistrum Theodorum de Ragazonibus* (al. Ragozzonibus) *de Asula* fol. 1491.

In plurimis, nec tamen omnibus, cum superioribus concinit editt. Cf. ad Venet. VII. a. 1485.

Veneta XI. *Persius cum comm. Britannici et Fontii*; *Iuvenalis cum comm. Merulae et Calderini*, Venetiis *apud Petrum Ioannem de Quarengis* fol. 1492.

In Fabric. Bibl. Lat. T. II. pag. 166. non Merulae, sed Vallae comm. memoratur. De usu editionis huius critico nemo adhuc solicitus fuit.

** Veneta XII. (n. 55.) *Iuvenalis cum Domitii Calderini et Ge. Vallae commentariis* (sine mentione loci, sed haud dubie Venetiis) *per Bonetum Locatellum* fol. 1492.

Haec editio in quibusdam locis Sat. I. et II. a Beckio, sed tota a principio ad finem a Maittario in ed. Lond. 1716. collata est. Congruit plerumque cum Veneta VIII. a. 1486.

* Veneta XIII. (n. 56.) *Iuvenalis cum commentariis Mancinelli*, *Domitii Calderini et Ge. Vallae.*—Venetiis *per Ioannem de cereto de tridino* (al. Tacuinum de Tridino) fol. 1492.

De commentario *Mancinelli*, qui inde ab a. 1473. (aetatis XXI.) in pluribus Italiae oppidis grammaticam liberalesque artes magna cum laude docuit, Henninius iam hoc idque verum tulit iudicium: « Nihil non magnificum pollicetur Mancinellus; verum ut, quod res est, dicam, intra fabularum prolixam enarrationem, si quando Iuvenalis eas attingit, et paraphrases fere subsistit, et rarius in interiora et recondita se penetrat. Verum tempori isti ea condonemus. »

Veneta XIV. *Iuvenalis cum comm. Sabini*, *Merulae et aliorum*, Venetiis fol. 1493.

* Veneta XV. (mera repetitio Venetae XIII.) fol. 1494.

*** *D. Iun. Iuvenalis Sat. cum comm. Dom. Calderini*, *per Nic. de Benedictis*, Taurini (In Bibl. Reg. Paris.) fol. 1494.

*** *D. Iun. Iuvenalis Sat. cum comm. Calderini, per Iohan. de Vingle*, Lugduni 4to. 1495. (In Bibl. Reg. Gall.)

Iuvenalis, Parisiis fol. 1496.

His paucis verbis memoratur editio illa a sociis Bipontinis, qui forte correxerunt ita notam Henninii, a quo perperam laudatur *ed. Paris. apud Stephanum* 8vo. 1496. Sic et in Fabric. Bibl. et ed. Bipont. designatur editio

Veneta XVI. *Iuvenalis*, Venetiis fol. 1497.

* Lipsiensis I. (n. 58.) *Liber Satyrarum Iunii Iuvenalis poëtae lepidissimi ac inter omnes Satyricos utilissimi.* Liptzk (Lipsiae) fol. 1497.

Haec est prima ed. Lipsiensis, quae plerumque convenit cum Veneta III. et a qua raro discrepant nec nisi in rebus levissimis, quae eam sequutae sunt, Lipsienses a. 1502. 1504. et 1507.

* Norimbergensis (n. 59.) *Iuvenalis*, cum comm. Antonii Mancinelli, Domitii Calderini et Ge. Vallae, Nurnbergae *per Antonium Koberger* fol. 1497.

Editio satis obvia. Titulum excipiunt eadem, quae in Veneta XIII. ex qua etiam expressa videtur, sed emendatius.

* Veneta XVII (n. 57.) *Iuvenalis, cum quatuor commentariis Ant. Mancinelli, Dom. Calderini, Merulae et Ge. Vallae* — Venetiis, *per Ioannem de Cereto alias Tacuinum de Tridino* fol. 1498.

Non mera repetitio Venetae XIII. sed nova recensio, in qua etiam tribus commentariis adiectus est quartus Merulae. Sic v. c. in Sat. VI. versus 233, qui ex illa exciderat, in hac restitutus est, et post v. 614. duo spurii sunt inserti, qui non in alia editione, quod sciam, reperiuntur, quam in Veneta VIII. Alia eaque multa variarum lectionum exempla suppeditavimus in notis criticis.

** Ascensiana I. (n. 60.) *Iuvenalis familiare commentum* (h. e. Iuvenalis cum comm. Badii Ascensii) *cum Ant. Mancinelli explanatione, et cum vocum ac rerum indice. — Impressum est hoc opus pro fido et bono bibliopola Stephano Gueynardo* (non *Baynardo*, ut Maittaire, vel *Guaynardo*, ut socii Bipont. scripsere) *cive Lugdunensi, arte et industria Nicolai Wolf Alemanni, ipso Ascensio vitiorum expunctore*, Lugduni 4to. 1498.

Haec editio, collata a Maittario in ed. Lond. 1716., est prima cum comm. Ascensii, et plerumque concinit cum Veneta XIII. Iodocus Badius natus a. 1462 in vico, prope Bruxellas sito, qui nunc *Assen* vocatur, unde ipse *Ascensii* nomen adscivit, mor-

tous a. 1535, Professor primum Lugdunensis, deinde vero celeberrimus typographus Parisiacus socerque trium magni nominis typographorum, Mich. Vascosani, Rob. Stephani et Io. de Revigny, multos auctores classicos et prelo excudit, et commentariis, sed levibus et ieiunis (*familiarem explanationem* vocat, seu *familiare commentum*) instruxit. Henninius dicit, eum in Commentariis suis infimum trivii pulverem et exspirantem barbariem olere, verum quia subinde lectionis varietatem et, quamvis rarissime, forte fortuna mentem Iuvenalis quandoque deprehenderit, excerpendi taedium a se devoratum esse. — Ceterum merae paene repetitiones huius edit. sunt posteriores Ascensianae Lugd. 1501. 1507. 1511. 1512. 1515. Paris. 1505. 1512. et 1519. Ascensianas autem non eas tantum dico, quae Ascensii prelo Parisiis excusae sunt, sed etiam quae eius familiare commentum exhibent: nam nullum fere inter eas intercedit discrimen, sive externam spectes indolem sive internam. Cf. inf. ad Ascens. III. Paris. 1505.

Iuvenalis, *cum Merulae et aliorum notis*, Parisiis fol. 1498.
Iuvenalis, *adiectis Horatii Epistolis*, Lipsiae 1498.
Veneta XVIII. *Iuvenalis cum comm. Io. Britannici*, Veneriis fol. 1499.

Hoc loco et anno primum Commentarius ille in lucem exisse putatur. Sed vix assequor, qui factum sit, ut prius Venetiis ederetur, quam Brixiae, ubi auctor eius non modo liberales artes publice docuit et a. 1510 mortuus est, sed etiam una cum fratre typographicam habuisse officinam videtur (conf. titulus edit. Brix. III. a. 1501.) in qua aliquoties et Persium et Iuvenalem cum comm. eius, illum a. 1486. et 1500., hunc a. 1501., utrosque a. 1503. excusos esse constat. Ceterum *Io. Britannicus* s. Angelus, ita dictus a maioribus, ex Britannia oriundis, vir aetatis suae doctissimus fuit, qui, praeter alia, commentarios in Horatium, Iuvenalem, Persium, Terentium, Statium et Ovidii Metamorphoses scripsit, ac princeps omnium Iuvenalis interpretum est censendus: nam non modo loca obscuriora notis doctis illustrare conatus est, sed etiam, quae praecipua eius virtus est, studiosissime investigavit mentem consiliumque poëtae, et tum summam cuiusvis satirae, tum singularum partium sententiarumque copulationem, vim poëticam, venustatem, facetias ac sales, magna solertia rectoque elegantiae sensu declaravit. Hanc ob causam ipsi quoque Grangaeo praeferendus videtur, qui varia quidem et exquisita doctrina eo superior est,

sed inferior bene accurateque interpretandi arte. Hinc etiam commentarius Britannici saepius sub prelum revocatus est, et ex eo Grangaeus aliique multa hauserunt, ne fontis quidem mentione facta. Ipse tamen iactanter magis, quam vere dixit, praeter fortasse tria aut quatuor ad summum loca, nihil prorsus relictum, quod a se non sit optime dilucidatum: doctrinam enim eius et interpretationem saepius videbis esse vel minus accuratam, vel nimis argutam et subtilem, copiosam et supervacuam, alienam et contortam.

Iuvenalis, *Persius*, *Horatius*, *Lucilius*, Lugduni Bat. 12mo. 1500.

SAEC. XVI. 1501—1601.

* Aldina I. Veneta XIX. (n. 61.) *Iuvenalis*, *Persius*, Venetiis *apud Aldum* sine mentione anni, 8vo.

Quo anno prodierit, non constat: eam vero primam esse Aldinam, vel ex eo probabile fit, quod Graeca verba, quae Sat. VI, 195. et IX, 37. in reliquis Aldinis leguntur, in ea, ut in Rom. princ., nondum expressa, sed plane omissa sunt. Tres autem esse dumtaxat Aldinas, primam s. a., alteram a. 1501. et tertiam a. 1535. vulgatam, liquido contendere possum, quoniam tot in manibus habui, quae omnes olim in biblioth. praeclara Kulenkampi exstabant et, antequam illa venderetur, ab Heynio, quae magna eius benevolentia est, mihi transmissae sunt. A Fabricio nulla memoratur Aldina, in edit. autem Bipont. una tantum, et quidem his verbis: « (1501) Aldina sine anni nota, 8vo. Iuvenalis et Persius ex officina Aldi. Eodem anno et prodit ex off. Aldi Horatius; quocum iuncti memorantur in Solgeri Catal. Bibl. (quae dein accessit ad Bibl. Norimbergensem) T. III. p. 278. n. 1833. ubi adnotatum legitur: *Ob notas MSS. Lazari Spengleri Syndici Norimbergensis doctissimi* († 1534) *in pretio habenda.* » Hasce notas rescivi non magni esse momenti et ad Horatium maxime pertinere. Aldina autem sine anni nota neutiquam confundenda est cum

* Aldina II. Veneta XX. (n. 62.) *Iuvenalis*, *Persius.* — Ad calcem Iuvenalis: *Venetiis apud Aldum*, et Persii: *Venetiis in aedibus Aldi*, 8vo. 1501.

Hoc anno etiam Horatius et Virgilius eodem prelo typisque minoribus, qui *Italici*, *currentes* et *Aldini* vulgo vocantur, excusi sunt. Quod vero Heyne in Iudice editionum Virgilii p. XCI. (edit. alt.) de Aldina tertia dixit: *praeclara et inter prae-*

stantissimas facile editio, in qua pleraque e melioribus codd. constituta leguntur; et quam, qui factum sit, ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priorem Aldinam redirent, non assequor, idem transferri potest ad Aldinam II. Iuvenalis. Emendatissima est editio, ad meliores haud dubie libros, tam scriptos quam editos, recensita. Nihilo tamen secius non modo Aldina III, sed aliae quoque editiones, ex Aldinis ductae, multis in locis eam deseruere et rediere ad Aldinam I Vnde autem tanta mutatio, et a quo inducta sit, dicere non habeo. Eadem discrepantia in omnibus auctorum classicorum editionibus Aldinis deprehenditur, et numquam fere, quod mireris, vel Aldus, vel qui post a. 1515, quo ille e vita discessit, posteriores curarunt editiones, vel minimam huius rei mentionem fecerunt. Ceterum editt. Aldinae modo hanc, modo illam editionem antiquiorem sequuntur, passim vero lectiones exhibent, quae non nisi in codd. MSS., et nonnumquam, quae in ipsis Aldinis primum reperiuntur; quod ex Var. Lect. apparebit. Inde intelligitur, eas ad Codices scriptos fuisse castigatas.

* Ascensiana II. (ut in Ascens. I. a. 1498.) *arte et industria Iohannis de Vingle.* Lugduni 4to s. fol. min. 1501.

Exemplar Ascensianae I. Lugd. 1498. descriptum fere sine memorabili mutatione.

* Veneta XXI. (n. 57.) Venetiis fol. 1501.

Repetitio Venetae XVII. a. 1498. Nonnumquam ab ea discedit et alias editt. sequitur: quam tamen lectionis varietatem excerpere haud operae pretium duxi.

* Brixiensis III. (64.) *Iuvenalis cum comm. Britannici. — Impressum hoc opus Brixiae ab Angelo et Iacobo Britannicis fratribus,* fol. 1501.

Cf. de hac edit. ad Venet. a. 1499.

** Lipsiensis II. (n. 58.) *Iuvenalis Satyrae*, Lipsiae diligentia Baccalarii Martini Herbipolensis, Lipsiensis civis, emendatae et a novo pressae fol. 1502.

Vid. ad Lipsiensem I. a. 1497.

Brixiensis IV. *Persius et Iuvenalis cum comm. Britannici*, Brixiae fol. 1503.

** Lipsiensis III. (n. 58.) *Iuvenalis Satyrae*, Lipsiae fol. 1504.

Mera repetitio ed. Lipsiensis II. a. 1502. In Catal. Bibl. Vffenbach. T. II. App. Incuuab. art. typogr. n. 227. p. 79. laudatur huius edit. exemplum, *copiis* (f. copiosis) *annotationibus et marginalibus MSS. ab anonymo quondam vet. ornatum.*

** Veneta XXIII. *Iuvenalis cum comm. Britannici, per Io. Tacuinum de Tridino* fol. 1512.

Recognita editio Veneta XVIII. a. 1499. et exculta diligenti castigatione Britannici, qui etiam adiunxit *tabulam* (h. e. indicem verborum memorabilium) *adnotationes quasdam in Asinum Apuleii et Sylvas Statii, brevem disputationem de Satyra et vitam Iuvenalis.*

** Ascensiana VII. Parisiis 8vo. 1512.

Vid. sup. ad Ascens. III. Paris. 1505. Collata est a Maittario in ed. Lond. 1716.

Iuntina. *Iuvenalis et Persius*, Florentiae *impensa Philippi di Giunta.* 8vo. 1513.

Eius meminere Bauer in Bibl. Libr. rariorum T. II. p. 216. et Goetze in Merkwürdigkeiten der Dresdner Bibliothek p. 173. n. 213. Sed, quod doleo, nondum quisquam fuit, qui criticum eius usum exquireret: neque etiam praeter hanc aliam Iuntinam vidi memoratam. Vix tamen dubito, quin Iunta more suo Aldinas expresserit editiones.

Iuvenalis et Persii Satyrae, Argentorati *per Io. Knoblauc* 4to. 1513.

Mediolanensis VII. *Iuvenalis cum comm. Io. Britannici; opus erroribus emendatum maximaque diligentia impressum per Io. Angelum Scinzenzeler, impensis nobilium virorum Io. Iacobi et fratrum de Lignano mercatorum Mediolanensium*, Mediolani fol. 1514.

Recognita editio Veneta XXIII. Exemplum eius possidet Cl. Borheck et aliud laudatur in Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 359 360. ed. Lips. 1773. Iuvenalem excipit *Persius cum pluribus additis annotamentis Angeli Politiani, Phil. Beroaldi et Bapt. Egnatii.*

* Veneta XXIV. (n. 50.) *Iuvenalis cum comm. Io. Britannici.* — Opus impressum Venetiis per *Ge. de Rusconibus Mediolan.* fol. 1515.

Repetitio editionis Venetae XXIII.

Ascensiana VIII. *Iuvenalis cum comm. Mancinelli et Badii Ascensii*, Lugduni 4to. 1515.

Iuvenalis cum A. Mancinelli explanatione, Coloniae 4to. 1517.

Memoratur in eodem Catal. p. 42.

Iuvenalis, Lugduni 4to. 1517.

Huius edit. mentionem faciunt socii Bipontini, qui non male

suspicantur, eam esse repetitionem ed. Lugd. 1512, nisi forte prò eadem habenda est et annus vitiose adscriptus 1517. pro 1512. Illa coniectura si vera est, haec editio est Ascensiana nona.

Veneta XXV. *Iuvenalis et Persius* fol. 1518.

* (n. 66.) *Iunii Iuvenalis Aquinatis inter Latinos satyrographos consummatissimi Satyrae emaculatius impressae*, Argentinae per Io Knoblouch 4to. 1518.

Praeclara editio et nova Iuvenalis recensio, quae textum quidem Aldinum pro fundamento posuit, sed multa in eo ex antiquis libris correxit. Recusa est a. 1527. sed quis ei praefuerit vir doctus, haud compertum habeo.

* Ascensiana IX. s. X. de quo v. ad Lugd. 1517. (n. 65.) *Iuvenalis familiare commentum cum Mancinelli explanatione*, Parisiis 4to. 1519.

Repet. ed. Ascens. III. a. 1505.

** (n. 78.) *Persius et Iuvenalis*, Lugduni *opera Guilielmi Huyon impressoris* 8vo. 1521.

Editio haec a Beckio collata in multis locis Sat. I. et II. quibus non nisi semel discrepat ab Aldina II. ex qua itaque expressa videtur.

Iuvenalis, Basileae 8vo. 1522.

** (n. 66.) *Iuvenalis una cum A. Persio recogniti.*—Argentorati *Ioh. Cnoblochus excudebat* 8vo. 1527.

Repetitio ed. Argent. a. 1518.

* Colinaei I. (n. 67.) *Iunii Iuvenalis Aquinatis Satyrae decem et sex, cum annotatiunculis in margine adiectis, quae brevis commentarii vice esse possint.* Parisiis *apud Simon. Colinaeum* 8vo. 1528.

Recusa est a. 1535. et 1542. Editiones Colinaei, ut Curionis, Frobenii, Gryphii et Rob. Stephani, ex Aldinis fluxere, sed quaelibet etiam bona sibi propria passimque alias et nonnumquam meliores, habet lectiones. *Annotatiunculae* illae, nunc primum et deinde saepius editae, sunt Scholia Curionis, de quibus vid. ad edit. Basil. 1551.

* *Iunii Iuvenalis Aquinatis Satyrae, ad imitationem Aldini exemplaris (primi et tertii) emendatae et Curionis scholiis, satyrae cuilibet subnexis, illustratae. Opus excusum* Cracoviae *per Mathiam Scharffenbergk expensis Marci Scharffenbergk bibliopolae ibidem*, 8vo. 1529.

Veneta XXVI. *Persius cum Iuvenali*, Venetiis *apud Bernardinum Stagninum* 12mo. 1530.

** (n. 79.) *Iuvenalis*, Basileae *per Valentinum Curionem* 8vo. 1531.

Multis in locis Sat. I. et II. inspecta a Beckio. Cf. ad edit. Colin. Paris. 1529.

Gryphii I. *Persius et Iuvenalis*, Lugduni *apud Seb. Gryphium* 8vo. 1534.

Vid. ad edit. Colin. Paris. 1528.

Veneta XXVII. *Persius cum Iuvenali*, Venetiis *apud Bernard. Stagninum* 8vo. 1535.

Repet. Venet. XXVI. a. 1530.

* Colinaei II. Parisiis *ap. Sim. Colinaeum.* 8vo. 1535.

Repetitio ed. Colin. I. Paris. 1528.

* Aldina III. Veneta XXVIII. (n. 63.) *Iuvenalis*, *Persius. Aldus MDXXXV.* (Venetiis) 8vo. 1535.

Vid. ad Aldinam I. et II. a. 1501.

*** Gryphii II. Iuvenalis et Persii Sat. ap. Seb. Gryphium Lugduni (In Bibl. Reg. Gall.) 8vo. 1535.

Iuvenalis et Persius, Lugduni 1537.

teste Henninin. Est forsan Gryph. III.

Veneta XXIX. *Iuvenalis*, Venetiis 1538.

Gryphii III. *Iuvenalis et Persii Satyrae iam recens recognitae, simul ac annotatiunculis illustratae*; Lugduni *apud Seb. Gryphium* 8vo. 1538.

In edit. Bipont. ita describitur: « Haec editio pulchrius literis Italicis expressa. Textus fere convenit cum Aldino exemplari, sed et ab eo discedit, maxime orthographica ratione et interpretatione. Bonas subinde lectiones habet, quas Henninius ut in iunioribus repertas probat. Exempla adfert Cl. Lengnich Beiträge zur Kenntniss seltener Bücher T. II. p. 141—148. ubi hanc edit. pluribus describit. » Cf. ad ed. Paris 1528.

Veneta XXX. *Iuvenalis Satyrae cum interpr. Io. Britannici et Iodoci Badii Ascensii explanationibus*, Venetiis *per Bernardinum de Bindonis* fol. 1539.

Iuvenalis et Persii Satyrae, Antuerp. 8vo. 1540.

Iuvenalis, Colon. 8vo. 1541

Vid. ad edit. Colon. a. 1510.

** Colinaei III. (n. 67.) *Iuvenalis et Persius*, Parisiis *apud Simon. Colinaeum* 12mo. 1542.

Collata a Maittario in edit. Lond. 1716. Cf. ad Paris. 1528. et 1535.

Iuvenalis, Parisiis 1543.

* Rob. Stephani I. (n. 68.) *Iuvenalis et Persii Satyrae, ad vetustiss. scripta exemplaria emendatae; quorum varias lectiones ad calcem reiecimus.* Lutetiae, *ex officina Rob. Stephani typographi regii* 8vo. 1544.

Ad calcem leguntur *variae lectiones*, paucae quidem, sed bonae nonnumquam et receptae, *ex vetusto* (non accurate descripto) *codice Rob. Stephani*: et haec sunt *vetustiss. scripta exemplaria*, ad quae Satiras a se emendatas esse, in titulo profitetur. Cf. ad ed. Paris. 1528. Nota autem res est, editiones huius Stephani, aeque ac Aldi, inter emendatissimas esse referendas, et ab utroque iis, qui operarum errores deprehenderent, ingentia saepe praemia fuisse promissa. Hic Robertus Stephanus fuit gener Iod. Badii Ascensii, frater Caroli et pater Henrici atque Roberti II. Henricus praeter alios liberos filium reliquit Paulum (pater Antonii) filiamque eruditam Catharinam, uxorem Is. Casauboni; Robertus vero II. duos filios, Franciscum et Robertum Stephanum III. qui Iuvenalem Paris. 1613. et 1616. typis expressit. Hi Stephani fuere omnes celeberrimi typographi iidemque doctissimi. v. Almeloveen de vitis Stephanorum et Maittaire historia Stephanorum.

Persius cum Iuvenali, Francofurti 12mo. 1544.

. * Gryphii IV. (n. 71.) *Iuvenalis Satyrae iam recens cognitae atque emendatae.* Parisiis, *ex officina Francisci Gryphii* 16mo. 1545.

Plerumque convenit cum editt. Seb. Gryphii. Cf. ad Paris. 1528. et Lugdun. 1538.

* *Iuvenalis et Persii Satyrae.*—Basileae *apud Nicolaum Brylingerum* 12mo. 1546.

Congruit cum Aldinis et Stephanianis.

Gryphii V. *Iuvenalis Satyrae apud Seb. Gryphium*, Lugduni 12mo. 1546.

Veneta XXXI. *Iuvenalis cum comm. Io. Britannici*, Venetiis fol. 1548.

Memoratur in Henninii Ind. editt. Iuven., et Veneta huius anni *cum explanat. Iod. Badii Ascensii* in Catal Bibl. Francofurti d. 8. Iul. 1799. venditae p. 17. Vterque autem commentarius forte iunctus, et haec editio ex Veneta XXX. expressa est.

** Rob. Stephani II. (n. 69.) *Iuvenalis et Persius*, Lutetiae, ex off. *Rob. Stephani* 8vo. 1549.

In hac altera Stephani editione, quam Maittaire in ed. Lond.

1716. contulit, lectio poëtae passim ad alios libros antiquiores mutata reperitur. Cf. ad ed. a. 1544.

Veneta XXXII. *Iuvenalis*, Venetiis 1549.

** Frobeniana (n. 80.) *Persii Satyrae cum comm. Badii, Britannici, Plautii* al. *Iuvenalis cum comm. Britannici et scholiis Curionis*, Basileae *ap. Hieron. Frobenium et Nicol. Episcopium* fol. 1551.

Multis locis Sat. I. et II. collata a Beckio. Vid. ad Venetam I. et Paris. 1528. Nunc primum edita sunt haec scholia *Coelii Secundi Curionis*, Theologi atque Philologi olim clarissimi, in agro Taurinorum a. 1503. nati, qui primum in Italia, deinde Lausanae et Basileae Rectoris, Magistri liberalium artium et Prof. eloq. partes egit. Scholia illa pauca tantum et brevia sunt, sed passim bona et utilia, quibus tum praeterita ab aliis explicantur, tum Britannici potissimum emendatur commentarius. In fronte autem huius edit. *nova* dicuntur, quoniam alia iam prius vulgaverat Curio eaque brevissima, quae margini editionum Colinaei, Gryphii aliorumque adiecta sunt. vid. ad ed. Paris. 1528

* (n. 73.) *Iunii Iuvenalis et A. Persii Satyrae, annotatiunculis* (Curionis) *illustratae*, Lugduni, *apud Antonium Vincentium* 12mo. 1556.

Textus expressus est fere ex editt. Gryphii, ut in Lugd. 1562. et 1564. Socii Bipontini huius editionis loco memorant aliam, a se collatam, ejusdemque tituli, loci et anni, quae ex rec. Iunii sit, sed prodierit *apud Io. Frellonum*: unde haec alia videtur esse. Nostra tamen plane convenit cum ed. Frellon. Lugd. 1564.

Iuvenalis et Persii Satyrae, Lugduni 12mo. 1557.

** *Iuvenalis*, Parisiis *ap. Vascosanum* 4to. 1557.

Collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Raro dissentit a recensione Ascensiana.

Iuvenalis et Persius, cum annotatiunculis in margine, Antverp. 8vo, 1559.

* Gryphii V. (n. 72.) *Iuvenalis et Persii Satyrae, cum vetustissimis iisque mss. codd. denuo collatae et emendatae.* Lugduni *apud haeredes Seb. Gryphii* 12mo. 1560.

Nova recensio, quae tamen non multum novavit in textu, quem reliquae exhibent Gryphianae. Auctor eius forte est Ant. Gryphius filius, qui codem anno *Lugduni apud her. Seb. Gryphii* edidit *Virgilii Opera*, et bis a. 1567. Iuvenalem.

* *Iuvenalis et Persii Satyrae, iam recens recognitae, simul ac annotatiunculis* (Curionis) illustratae. Parisiis *ap. Hieron. de Marnef,* 12mo. 1561.

Raro discedit ab edit. Gryph. Paris. 1545

Iuvenalis et Persius, Lugd. *ap. Frellonium* 12mo. 1562.

Repet. edit. Lugdun. 1556. quod Sodales Bipontini docent ex Engelii Biblioth. sel. p. 40. in voc. *Catullus.*

* (n. 73.) *Iuvenalis et Persii Satyrae, annotatiunculis* (Curionis) *illustratae*, Lugduni *ap. Io. Frellonium* 12mo. 1564.

Cf. ad Lugdun. 1556.

* Pulmanniana s. Plantiniana I. (n. 75.) *Iuvenalis Satyrarum Libri V. Persii Flacci Satyrarum Liber I. Theod. Pulmanni in eosdem annotationes.* Antverpiae *ex off. Christoph. Plantini* 8vo. 1565.

Pulmannus, (Pœlmann) quum a pannificio, quod primum didicerat, ad philologiam transiisset, in multos auctores classicos notas scripsit, in quibus tamen pauca tantum ex ipsius ingenio profecta sunt, et omnia fere ex aliorum libris, praecipue ex Turnebi Adversariis, petita. Huius quoque generis sunt *annotationes* eius in Iuvenalem, ad calcem huius ed. reiectae, in quibus etiam reperiuntur passim literae *N. P. M. I.* quarum compendia ne ipse quidem explicuit. Probabilis autem est coniectura Henninii, iis designari codd. mss. *Noviomagensem, Pulmanni, Miggrodii, Iunii*, ex quorum fide Iuvenalem a se restitutum esse iactanter magis, quam vere, in praef. profitetur. Eum negligentiae in conferendis MSS. iam arguit Nic. Heinsius in Praef. ad Claudianum. Ceterum haec editio mox repetita est a. 1566. 1585. 1587. 1590. in margine autem leguntur Scholia Hadr. Iunii, Medici atque Philologi Batavi, (n. 1511. * 1575.) in quibus et variae lectiones, sed simpl., non designatis codd., qui eas exhibent, recensentur, et loca quaedam obscura paucis, et saepe perperam, explicantur.

Pulmanniana s. Plantiniana II. *Iuvenalis* cet. ut in edit. I. a. 1565. Antverpiae *ex off. Plantini* 8vo. et 12mo. 1566.

*** *Iuvenalis et Persii Sat. per Antonium* (forsan Gryphium) Lugduni 8vo. 1567.

(Biblioth. du Panthéon.)

*** *Iuvenalis et Persii Sat. vett. MSS. denuo collatae et annotatt. locupletatae Ant. Gryphii*, Lugduni (In Bibl. Reg. Gall.) 12mo. 1567.

*** *Iuvenalis Satt. per Iac. de Fivisa*, Venetiis s. a. (Catal. de la Vallière.) 4to. (1972.)

Gryphii VI. *Iuvenalis et Persius.* Lugduni 16mo. 1576.

Veneta XXXIII. *Iuvenalis c. comm. Domitii Calderini* fol. 1583.

Pulmanniana s. Plantiniana III. *Iuvenalis* cet. ut in edit. I. a. 1565. Antverp. 24mo. et 16mo. 1685.

* Pithoei I. (n. 75) *A. Persii Satyrarum Liber I. D. Iunii Iuvenalis Satyrarum Libri V. Sulpiciae Satyra I. cum veteribus Commentariis* (Scholiis) *nunc primum editis. Ex bibliotheca P. Pithoei IC. cuius etiam Notae quaedam adiectae sunt.* Lutetiae *apud Mamertum Patissonum* 8vo. 1585.

Editio praestantissima et inter emendatissimas referenda. Petrus Pithoeus, frater Francisci (qui fratres gemini fuere celeberrimi illius aetatis ICti summisque honoribus Parisiis ornati), de contextu tam Iuvenalis quam Persii emendando praeclare meritus est, adhibitis in consilium codicibus scriptis et potissimum quidem antiquissimo Budensi, qui olim Matthiae Corvino regi Hung. fuerat, et ex quo etiam primus integra edidit *Scholia vetera*, quorum dimidiam tantum partem, sed non ita diligenter exscriptam, vulgaverat Valla. v. sup. ad edit. Venet. VIII. a. 1486. *Scholia* haec, quibus similia in multis MSS. Iuvenalis reperiuntur, et quae admodum corrupte descripta sunt (unde multi in iis emendandis ingenium exercuere, de quibus v. edit. Henniu. et Ach.) a nonnullis tribuuntur Cornuto, ab aliis Petro Birthio, a plerisque *Probo*, sive Valerio Probo, Grammatico Berytio, sive aliis huius nominis grammaticis (de his v. Heyne de editt. Virg. T. I. p. CXLVIII. ed. sec. et Burm. ad Anthol. T. I. p. 739. et in Praef. p. 35.): sed probabilior est coniectura eorum, qui putant, centonem hunc esse e variis et a variis, sine delectu, consutum, et multa sapere aevum serius et Imperatorum christianorum (v. c. scholia ad Sat. V, 17. VIII, 170. XI, 87. XIV, 78. 102.), nonnulla etiam sibi repugnare. Ceterum non diffiteor, Scholiasten Pithoeanum fuisse hominem doctum, qui et poëtae passim mentem recte ceperit multumque lucis affuderit locis aliquot obscuris, et varias memoraverit fabulas, historias atque opiniones antiquas, quae alibi frustra quaeruntur. Sed idem quoque recte mihi contendere videor, primum longe plurimas eius explicationes nimis leves ac triviales, tenues et ieiunas, subtiles et argutas, alienas et ineptas, obscuras et contortas esse; deinde, quoties fere

Iuvenalis ad ignotos nobis homines vel eventus sui temporis respiciat et inde materiam petat facetiarum, illum, Acronis, Porphyrionis aliorumque grammaticorum exemplo, non alia ac plura nos docere, quam quae ex ipsis poëtae verbis cognoscere liceat, vel, quia haec non intellexerit, commentitias inde ac futiles nonnumquam fabulas componere; praeterea eum saepe non notissimas tantum historias et res pluribus exponere verbis, sed verioribus quoque ac certioribus, quae Tacitus aliique tradiderint, nugas et commenta, ex perversa horum interpretatione enata, sive admiscere, sive substituere

Pulmanniana IV. *Iuvenalis et Persius.* Antverp. *ex off. Christoph. Plantini* 1587.

Pulmanniana V. *Iuvenalis et Persii Satyrae.* Lugduni *apud Plantinum* 12mo. 1590.

* Pithoei II. (n. 76.) *A Persii* cet. ut in Pith. I. Heidelbergae (ex officina Sanctandreana) 8vo. 1590.

Est repetitio ed. Paris. 1585. sed emendatior, in qua Commelinus et distinctionem et lectiones pluribus mutavit locis. Vid. Var. Lect. ad V, 91. 142. VI, 82. 114. 127. 320. 330. 369. 402. 524. 537. VII, 23. 46. 124. 236. VIII, 66. 90. 122. 123. 239. IX, 146. X, 34. XI, 20. XII, 116. XIV, 45. Socii Bipontini haec adnotarunt: « Exemplar huius ed. servatur hodie in Bibl. Acad. Heidelberg. idque ante Graevium possessorem fuerat viri quondam eruditissimi, oratoris, poëtae et politici, Dan. *Eremitae* († 1613.), qui vetera Comm. a Pithoeo edita multis locis emendavit. Fuit quoque exemplar in Bibl. perill. Lud. Bernh. de Zech, Lipsiae 1780. divendita, quod quondam fuerat I. Fr. Christii, qui sua manu marginibus adnotatiunculas Fr. *Lindenbrogii* descriptas adiunxit. » Hoc exemplar, quod nunc in Biblioth. Acad. Lips. est, inspexi et comparavi. In notis autem Lindenbrogii (Lindenbruch), non nisi varietas lectionis, sed simpliciter et sine indicio auctoritatis vel codicum, e quibus excerpta est, passim notatur, et vicies vel tricies similia veterum scriptorum loca et Turnebi Adversaria excitantur.

Duae aliae huius anni editiones Henninio laudantur,

Iuvenalis c. n. Pithoei, Paris. *ap. Patisson.* 8vo. 1590 et

Iuvenalis c. n. Pithoei, Antverp. 8vo. 1590.

*** *Iuvenalis Satirae et in eas Philyrae Bertrandi Autumni. Ant. Ravissa*, Basileae. (in Bibl. Reg. Gall.) 4to. 1596.

D. Iunii Iuvenalis Satyrarum Libri quinque, locupletissima,

nec minus utili, paraphrasi illustrati a Federico Ceruto Veronensi, Veronae 4to. 1597.

Haec editio nullum babet usum criticum, neque interpretatio poëtae valde iuvatur paraphrasi, quae tamen Augustae Vindel. 1599. 1600. et 1603. repetita est. Tali quoque paraphrasi Cerutus Virgilium et Horatium illustrare est conatus. *Eam ultra verbalem constructionem raro adsurgere*, iam monuit Henninius.

Iuvenalis, Rostoch. 8vo. 1599.

Ed. Raphelengiana (Lugd. Bat. ex off. Plantin. ap. Rapheleng.) 8vo. 1600.

SAEC. XVII. 1601—1701.

** *Iuvenalis Satyrae* XVI. *cum veteris scholiastae et Io. Britannici commentariis; quibus accesserunt P. Pithoei, Curionis et Pulmanni notae et variae lectiones: ad calcem adiecta est Sulpiciae Satyra.* Lutetiae, *apud. Claud. Morellum* 4to. 1602.

Editio recusa a. 1613. et utraque collata a Maittario in ed. Lond. 1716. Morellus in textu poëtae exprimendo sequutus est editiones Pithoei, in recudendo Britannici commentario Frobenianam a. 1551.

Iuvenalis, c. comm. Lubini, Rostocae 8vo. 1602.

Laudatur ab Henninio. Vid. mox ad a. 1603.

Iuvenalis, cum paraphr. Fed. Ceruti, Augustae Vindelic. 4to. 1603.

Cf. sup. ad a. 1599. et 1699.

Gryphii VII. *Persii et Iuvenalis Satyrae*, Lugduni *ap. Gryph* 12mo. 1603.

Iuvenalis, Paris. 4to. 1603.

Iuvenalis et Persii Satyrae cum comm. Theod. Pulmanni et Eilh. Lubini, Lugduni 12mo. 1603.

* Lubini II. s. Wecheliana (n. 77.) *Iuvenalis Satyrarum Libri V. ex duobus mss. exemplaribus et vetustiss. ms. Commentario plus quam ducentis locis correcti. Praeterea A. Flacci Persii Satyrarum liber unus. Cum analysi et doctissimis commentariis, partim nunc primum, partim de integro editis, Eilhardi Lubini. In fine accessit rerum et verborum index utilissimus.* Hanoviae, *typis Wechelianis*, 4to. 1603.

Lubinus Iuvenalem et ad fidem codicum MSS. recensere, et interpretari conatus est, sed impar fuit talibus ausis. Raro notavit varietatem lectionis, et modo hanc, modo illam recensionem superiorem, plerumque Stephani, Gryphii et Pulmanni,

sequutus videtur. Commentarius autem speciosus verbis, re inanis est et verbosum prodit nugatorem, qui pleraque non semel, sed bis terve, mutatis verbis παραφράζει, et vanam saepe alienamque ostentat doctrinam, quae multa tum obscura non illustrat, tum satis clara et perspicua alienis luminibus affusis obfuscat: quare vix satis mirari possum, quid causae fuerit, quod recentiores interpretes, Prateus, Schrevelius, Marshall aliique hunc commentarium celeris longe praeferendum et ad verbum fere repetendum aut unice sequendum censuerint. Neque meum modo hoc iudicium est, sed Henninii quoque et aliorum.

Iuvenalis, in Volj. II. Corp. poët. Lat. editi a Sam. Crispino, Genevae (Aureliae Allobr.) 4to. 1603.

Editio recusa a. 1611. et 1627.

*** *Iuvenalis et Persii Satirae, ex officina Plantiniana Raphel.* Antverpiae (In Bibl. Reg. Gall.) 16mo. 1605.

Iuvenalis et Persii Satyrae cum Commentationibus et Paralipomenis B. Autumni. Paris. 1607. *Item Stephani Claverii Commentarius in A. Persii Satyras.* Paris. 1607. *Item Claverii periphrases aenigmaticae in Iuvenalem: adiunctae Ios. Scaligeri, Lipsii et aliorum explicationes*; Parisiis, *apud Rob. Fovet* 8vo. 1607.

Claverii Periphrases quorumdam locorum Iuvenalis difficiliorum, ab Henninio insertae Notis Selectis, paucae sunt et exiguo vel nulli adeo usui ad interpretationem poëtae. Cf. Barth. ad Stat. T. I. p. 432. De *Autumno* recte iam Henninius ita iudicavit: « *Bernardus Autumnus* Nitiobrix, in Senatu Burdigalensi patronus, summa cum pompa promittit *Commentationes, Observationes, Paralipomena* in has Satyras a se ex MSS. (si Diis placet) restitutas, omnesque ante eum Interpretes nominatim mox ab initio iactat castigatos. Verum, sine invidia verum mihi liceat dicere, si singuli sua repetitum venirent, nudus remaneret procul dubio ineptissimus rhapsodus, ut Barth. Advers. XXVII, 17. aliisque non sine ingenti merito suo dicitur. »

Iuvenalis, cum ind. Langii, Friburgi 4to. 1607.

Iuvenalis et Persius, cum Ios. Langii indice omnium vocabulorum, Friburgi 4to. 1608.

Ios. *Langii*, Caesaremontani, Rhetorices et Graecarum Lit. Profess. in Academia Friburgensi, opera posita tantum in conficiendo Indice vocabulorum (et quidem singulorum tantum), non phrasium, absolutissimo, qui ab aliis deinde editoribus, etiam

Henninio et Achaintre, receptus est, sed non adeo magnum habet usum. Similis Index iam in antiquis editt. reperitur; hic tamen plenior est.

Iuvenalis Satyrae, castratae in usum Collegii S. I. Brunsbergensis, Coloniae 8vo. 1610.

Persius et Iuvenalis in Vol. I. et II. Corp. Poët. Lat. Crispiniani edit. II. Genevae 4to. 1611.

Vid. sup. ad a. 1603.

Iuvenalis et Persius, c. not. et ind. omnium verborum, Genevae 12mo. 1612.

Iuvenalis et Persius, cum notis Thomae Farnabii, Londini 12mo. 1612.

Editio haec, scholarum usibus inserviens, saepissime repetita est in 8vo. et 12mo., Paris. 1614. atque multo emendatior et auctior Lond. 1620. 1633. Francof. ad M. 1623. Amst. 1624. 1631. 1633. 1634. 1641. 1642. 1648. 1650. 1652. 1662. 1668. 1670. Paris. 1626. 1628. 1644. Lugd. 1650. 1672. Hagae Com. et Roterod. 1683. Roterod. 1702. Pictav. 1705. Notae, margini adscriptae, breves sunt et maximam partem ex aliis interpretibus, non magna iudicii subtilitate, selectae; in textu vero et lectio et distinctio parum proba et accurata.

* *Iunii Iuvenalis* cet. ut in edit. I. a. 1602. — *Additus est index geminus rerum et verborum omnium absolutissimus.* Lutetiae, *apud Claud. Morellum* 4to. 1613.

Iuvenalis et Persius, Coloniae 12mo. 1613.

Stephani III. Rigaltii I. (n. 70.) *Iuvenalis Satirarum Libri V. Sulpiciae Satira. Cura Nic. Rigaltii.* Lutetiae, *ex off. Rob. Stephani* III. 12mo. 1613.

Conf. ad Rigaltii edit. II. a. 1616.

* Grangaei (n. 81.) *Iuvenalis Satyrae cum comm. Is. Grangaei.* Parisiis, *apud Rob. Fovet* 1614. 4to. *Iuvenalis cum comm. Bern. Autumni.* Paris. 1614. *Iuvenalis c. comm. Dom. Calderini*, Paris. 4to. 1614.

De *Autumno* vid. ad ed. Paris. 1607. de *Calderino* ad a. 1474. *Grangaei*, Gymnasiarchae Vindocinensis, opera magis ad interpretationem, quam ad rem criticam spectat. Commentarius eius est omnium longe doctissimus, sed multa quoque, quae ad poëtam nihil faciunt, ad singulas voces et sententias in eo adnotata sunt et operose congesta. Conf. ad edit. Venetam XVIII. a. 1499.

* Stephani IV. Rigaltii II. (n. 70.) *D. Iunii Iuvenalis Sati-*

rarum Libri V. Sulpiciae Satira. Nova Editio, *cura Nicolai Rigaltii*. Lutetiae, *ex officina Rob. Stephani* III. 8vo. 1616.

Editio haec nova utrum a priore a. 1613. differat, nec ne, dicere non habeo. Classica autem est et superioribus praeferenda omnibus emendatae sanaeque lectionis nomine; simplici quoque elegantia et nitore typographico commendanda. Ei praefixa est Rigaltii *Diss. de Satira Iuvenalis*, adnexae autem ad calcem *Notae* et *Notae aliquot repetitae lectionis*. In hisce notulis plerumque vera poëtae mens declaratur vel tribus quatuorve verbis, vel collatis aliorum scriptorum locis, et variantes lectiones membranarum bis tantum, aliorumque librorum, nescio utrum scriptorum an editorum, toties vel ter laudantur: quod neque saepius, neque accuratius, libris designatis, factum esse et miror et doleo; quum Rigaltius haud dubie usus sit opibus Biblioth. Regiae Paris. in qua certe in ordinem digerenda adiuvit Casaubonum, cuique post huius mortem praefuit. — Sodales Bipontini duplicem edit. Rigaltianam huius anni, alteram Persii, Iuvenalis et Sulpiciae in 8vo. e Bibl. Cordesiana p. 499, alteram Iuven. et Sulpic. 12mo. e Catal. *de la Bibl. du Roi Belles Lettres* T. I. p. 318. memorant.

Persius et Iuvenalis, uterque omni obscoenitate expurgatus, in Alex. Ficheti Choro poëtarum, Lugduni 4to. 1617.

Lubini III. s. Wecheliana II. *Iuvenalis et Persius*, *cum comm. Lubini*, Hanoviae, 4to. 1619.

Repetitio ed. a. 1603. qua usus est Henninius.

*** *Iuvenalis et Persius cum comm. Lubini apud David. et Daniel. Aubry*. Hanoviae, 8vo. 1619.

(In Bibl. Reg. Gall.)

Iuvenalis et Persius, Amstelod. 24mo. 1619.

** *Iuvenalis Satyra II.* (Paris.) *ap. Io. Libert*. 4to. 1621.

Eiusdem typographi impensis excusae Sat. VI. a. 1622., Sat. XIII. a. 1624., Sat. I. a. 1643, Sat. III. a. 1644., Sat. IV. V. VII. VIII. sine nota anni, et Sat. XII. ap. viduam Libert. a. 1652. Quae editiones collatae sunt a Maittario in ed. Lond. 1716. et modo hanc, modo illam recensionem, plerumque Gryphianam, sequuntur.

Persius et Iuvenalis in Corp. poët. Lat. Crispinano, ed. III. Genevae 4to. 1627.

Cf. ad a. 1603. et 1611.

** *Iuvenalis et Persius*, Parisiis *ex tipogr. Regia* fol. 1644.

Editio collata a Maittario et splendide excusa prelo Lupa-

rensi, ex quo etiam Virgilius, Horatios et Terentius non minore impensa et nitore exierunt.

Schreveliana I. *Iuvenalis et Persii Satyrae cnm veteris Scholiastae et Variorum commentariis, accurante Corn. Schrevelio.* Logduni Bat. 8vo. 1648.

De hac edit. vid. inf. ad quartam a. 1664.

Iuvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, Amsterodami *ap. Lud. Elzevirium* 12mo. 1651.

Editio videtur digna, quae inspiciatur.

Iuvenalis et Persius, Genevae 12mo. 1652.

Schreveliana II. vcl III. *Iuvenalis et Persii Satyrae cum Vet. Scholiastae et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio,* Lugdoni Bat. 8vo. 1658.

Repetit. edit. a. 1648. Vtrnm vero secunda an tertia sit Schreveliana, dicere non habeo: editio certe a. 1664 cst quarta; quod cx Pracfat. eius intelligitur.

* Schreveliana IV. *Iuvenalis* (Sulpiciae), *et Persii Satyrae cum Vet. Scholiastae et Variorum Commentariis, accurante Corn. Schrevelio* (M. D. et Gymn. Lugd. Bat. Rectore), Lugd. Batav. et Roterod. 8vo. 1664.

Editio *cum notis Variorum*, quales a Batavis Sacc. XVII. curari solebaot; in quibus multorum notae (et quidem, quod mireris, integrae Lubini et Farnabii; selectae aliorum) larga manu, sioc iudicio ac delccto, non ubi iis opus erat, sed ubi hic vel ille commcntator eas adscripserat, congestae, et saepissime vel eadem, quac plnres observarnnt, bis terve apposita, vel vulgaria, aliena ac falsa excerpta sunt; varietas autem lectiouis vix quiuque vel sex locis, nec fere nisi verbis *alii legunt*, notata, etsi editor usus est et multorum commentariis, editionibus observationibusque, et qoatuor codd. MSS. Salmasii et Gudii. In textu tamen constituendo felicior ille fuit (plerumque enim sequutus cst recensionem Rigaltii in ed. Stephan. III.), quam in delectu notarum. Scholia autem vetera saepe pro lubitu et perperam cmendavit: et tamen Henninius incaute eum sequutus est. v. sop. ad edit. Pithoei I. a. 1585.

*** *D. Iunii Iuvenalis et A. Persii Flacci Sat. apud Sim. Bernard.* Parisiis 12mo. 1669.

(Bibl. de l'Arsenal.)

Iuvenalis et Persii (nec non Sulpiciae) *Satyrae ex doctorum virorum emendatione.* Amsterodami, *typis Dan. Elzevirii* 16mo. 1671.

Repetit. forte edit. a. 1651.

Iuvenalis et Persius cum notis Variorum et Mich. Marollesii, cum eiusd. vers. Gallica, Lutetiae 8vo. 1671.

*** Schrevel. V. *Iuvenalis*, cet. Lugd. Bat. 8vo. 1671.

Iuvenalis et Persius, Roterod. 12mo. 1680.

Iuvenalis et Persius Latine cum versione Gallica Valterii (de la Valterie), Paris. 8vo. 1681.

*** *Iuvenalis Satirae ab omni obscoenitate expurgatae, apud Masson*, Parisiis 12mo. 1683.

(Bibl. du Panthéon.)

Schreveliana VI. *Iuvenalis* cet. ut in ed. IV. a. 1664. Amstel. *ex off. I. H. Wetstenii* 8vo. 1684.

Haec editio prioribus auctior est, adiectis varr. Lectt. cod. Basil. et Graevii notis, sed paucis tantum et criticis. Cf. ad a. 1664. Praeter hanc edit. a sociis Bipontinis alia memoratur h. a. nec nisi his verbis: *Schreveliana*, Amstel. 8vo. 1684.

* *Iuvenalis et Persii Satirae, notis illustravit Ludov. Prateus, Rhetoricae Professor emeritus, iussu Regis, in usum Delphini*, Parisiis 4to. mai. 1684.

Prateus inter meliores Iuvenalis interpretes eosque, qui in Delphini usum commentati sunt, referendus est, et contextui poëtae paraphrasticam *interpretationem*, huic vero copiosas subiecit *annotationes* maximamque partem ex aliorum commentariis excerptas, quibus et summam cuiusque satirae nexumque sententiarum, et obscuriora loca, verba ac res explicare conatus est. Multa tamen immiscuit tum vulgaria, tum falsa et aliena; quaeque res postulabat, saepe non monuit: permultos quoque versus, nimio castitatis studio et exemplo aliorum (v. ad a. 1610. 1617. 1685. 1689. 1697.) resecuit; sed eosdem perperam et imprudenter in unum locum congestos ad calcem editionis suae reiecit: nam qui his lautitiis pascuntur, eas in tali lance satura appositas cupide devorabunt. Praeterea omnis fere opera eius in commentando versata est, non in textu emendando, et passim revocata lectio, quam Pithoeus, Rigaltius aliique iam recte respuerant. Recusa est haec editio Rhotomagi 1685. Lond. 1691. 1699. 1708.

Henniniana I. *D. Iunii Iuvenalis Satyrae, scholiis veterum et fere omnium eruditorum, qui ex professo in eas scripserunt, commentariis tam antea vulgatis, quam novis — illustratae, quibus sua spicilegia adiecit Henr. Christ. Henninius.* Vltraiecti, *ap. Rud. a Zyll.* 4to. 1685.

Vid. inf. ad edit. II. a. 1695.

Iuvenalis Satyrae omni obscoenitate expurgatae. Turonibus *ap. Phil. Masson.* 12mo. 1685.

Iuvenalis et Persii Satirae in usum Delphini cum interpr. et notis Ludov. Pratei, Rhotomagi 4to. 1685.

Iuvenalis et Persius, Antverp. 12mo. 1685.

Persius et Iuvenalis cum paraphrasi Gall. Tarteroni S. I. Paris. 12mo. 1689.

In hac quoque edit. omissa sunt loca obscoeniora. Versio Tarteroni repetita Amst. 1695. Paris. 1706. 1729. 1737. 1752.

Persius et Iuvenalis cum vers. Gall. Tarteroni, Amst. 12mo. 1695.

Ita Fabric. et ex eo alii. Sed Paris. 1695 haec versio repetita est, ut ibidem saepius, si fides habenda Catalogo Bibl. Frfti d. 8 Iul. 1799. divenditae.

* Henniniana II. *D. Iunii Iuvenalis Aquinatis Satyrae, cum Scholiis Veterum et Commentariis integris, selectis et conquisitis fere omnium Eruditorum, ut Grangaei, Britannici — Henninii. Accedit A. Persii Flacci Satirarum Liber. Isaacus Casaubonus recensuit et Commentario Libro illustravit.* Lugduni Bat. *apud Petrum van der Aa*, 4to. 1695.

Repetitio edit. Vltraiect. a. 1685. quae omnium praestantissima est, et curata ab Henr. Christ. *Henninio*, historiarum et eloquentiae in Acad. Duisburg. Professore, qui a. 1706. e vita discessit. Ea continentur I. *Prolegomena*, et in his Vita Iuvenalis, quae Suetonio tribuitur, Rigaltii diss. de eius Satira et index (octo) codd. MSS. Iuvenalis (qui a nobis in Var. Lect. numeris 2—7. 28. et 29. designantur); Editionum tam vulgatarum, quam promissarum (qui admodum brevis et mancus est); Versionum, nec non Variantium Lectionum (quae deprehenduntur tum in octo illis codd. mss., tum in editt. Grangaei ac Stephani I. et II.); II. *Iuvenalis Satyrae XVI.* cum *Scholiis Veterum* et *Grangaei* Commentariis; III. Commentaria Britannici, immixtis Scholiis Curionis et Merulae; IV. V. VI. Adnotationes Pulmanni, Pithoei et Rigaltii; VII. Calderini commentaria; VIII—X. Notae variorum variae et selectae; XI. Henninii Spicilegia; XII. Peplus notarum ad Scholia Veterum; XIII. Index vocabulorum, de quo v. ad ed. Langii a. 1608.— Haec est summa vasti huius operis et celebratissimae editionis. Cuius si externam speciem consideres, nitidissima est, si internam indolem, et hic cognosces, non omne quod niteat au-

rum esse. Vere eam dixeris indigestam vanae speciosaeque doctrinae farraginem rudemque rerum inutilium molem. Praeterea Henninius non novam nobis neque poëtae, neque veteris Scholiastae, recensionem dedit, sed Schrevelianam (de qua v. ad a. 1664.), et notas Variorum codicumque MSS. lectiones non, ut Schrevelius, ad quaevis poëtae loca, ad quae spectant, sed has seorsum in Prolegomenis et excerptis Pithoei, Rigaltii aliorumque notis memoravit, illas singulatim ita, ut unum commentarium alter excipiat, descripsit; qua perversa ratione dici non potest, quam molestum difficilemque reddiderit editionis suae usum. Haec et alia iam notarunt alii, inpr. Lengnich in *Beitragen zur Kenntniss seltener Bücher* Tom. II. pag. 134—141. et Clericus in *Bibliothèque ancienne et moderne* Amst. 1718. 12mo. T. IX. p. 113.

Iuvenalis et Persius, *cum interpr. ac notis Ios. Iuvencii* (Jouvency) *S. I.* Rothomagi 12mo. 1697.

Iuvencius aliorum exemplo obscoena praetermisit loca (v. ad edit. Pratei a. 1684.) et cavere voluit, ne nimis vel breves vel prolixae essent notae. Editio auctior et emendatior prelo exiit Rothomagi 1709. Paris. 1700. 1715. et 1729.

Iuvenalis et Persius, *ex doctorum virorum emendatione*, Amstel. *ap. Henr. Wetstenium* 16. s. a.

Haec editio, ut verba Sodalium Bipontinorum mea faciam, imitatur quidem Elzevirianam (a. 1651. et 1671.) sed et subinde ab eius lectione differt.

SAEC. XVIII. 1701—1800.

Iuvenalis et Persii Satyrae, *cum notis et metaphrasi Hetrusca, e regione posita. Edidit Camillus Sylvester*, *Comes ac Nobilis Rhodiginus*, Patavii 4to. 1711.

vid. Journal des Savans 1713. Aout p. 231. Annum 1712 memorant alii, nisi haec repetita est editio. Notae et Diss. sunt doctissimae et potissimum antiquariae, in quibus multae etiam, et antea ineditae, Inscriptiones exhibentur. Vellem iis uti potuissem.

Persius et Iuvenalis in Operibus et Fragmentis vett. poët. Lat. a Maittario editis, Vol. II. p. 884—889. et p. 1142—1166. Londini fol. 1713.

* *D. Iunii Iuvenalis et Auli Persii Flacci Satyrae*, Londini, *ex off. Tonson et Watts* 12mo. 1716.

Hanc edit. curavit *Mich. Maittaire*, qui aliquot contulit editiones antiquas. Inde tamen non multum, ne dicam nihil lucis affulsit contextui poëtae, sed saepissime restitutae sunt pravae ac vitiosae lectiones, ab aliis iam emendatae. Dimidiam fere libelli partem capit Index verborum, similis nostro, sed dimidio minor.

* *Iuvenalis et Persii Satyrae, ex optimis codd. recensuit notisque illustravit Thomas Marshall A. M. Editio nova caeteris emendatior, cui accesserunt nova Argumenta, nec non Diss. de origine, progressu et regulis Satyrae.* Londini 8vo. 1723.

Quomodo in Iuvenale edendo versatus sit Marshall, ipse in fine Dissert. illius declaravit his verbis: «Textum hic castigatissimum tibi exhibemus, utpote cum correctissimis Schrevelii, Lubini et aliorum editionibus collatum et ad fidem optimorum exemplarium diligentissime revocatum. Argumenta etiam nova singulis Satyris praefixi. Quod ad Notas adtinet, licet maximam earum partem contexui, multum tamen Grangaeo, multum Britannico, plurimum etiam Lubino me debere profiteor.» Adiectus est brevis Index vocabulorum et phrasium memorabilium.

*** *Iuvenalis Satyrae*, Parisiis 12mo. 1724. 1725.

Iuvenalis et Persius, Amst. 12mo. 1735.

Iuvenalis Satyrae cum vers. Ital. et notis Camilli Sylvestris, in Corp. omnium vett. poët. Lat. cum eorundem vers. Ital. T. XXVIII. Mediolani 4to. 1739.

Iuvenalis et Persius, ad fidem optimorum librorum accurate recensiti. Gottingae, 12mo. 1742.

Recusi a. 1769. Iuvenalis et Persius cura Hambergeri. Editiones istae dignae sunt, quae commendentur, ob curam in vera lectione reddenda positam.

Iuvenalis et Persius, Londini 12mo. 1744.

Iuvenalis et Persius, *ex recogn. Steph. Andr. Philippe*, Paris. 12mo. 1746.

Repetita ed. a. 1747. et 1754.

Iuvenalis et Persius cum Chrestomathia I. P. Milleri. Berolini 8vo. 1749.

Milleri editiones nitidissimae, sed non satis emendatae et parum utiles, ut et Glasguenses.

Iuvenalis et Persius, Glasguae 8vo. 1750.

Iuvenalis Satyra VII ad fidem codicis Schwarziani recusa, Altorf. 8vo. 1760.

Eam edidit Cl. Will, Prof. Altorf. De cod. Schwarz. v. sup. Ind. Codd. MSS.

Iuvenalis et Persii Sat. edente Baskerville, Birmingham 4to. 1761.

Iuvenalis et Persius, Cantabrigiae 8vo. 1763.
Omnium editt. nitidissima.

Iuvenalis et Persii Satyrae, Parisiis 12mo. 1771.

Iuvenalis, Persii et Sulpiciae Sat. Paris. 12mo. 1776.

* *Iuvenalis Satyrae*, cum vers. German. eaque paraphr. Berol. et Lips. 8vo. 1777.

* *Iuvenalis Satyrae ex rec. Henninii, et Persii Satyrae ex rec. Casauboni*, Norimb. 12mo. 1780.

* *Iuvenalis Satyrae, ex rec. Henninii. Persii Satyrae ex rec. Casauboni fideliter expressae. Sulpiciae Satyra.* Mannhemii, *cura et sumptibus Societatis literatae* 8vo. min. 1781.

Editiones Henninii et Casauboni tam *fideliter expressae* sunt, ut ne manifesta quidem operarum vitia sint emendata.

Iuvenalis Sat. Paris. ap. Fournier 8vo. 1783.

* *Persii et Iuvenalis Satirae ad optimas editiones collatae, accedit Sulpiciae Satira. — C. Lucilii Fragmenta. Editio accurata.* Biponti *ex typographia Societatis* 8vo. 1785.

Editio cum a simplici elegantia, tum a diligentia ac studio commendanda, quo illi poëtae recensiti sunt et indices editionum confecti. Poëtis praeter vitam eorum, quae Suetonio tribuitur, et notitiam literariam, ex Fabricii Bibl. Lat. petitam, praemittuntur Argumenta Satt. et Index Editt. longie auctior Fabriciano et in quatuor aetates digestus. Ad calcem reperiuntur Indices in Persium et Iuvenalem, in quibus tum sententiae proverbiales moralesque, in iis obviae, laudantur, tum verba quaedam obscura ac potissimum nomina propria explicantur.

D. Iunii Iuvenalis Aquinatis Satirae XVI. ad optimorum exemplarium fidem recensitae, varietate lectionum perpetuoque commentario illustratae et indice uberrimo instructae a Ge. Alex. Ruperti. II. Voll. Lipsiae, sumtibus Caspari Fritsch 8vo. 1801.

Classici Romanorum Scriptores. Vol. I. Iuvenalis et Persii Satirae. Pars I. D. Iunii Iuvenalis Aquinatis Satirae XVI. ad optimorum exemplarium fidem recensitae atque prooemiis, argumentis et indice rerum instructae a Ge. Alex. Ruperti. II Voll. Gottingae sumtibus Henr. Dieterico. 8vo. 1803.

Decimi Iunii Iuvenalis Satirae ad codices Parisinos recensitae, lectionum varietate et commentario perpetuo illustratae a Nic. Lud. Achaintre. Accedunt Hadr. et C. Valesiorum notae adhuc ineditae. II Voll. Parisiis. sumtibus et typis Firmini Didot 8vo. 1810.

Tomus primus pag. 1—568. continet poëtae Satiras cum notis textui subnexis et lectionis varietate notis subiecta, ad calcem vero tabulas sex de mensuris et ponderibus Romanorum; alter pag. 1—27. vitam Iuvenalis a Suetonio, incerto auctore, Salmasio, Dodwello et editore concinnatam, pag. 27—33. testimonia veterum et recentiorum de Iuvenale, p. 33—51. elenchum codicum Iuvenalis, p. 51—75. elenchum editionum Iuvenalis, p. 75—112. de scholiastis Iuvenalis, vett. glossis (quarum magna pars e codd. variis excerpta est) et de iis omnibus, qui hunc poëtam notis atque commentariis illustraverunt, pag. 113—228. Hadriani Valesii, Consiliarii et Historiographi regii, notas in D. Iun. Iuvenalis Satiras. (in dimidiam earum partem) labore et studio Caroli Valesii, Hadriani filii, in Senatu Parisiensi causarum patroni, qui suas etiam in Iuvenalem notas adiecit a. 1699. (quas notas adhuc ineditas Chardon de la Rochette editori excudendas concessit); p. 229—353. vetera scholia in Iuvenalis Satiras, a P. Pithoeo primum Lutetiae 1585. edita; p. 353—367. P. Pithoei et editoris notas in haec scholia eorumque emendationes;—p. 1—132. Indicem vocabulorum omnium, quae in satiris Iuvenalis leguntur, de quo v. sup. ad edit. Ios. Langii, Friburgi 1608. Editor ex meo commentario plurima in suum transtulit, iisdem quoque verbis retentis, nonnulla rectius exposuit, et copiose disseruit de rebus notissimis, praecipue geographicis, de *sestertiis*, *macellis*, *fascibus*, *nominibus civium Rom.* et aliis, quae his sunt similia. Bibliotheca quoque Imperialis, nunc Regia, ei suggessit quidem XXXV codices mss. et in his antiquissimos optimosque, Puteanum, Alexandrinum, Pithoeanum, Colbertinos, Senatorium et Fauchetianum. v. sup. Ind. codd. MSS. Sed eos non fere consuluit nisi in locis obscurioribus, et plerumque non indicat ac docet, quae et quales, sed quot membranae hanc illamve lectionem exhibeant: quam ob causam brevissimae sunt notae criticae, commentario subiectae.

D. Iunii Iuvenalis Satirae ex recensione Rupertiana editae in usum scholarum academicarum. Hafniae typis Schubothe 8vo. 1816.

Hae sunt editiones, quae quidem mihi innotuerunt, omnes: nam etsi multo plures a me, quam ab Henninio, Maittario, Fabricio ipsisque Sodalibus Bipontinis, memoratae sunt, non dubito tamen, quin aliae adhuc, mihi nec visae nec cognitae, in lucem prodierint et passim in bibliothecis, sive publicis sive privatis, lateant. Ex earum Indice apparebit, me in antiquioribus recensendis diligentiorem fuisse, quam in recentioribus: neque enim ea potissimum consilii mei ratio fuit, ut omnes ac singulas, sed ut eas potissimum percenserem editiones, e quibus aliquid vel ad contextum Iuvenalis historiamque eius conficiendam, vel ad interpretationem poëtae adiuvandam, utilitatis redundaret. Restat nunc, ut editionibus singulatim enumeratis. universe quaedam tum de stemmatibus et familiis, tum de indole earum subiungam. Quae quidem tela paucis pertexi poterit verbis, quoniam supra iam ad quamvis editionem, quae ad illud consilium meum spectat, monui, ad quod earum genus et ad quam classem ea sit referenda. Quum vero multae editiones et inter has quaedam memorabiliores, v. c. Mediolanenses et Iuntina, mihi nondum in manibus fuerint, et quae a me sint collatae, quamvis ingens earum numerus sit, non sufficiant ad accuratam textus Iuvenalis historiam condendam, quumque ista rei literariae subtilitas nec otio, nec animo ingenioque meo satis respondeat: non accurate et absolute, sed crassa tantum et pingui, ut aiunt, Minerva omnis haec opera a me perfici poterit; quam itaque ut aequi bonique consulant viri docti, etiam atque etiam rogo. Meliora forte et perfectiora tempus dabit, si editiones a me non inspectas alii diligenter excusserint. Multum tamen inde fructus ad ipsum poëtam redìturum esse vix speraverim.

Romana princeps e codice parum emendato fluxit. Meliores membranae paulo post adhibitae in Venetis, a quibus, ut in Virgilio et Horatio, primum Iuvenalis lectio ita videtur constituta, ut per omnes propagaretur Saeculi XV editiones, quamvis harum fere nulla sit, quae plane conveniat cum superiore aliqua. Magnam potissimum familiam ducit Veneta prima, a. 1475. cum Domitii Calderini qui etiam codicibus mss. usus est, commentariis vulgata, ex qua expressa sunt Venetae 1482. binae 1483. 1485. 1487. al. Vicent. 1480. Lipsienses 1497. 1502. 1504. 1507. cet. Ad emendandum deinde Iuvenalis textum ope librorum scriptorum accesserunt *Valla* in Veneta 1486. et *Mancinellus* in Veneta Tacuini de Tridino 1492. Illam plerumque

sequuntur Venetae 1491. 1492. (Locatelli). 1498. 1501. hanc vero Veneta 1494. Norimberg. 1497. et Ascensianae novem Lugd. 1498. 1501. 1507. 1511. 1512. 1515. Paris 1505. 1512. et 1519. nam Iodocus *Badius Ascensius* in textu Iuvenalis, ut et Virgilii Horatiique, parum aut nihil paene operae collocavit. Eamdem fere recensionem servavit *Britannicus* in Venet. 1499. 1509. 1512. 1515. Brix. 1501. 1503. al. etsi plura in iis novata sunt et correcta. Omnino enim Saeculo XV magis interpretandi studium viros doctos exercuit, quam critica cura: Iuvenalis autem (ut Henninii verba in Praef. ad Domitii Calderini Comm. mea faciam) tantis eo tempore erat in deliciis, ut ille fere doctior haberetur, qui quam plurima acutissimi poëtae memoria complecteretur illumque vel accuratius explicare posset, vel commentariis illustrasset; quod etiam intelligitur ex Domitii Calderini Epistola ad Iulianum Medicen a. 1474. scripta. Hinc etiam Saeculo XV plerique *Commentarii* in Iuvenalem scripti sunt et editi, de quorum indole iam supra in Editionum catalogo sententiam meam dixi; primum *Ang. Sabini* et *Domitii Calderini* Romae 1474. deinde *Ge. Merulae* Venet. et Tarvisii 1478. *Ge. Vallae* Venet. 1486. *Ant. Mancinelli* Venet. 1492. *Iod. Badii Ascensii* Lugd. 1498. et *Io. Britannici* Venet. 1499. Qui commentarii saepius repetiti sunt, tum seorsum, Domitii Calderini Ven. 1475. 1482. bis 1483. 1485. 1487. Paris. 1614. Merulae Brix. 1486. Mancinelli Colon. 1517. Britannici Brix. 1501. 1503. Venet. 1509. 1512. 1515. 1548. Mediol. 1514., tum iunctim, Domitii Calderini et Vallae Venet. 1491. Merulae et Domiti Calderini Venet. bis 1492. Mancinelli Domitii Calderini et Vallae Venet 1492. 1494. Norimb. 1497. Mancinelli, Domitii Calderini, Merulae et Vallae Venet. 1498. 1501. Sabini, Merulae, Calderini et Vallae Venet. 1493. Paris 1498. Mancinelli et Badii Ascensii Lugd. 1498. 1501. 1507. 1511. 1512. 1515. Paris. 1505. 1512. 1519. Badii Ascensii et Britannici Venet. 1539. 1548.

Novae melioresque textus recensiones Saeculo XVI adornatae sunt ab *Aldo*, *Iunta*, *Colinaeo*, *Gryphio*, *Rob. Stephano*, *Theod. Pulmanno* et *P. Pithoeo*, qui etiam de Virgilio, Horatio aliisque scriptoribus Romanis bene meriti sunt omnes, praeter Pithoeum, cui tamen plurimum debent Iuvenalis, Persius et Sulpicia. In *Aldinis* fundamenti loco positae videntur Venetae antiquiores, in primis a. 1486. Aldina prima prodiit sine nota anni, altera, quae emendatissima est, a. 1501, et tertia, quae

ad priorem plerumque rediit, a. 1535. Ex iis et quidem; quod mireris, magis ex prima, quam secunda, ductae sunt *Iuntina* Florent. 1513, quam tamen nondum a quoquam critica cura cura et subtilitate excussam esse doleo, *Argentinensis* 1518. 1527. egregia editio, Parisinae *Sim. Colinaei* Paris. 1528. 1535. 1542. Venetae *Stagnini* 1530. 1535. Basileensis *Curtonis* 1531. *Gryphianae* Lugd. 1534. 1538. 1546. 1560. Paris. 1555. Lugdunenses *Frellonii* ex rec. *Iunii* 1556. 1562. 1564. quae tamen omnes passim et ab Aldinis, et a se invicem discedunt.

Textum Aldinum expresserunt etiam *Rob. Stephanus* I. in. Paris. 1544. 1549. et *Theod. Pulmannus* in Plantinianis Antverp. 1565. 1566. 1585. 1587. Lugd. 1590. sed multa correxerunt ex membranis.

Melior deinde Iuvenali lux affulsit opera *P. Pithaei* et *Nic. Rigaltii*. Ille eum magna cum cura criticaque solertia recensuit ad fidem codd. MSS. Lutet. 1585. quam editionem Commelinus repetiit Heidelb. 1590. Maxime tamen omnium de integritate contextus Iuvenalis promeritus est *Nic. Rigaltius*, cuius editionem *Rob. Stephanus* III. Lutet. 1613. et 1616. prelo suo excudendam curavit. Is poëtae, olim magnopere deformato, si non plane veram ac genuinam, certe venustam reddidit faciem, quae satis placere possit.

Post Pithoeum et Rigaltium, adeoque annis abhinc fere ducentis, non fuit fere quisquam, qui multum operae, vel eam felici successu in Iuvenale recensendo poneret. Antiquiores plerumque lectiones adsciverunt *Eilh. Lubinus*, a quo tres membranae in consilium adhibitae sunt, in editt. Rostoc. 1603. Hanov. 1603. 1919. et *Maittaire* in edit. Lond. 1716. cuius omne pretium ex variarum lectionum elencho et Indice verborum pendet. Recensio autem Rigaltiana tantum non integra restituta est in editionibus *Schrevelianis* Lugd. Bat. 1648—1684. *Henniniana* Vltrai. 1685. et Lugd. Bat. 1695. (nam Henninius non novam curavit recensionem, sed exemplum Schrevelianum operis librariis excudendum tradidit et paucis tantum locis correxit, quod ipse profitetur in Praefat.) *Goettingensi* 1769. et *Bipontina* 1785. quae reliquis emendatiores sunt, nec multum a se invicem discrepant.

Hi fere sunt editores Iuvenalis, qui ingenium doctrinamque ad textum eius emendandum contulere: quorum tamen opera nondum ille integritati suae ita restitutus est, ut critica iam cura supersedere liceat. Praeter eos fuere etiam inde ab initio Saeculi XVI. qui notas et commentarios, sed parum idoneos,

in poëtam scriberent. Quos nunc breviter laudasse sufficiat, quum iam in Editionum indice de iis eorumque laboribus qualemcumque tulerim sententiam.

Commentarios Badii Ascensii, Britannici et Mancinelli saepius repetitos esse Saeculo XVI. iam supra monui. Iis accessere:

I. ADNOTATIVNCVLAE *Coelii Sec. Curionis*, brevis commentarii vice margini adiectae a Colinaeo, Gryphio et aliis Paris. 1528. 1535. 1561. Crac. 1529. Lugd. 1538. 1556. 1564 Antverp. 1559.

II. SCHOLIA, et quidem 1.° eiusdem *Curionis*, quibus tum praeterita ab aliis et potissimum Britannico explicantur, tum male intellecta corriguntur, edita cum Britannici comment. a Frobenio Basil. 1551. et a Morello Lutet. 1602. 1613. 2.° Alia, tam critici quam grammatici argumenti scripta ab *Hadr. Iunio* et a Pulmanno apposita margini editionis suae Antverp. 1565. 1566. 1585. 1587. Lugd. 1590. 3.° *Scholia Vetera* s. *Veterum*, quorum dimidiam fere partem Valla Venet. 1486. evulgaverat, et quae integra edidere primum Pithoeus Lutet. 1585. deinde Commelinus Heildelb. 1590. Morellus Lutet. 1602. 1613. Schrevelius Lugd. Bat. 1648—1684. et Henninius Vltrai. 1685. Lugd. Bat. 1695.

III. ADNOTATIONES *Pulmanni* Antverp. 1565. seq. *Pithoei* Lutet. 1585. *Rigaltii* Lutet. 1613. 1616. *Farnabii* Lond. 1612. 1620. 1633. Paris. 1614. 1626. 1644. Amst. 1619. 1624. 1631. cet. Francof. 1623. Lugd. 1650. 1672. Roterod. 1680. 1683. 1702. Hage Com. 1683. *Almelovenii* et *Henninii* in huius edit. Vltrai. 1685. *Camilli Sylvestris*, *Bahrdtii*, *Abeli* aliorumque in versionibus Iuvenalis.

IV. PERIPHRASES aenigmaticae *Claverii* Paris. 1607.

V. PARAPHRASES parum utiles *Feder. Ceruti* Veronae 1597. Augustae Vindel. 1599. 1600. 1603. *Pratei* Paris. 1684. *Anonymi* auctoris vers. German. Berol. 1777.

VI. COMMENTARII *Lubini* Rostoc. 1602. Lugd. 1603. Hanov. 1603. 1619. *Autumni* Paris. 1607. 1614. *Grangaei* Paris. 1614. *Pratei* in usum Delphini Paris. 1684. Rothomagi 1685. Lond. 1691. 1699. 1708. *Iuvencii* Rothomagi 1697. 1709. Paris. 1715. *Marshalli* Lond. 1723. *Oweni* et *Madani* in verss. Angl. Lond. 1785. et 1789.

VII. INDICES *Langii* Friburgi 1607. 1608. Genevae 1612. *Maittarii* Lond. 1716. et *Sodalium Bipontinorum* 1785.

VIII. EDITIONES CASTRATAE seu obscoenitate omni pur-

gatae, *Colon.* 1610. *Ficheti* in Choro poëtarum Lugd. 1617. *Pratei* Paris. 1684. *Massoni* Turonibus 1685. *Tarteroni* Paris. 1689. 1695. 1706. 1729. 1737. 1752. *Iuvencii* Rothomagi 1697. 1709. *Oweni* Lond. 1785. 1786.

IX. VERSIONES.

X. OBSERVATIONES *in Iuvenalem separatim editae*, et

XI. INEDITA,

quae omnia mox singulatim memorabimus, si prius universe pauca dixerimus de his virorum doctorum studiis et de fructu, quem inde poëtae interpretatio tulerit.

Toto Saeculo XVI ne unus quidem commentarius novus exiit in vulgus, sed veteres primum saepius et variis locis recusi sunt, hisque substituta deinde Scholia Curionis et Iunii, multarum editionum margini adiecta a. 1528—1590. et puerilibus dicata studiis, quae tamen iis valde adiuvari posse nemo facile sibi persuadebit. Neque plus valent vel ad ingenia iuvenum alenda vel ad poëtam illustrandum et Periphrases Claverii Paris. 1607. et Paraphrases Ceruti Veronae 1597. Pratei Paris. 1684. aliorumque, quae omnino, si breves sunt, ad interpretationem nihil faciunt, praecipue in poëtis satiricis, qui prosa fere oratione utuntur, si copiosae, ac prolixae, non sine summo taedio legi possunt. Adnotationes Pulmanni, Pithoei, Rigaltii, Almelovenii, Henninii aliorumque sive ad rem potissimum spectant criticam, sive uni tantum alterique loco lucem afferunt.

Saeculo XVII novi quidem vulgati sunt *Commentarii* Lubini, Autumni, Farnabii, Grangaei, Pratei, Iuvencii: sed longe maxima eorum pars vel ex antiquioribus, in primis Britannici, depromta est, vel magis doctam prodit subtilitatem, quam iudicii sensusque elegantiam. Intellexere utique viri docti, ad Iuvenalis interpretationem non sufficere unius alteriusve loci explicationem, sed perpetuos requiri commentarios, qui nihil relinquerent obscuritatis. Iidem vero perperam sibi persuasisse videntur, se compendiaria via eo, quo tenderent, pervenire posse, si non suum adhiberent iudicium; sed alienum fere sequerentur, neque ipsi diligenter circumspicerent, quae explicare et monere opus essent, sed selectas ex aliis interpretibus notas singulis vocibus, sententiis locisque adspergerent. Qua ratione etsi parum proficitur, nisi tum ab aliis iam omnia satis illustrata sunt nihilque praeteritum est, quod luce aliqua indigeat, tum aptissima tantum et ceteris probabiliora solerter ex iis excerpuntur; non mirum tamen est, eam multis arrisisse,

quum tantopere blandiatur et desidiae et inani famae cupidini, quae alienis gloriari bonis alienisque pennis se exornare amat. Cupidissime illam prae ceteris arripuere Batavi, qui eamdem, per se iam satis commodam ac facilem, multo quoque expeditiorem reddiderunt, invecto more Auctorum classicorum vel cum omnibus fere Variorum Notis, vel cum integris virorum doctorum commentariis edendorum. Illam rationem sequutus est Schrevelius inde ab a. 1648. utramque vero Henninius a. 1685. compilatores nimis seduli, in quorum editionibus, quae superiores interpretes ad singulas voces sententiasque illustrandas observaverant, etiam maxime aliena, arguta, vulgaria et absurda, neque semel, sed saepius a pluribus verbisque tantum aliis notata, sine ullo animi iudicio ac delectu cumulata atque congesta sunt, quibus lector oneratur magis, quam adiuvatur.

Saeculo denique XVIII non novos poëta nactus est interpretes, praeter Marshallum (Lond. 1723.), qui tantum non omnia debet Lubino, et quosdam eruditos Anglos, Italos et Germanos, qui versionibus suis adnotationes subiecerunt, in quibus multa quidem insunt bona, sed quae non omnibus lectorum desideriis satis faciunt.

Iam si omnia, quae a nobis et singulatim et universe dicta sunt, collegeris, facile intelligitur, quam parum adhuc editorum Iuvenalis studia tum in emendationem contextus, tum in summam interpretationis profecerint, et quam vere dixerit Fabricius (in Bibl. Lat. T. II. pag. 362. edit. Ernest. Lips. 1773.): « Quum Henninii editio sit nimis onerata notis, nec ad usum satis apta, quum adeo multis locis sit quaerendum, si scire interpretum sententias velis, omninoque nondum satisfactum sit in hoc scriptore: optandum videtur, ut aliquis vir doctus, tum literis Latinis egregie instructus, tum in Satiricis scriptoribus cognoscendis tritus, suscipiat novam editionem, etiam mole minorem Henniniana, et ad eam bene curandam ante omnia libros sc. ptos editt. excutiat paulatim, ut materiam ei instituto aptam habeat, per quam deinde et purgare Satiras, et illustrare deinde possit. »

TESTIMONIA

ANTIQVA

DE IVVENALE

M. VALERIVS MARTIALIS EPIGR. VII, 23.

Cum Iuvenale meo quae me committere tentas,
  Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas Pyladem odisset Orestes;
  Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres et maius nomen Atridas
  Et Ledae poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis et talibus imprecor ausis,
  Vt facias illud, quod, puto, lingua, facis.

IDEM EPIGR. VII, 90.

De nostro, facunde, tibi, Iuvenalis, agello
  Saturnalicias mittimus, ecce, nuces.
Cetera lascivis donavit poma puellis
  Mentula custodis luxuriosa Dei.

IDEM EPIGR. XII, 18.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuvenalis, in Subura,
Aut collem dominae teris Dianae;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Caelius et minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea rusticumque fecit
Auro Bilbilis et superba ferro.

CLAVDIVS RVTILIVS ITINERAR.

Lib. I. v. 603—606.

Huius vulnificis Satira ludente Camenis
  Nec Turnus potior, nec Iuvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem;
  Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.

C. SOLLIVS APOLLINARIS SIDONIVS

Carm. IX. v. 266. seq. ad Magnum Felicem Cos.

Non qui tempore Caesaris secundi
Aeterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram,
Irati fuit histrionis exsul.

AMMIANVS MARCELLINVS

Historiar. XXVIII, 4.

Quidam detestantes, ut venena, doctrinas Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina, praeter haec, in profundo otio contrectantes.

PORPHYRIO

seu, quisquis est, vetus Grammaticus, in Comment. ad Hor. Sat.

Satyra Horatii inter Lucilii Satyram et Iuvenalis est media: nam et asperitatem habet, qualem Lucilius, et suavitatem, qualem Iuvenalis.

SVIDAS IN LEXICO.

ΙΟΥΒΕΝΑΛΙΟΣ ποιητὴς Ῥωμαῖος. οὗτος ἦν ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων. Ο δὲ Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν πρασίνου μέρους τὸν λεγόμενον Πάριν, περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς συγκλήτου καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ. ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν Ἰουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπ ἰτὴν Λιβύην. τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν εἰς Ἀντιόχειαν. ὃς κτίσα ι οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως ἐκεῖ τελευτᾷ.

DIVISIO ET ARGVMENTA
SATIRARVM IVVENALIS

Iuvenalis Satirae sedecim in multis codicibus, tam scriptis quam editis, v. c. in 4. 19. 26. 45. 46. 49. 55. 59. 70. 74. 75., distribuuntur in quinque libros, quorum primus quinque priores, secundus sextam, tertius VII. VIII. et IX., quartus X. XI. et XII., quintus tres ultimas complecitur. Hi libri laudantur iam a Prisciano et a vet. Schol. ad Sat. III, 240. Hinc divisionem hanc retinui, etsi parum apta est (nam plerique libri non nisi tres satiras, et secundus adeo unam tantum continet), et magis ad eclogarum longitudinem, quam argumentum accommodata.

De ordine, quo vulgo Satirae Iuvenalis collocantur in libris, haec disputavit Heinrich in sec. commentat. p. 8. « Iuvenalem Satiras, quas legimus, diversis temporibus scripsisse, partem sub Domitiano compositam, alias sub Traiano, quasdam sub Hadriano factas, sed omnes Hadriani aetate recitatas et publicatas, id vero iam pridem demonstravit Salmasius (v. Plin. Exercitt. p. 321. C.), in quo quid corrigendum habeat fastidiosior Criticus, Henr. Dodwellus Annal. Quintil. § 40. ed. Oxon. p. 162., videre non facile est, quum ipse nihil aliud dicat. Satira secunda cum tota referat tempora, sive, ut novo modo loquimur, *genium saeculi* Domitiani, tum aut scripta est adhuc imperium tenente Domitiano, et interea scriniis retenta; aut statim post caedem tyranni: ut certum videatur, Satirarum, quas quidem edidit Iuvenalis, eam tempore primam omnium esse habendam. Certe etiam quarta post scripta est, quanquam secundo ab illa loco ponenda, si Satirarum tempora numerantur. — Aliud hoc est, quam si vulgarem ordinem velis mutatum. Iam diu vehementer est laboratum, ut thecae calamariae, quales essent apud veteres, et librorum ornamenta, cornua, umbilici, reliqua id genus, accuratissime cognoscerentur: verumtamen quae fuerit alia ex parte rei librariae ratio, velut in libris colligendis et digerendis; primum atque

iterum iustae editioni parandis, inscribendis et per nomina auctorum ac titulos distinguendis; deinde in exemplis multiplicandis, per recensiones (quae Latine *correctio* dicitur) renovandis et retractandis: talia permulta nusquam adhuc vidimus satis quaesita, nedum perfecte exposita et, quod varias ob causas valde optamus, plenissime comprehensa. Loci sunt non pauci in arte critica, qui novam inde lucem exspectare possint. Sic in variis scriptis colligendis mira quaedam et, paene dixerim, generosa cernitur apud veteres negligentia; neque sic iam industrios videmus auctores, ut ipsi sua *Opera omnia* consarcinantes facillime populi commodo, aut etiam suo, prospicerent: ita pleraque dissoluta et dissipata, permulta ne ab ipso quidem auctore ad editionem destinata, nonnunquam admodum sero et ab imperitis colligebantur. Quodsi ipse scriptor instituerat collectionem, faciebant hoc maxime, ut de Epistolis Plinius narrat I, 1. *Collegi, non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat.* Sic poëtae quoque fecerunt, ut Horatius et Tibullus; neque aliter Iuvenalis; modo sit ipsius hoc syntagma, quod nunc manibus tenemus. Eum produxisse ad audiendum plura Satirarum volumina, scilicet per diversas vices acroasis, coniectari probabiliter potest, primum ex antiquo more ac modo recitandi, deinde ex illa, quae vulgo in Codicibus reperitur, quinque librorum distincta notatione, quam haud ita minime spernendam putamus, ut non nisi ultimae aetatis Grammaticorum habenda videatur. Quid? quod eiusdem rei fere historica significatio latet in Vita, Suetonio tribui solita. »

SATIRARVM TITVLI ET ARGVMENTA

in codicibus et scriptis et editis varia ratione, et vel prosa vel versa oratione expressa leguntur.

SATIRAE I.

Prima docet Satirae causam formamque libelli. — Materiam et causam (al. causas) satirarum hac adspice (al. inspice) prima. — Praefatio, cur Satiras scribat. — Cur satiras scribat, qui fere ad mediam aetatem declamavit.

SATIRAE II.

Arguitur Satira probitas simulata secunda. — Carpitur hac Satira probitas simulata secunda. — Hypocritas damnat, in quos Lauronia clamat. — Dat causam poenae quod Martem poscit amoene. — Hypocritae. — In s. contra hypocritas. — De philosophis obscoenis. — De fictis moribus institutis.

SATIRAE III.

Effugit Vmbritius diversa pericula vitans. — Odisti quod Roma bonos, pravos colis, hinc te Effugit Vmbritius diversa pericula vitans. — Ad Vmbritium. — Quare Vmbritius Vrbem deserat. — De digressu Vmbritii. — Vrbis incommoda. — De incommodis Vrbis.

SATIRAE IV.

Vitam Crispinus laudat ventremque Neronis. — Crispini hic lacerat vitam ventremque Neronis, Vt reges avidos carpat regumque sodales. — In Crispinum. — In ingluviem. — In Domitianum vindictae post exsilium. — Catalogus amicorum Domitiani, s. Neronis. — Convivae Domitiani. — De convivio Domitiani. — De rhombo pisce. — De Crispino et rhombo pisce. — De piscis magnitudine.

SATIRAE V.

Quot mala sustineat parasitica vita notato, s. notabis. — In parasitos, de coenis contumeliosis. — Ad Trebium. — De parasitis ad parasitum.

SATIRAE VI.

Sexta haec infidas mulieres monstrat abunde. — Hac Satira mulieres incestas monstrat, iubetque (al. ut omnem) Vxorem Vrsidius devitet pectore toto. — L. Fursedio Postumo. — Ad Postumum. — Mulierum flagitia et scelera. — In libidinem mulierum. — De vitiis mulierum.

SATIRAE VII.

Mendicant artes, sic Roma coëgit avara. — Artium neglectarum querela. — De sterilitate studiorum. — De poëtarum calamitatibus. — Contra divites, qui poëtas mendicare patiebantur.

SATIRAE VIII.

Nobilitas propria est virtus, non acta parentum. — Adversus iactatores. — Ad Rubellium Blandum. — Contra illos, qui se de generositate suorum iactant. — De claritate natalium. — De claritate nobilium tractatio ad Ponticum.

SATIRAE IX.

Turpia qui tolerant, nona carpuntur iniqui. — Concubitus diri et Sodomitica probra notantur. — Cinaedi. — Querela Naevoli de re impudica. — In pathicos. — Ad Naevolum. Ad Naevolos. — Loquitur ad parasitum quemdam, qui servit regibus.

SATIRAE X.

Arguit haec saturas hominum curas et inania vota (Sic contra metrum in codd. nonnullis legitur, unde Schurzfleischius emendabat, *Arguit haec fatuas curas* cet. Lipsius autem in Epist. Quaest. IV, 15. *Arguit haec hominum curas* cet. extrusa voce *saturas*, et haec lectio reperitur in cod. 19. et 27.). Arguit haec Satira et curas et inania vota. Ex hac lectione illa videtur orta glossatorum opera et stupore librariorum. — De votis contrariis. — De inutilitate votorum. — In indiscreta hominum vota.

SATIRAE XI.

Lauta reprobamus convivia, parca probamus. — Lauta reprenduntur (al. reprehenduntur) convivia, parca probantur. — *Luxus.* — De comparatione victus. — In luxuriosos in cibo.

— Ad Persicum amicum suum. — De superfluo apparatu ciborum.

SATIRAE XII.

Arguit haec avidos nimium nimiumque rapaces. — Heredipetae. — Contra heredipetas. — De reditu Catulli. — De reditu Catulli ad Corvinum. — In avidos et rapaces.

SATIRAE XIII.

Mens cruciat pravos (ita pro vulg. *Mors cruciat pravos* legitur in 19. 27. al. et sic iam correxerat Lips. Epist. Quaest. IV, 15.), sapiens fert damna modeste. — Scelera tandem punita. — De fraudibus ad Gabinium, cuius amicus abnegaverat depositum. — In fraudulentos. — Ad Calvinum, contra illos, qui de amissione temporalium nimis dolent.

SATIRAE XIV.

His docet exemplis natos mala vita parentum. — Imbuit exemplis natos mala vita parentum. — Ad Fuscinum. — ΠΕΡΙ ΑΝΑΓΩΓΩΝ ΠΡΟΣ ΦΟΥΣΚΙΝΟΝ. (ΦΟΙΣΚΙΝΟΝ in Lat. Ex. Pith.) — De institutionibus. — Parentum exempla. — Contra illos, qui filios pravis instituunt documentis.

SATIRAE XV.

Obtinet Aegyptus perversos impia ritus. — Immanes ritus Aegyptius incola suadet, al. Aegypti incola servat. — Religiones peregrinae. — De superstitione. — De superstitionibus Aegyptiorum. — De religionibus Aegypti. — Ad Volusium Bithynicum. — De falsa Deorum cultura et nefario victu Aegyptiorum.

SATIRAE XVI.

Militiae mores et commoda magna videte, s. dinumerantur — Militiae privilegia. — De felicitate militum. — De castrensibus. — Ad Gallum de militia. — De militibus.

ARGVMENTA SATIRARVM
AB ANTON. MANCINELLO CONCINNATA.

Prima docet Satirae causas formamque libelli.
Qui simulant Curios, Satira patuere Secunda.
Ex Vrbe Vmbritii digressum Tertia narrat.
Quarta quidem Crispinum odit calvumque Neronem.
Ganeo quae tolerat parasitus, Quinta notavit.
Sexta haec infidas mulieres pandit abunde.
Septima demonstrat Romam nil ferre poëtis.
Nobilis Octava propria virtute vocatur.
Turpia qui tolerant, Nona carpuntur avari.
Curae hominum Decima rerumque libido notantur.
Arguit Vndecima vates convivia lauta.
Bissena arguitur Satira captator avarus.
Tertia post decimam solatur damna dolentes.
In Decima quarta dant prava exempla parentes.
Numina diversa Aegypti Penultima monstrat.
Vltima militiae felicis praemia narrat.

SATIRAE IVVENALIS MEMORIAE CAVSA TRIBVS VERSIBVS
CONCLVSAE A RVDOLPHIO GITTINS:

1. Vates. 2. Hypocrites. 3. Roma urbs. 4. Rhombus. 5. Parasitus.
6. Nupta. 7. Ars sordet. 8. Nobilitas vera. 9. Impia. 10. Vota.
11. Coena. 12. Redux. 13. Deposta. 14. Parens. 15. Aegyptia.
16. Miles.

INDEX

CODICVM MSS. ET EDITIONVM

QVAE NVMERIS NOTANTVR

IN VAR. LECT. ET EXCVRS.

Vetus Scholiastes Pith. designatur numero	1
Codex MS. Noviomagensis	2
— — Palmanni	3
— — Hadr. Iunii	4
— — Miggrodii	5
— — Susii	6
— — Amstelodamensis	7
— — vetustiss. Pithoei s. Budensis	8
— — Latiniac. Pithoei	9
— — Schwarzii s. Altorfinus	10
— — Schurzfleischii s. Vinariensis	11
— — Erlangensis	12
— — Vlmensis	13
— — Norimbergensis I.	14
— — Norimbergensis II.	15
— — Norimbergensis III.	16
— — Guelpherbytanus s. Gudianus I.	17
— — Guelpherbyt. s. Gudianus II.	18
— — Guelpherbyt. s. Gudianus III.	19
— — Guelpherbyt. s. Gudianus IV.	20
— — Gaybacensis s. Schönbornensis I.	21
— — Gaybacensis s. Schönborn. II.	22
— — Gothanus I.	23
— — Gothanus II.	24
— — Lipsiensis	25
— — Hamburgensis	26
— — Kulemkampianus	27

Editor Iuvenalis novissimus est
Ach. (Achaintre) v. sup. p. cxxxi.

Auctores antiquiores recentioresque observationum commentationumque, quas saepissime laudavi, sunt
Schurzfl. (Schurzfleischius)
Beck. (Beckius)
Iacobs.
H. et *C. Vales* (Hadr. et Car. Valesius).
Hein. (Heinecke)
Heinr. (Heinrich)
Manso.

IVVENALIS

SATIRAE

D. IVNII IVVENALIS

AQVINATIS

SATIRARVM

LIBER PRIMVS.

SATIRA I.

ARGVMENTVM

In prima huius Satirae parte v. 1—18. *lepidas poëta tradit causas, quibus adductus animum ad carmina scribenda et post longam denum moram evulganda appulerit: se enim, recitationibus crebris et importunis multorum poëtarum, qui eiusdem fere argumenti carmina composuerint iisdemque adumbraverint coloribus, tamdiu ac toties et tantopere offensum atque vexatum, sibi temperare non potuisse, quo minus ipse etiam aliquid scriberet recitaretque, quo saltem iis, quibus non sine ingenti taedio aures praebuerit,* reponeret, *rependeret, par pari referret, h. e. idem legendi audiendique fastidium crearet, ne patientiam suam hi* impune *insultasse videri posseut* (*v.* 1—14.); *utque aliquam certe scribendi facultatem sibi compararet, scholas dicit Grammaticorum Rhetorumque a se fuisse frequentatas; nihil autem referre, utrum aliorum versificatorum, quorum tantus sit numerus, ut ubique iis occurrat, an sua manu pereat charta* (*v.* 15—18.). *In altera Satirae parte v.* 19—150. *rationes affert, quare, capto carminum scribendorum consilio, ad satiras potius, quam ad alia poëmatum genera animum converterit: tot enim et tanta Romae nunc vigere vitia ac scelera, ut in hoc campo facile suppeditet omnis dicendi apparatus, et* difficile sit, satiram non scribere, *utque, si* natura neget, facial indignatio versum, qualemcumque possit (*v.* 30—79.); *multo quoque magis expedire, haec hominum vitia notari, quam exponi mythos et argumenta, iam tractata a tot poëtis et omnibus nota* (*v.* 52. *seq.*). *Praeterea summam proponit omnium, quae in satiris suis persequi apud animum constituerit, quaeque hoc poëseos genus complectatur* (*v.* 81—86.). *In fine denum carminis animo secum reputans ac dolens, priscam loquendi scribendique libertatem poëtis praecisam esse, et homines, qui multum auctoritate et Imperatorum gratia valeant, nedum ipsos Caesares, non sine salutis vitaeque periculo vivos carpi posse, se in sola mortuorum, utpote qui non amplius mordeant, facta et mores invecturum esse profitetur* (*v.* 150—171.).

Satira haec, praefationis quasi loco ceteris praemissa, salis facetiarumque plena est, et dispositio eius praeclara. Iuvenalis nos docet, quare et scribere, et satiras potissimum scribere apud animum suum statuerit: utriusque autem con-

nihi tam lepidas affert rationes, ut vel Catoni risum movere potuissent. Nihil quoque facetius simul et modestius est iudicio illo, quod de facultate sua poëtica ipse fert (v. 17. 18. 79. 80.), nihil aptius venustiusque pictura perditorum seculi sui morum et conversione ad hoc primarium satiricae poëseos argumentum, cui proinde diutius immoratur (v. 22—146.), quibus plurima illorum temporum vitia non sine urbanis salibus recenset; a spadonibus scilicet uxores duci (v. 22.), mulieres descendere in arenam (22. 23.), a quibusdam libertinorum quemvis patriciorum divitiis ac mollitie superari (24—29.), causidicos delationibus opes sibi parare et luxurie diffluere (32. 33.), delatores opibus exuere nobilissimum quemque et a se invicem timeri (33—36.), adulteros fieri heredes moecharum (37—41.), pupillos fortunis a tutoribus spoliari (45—47.), repetundarum reos damnatosque maximam retinere partem pecuniae, a provincialibus per vim ac fraudem exactae, et in exsilio lautius, quam antea, genio suo indulgere (47—50.), maritos ipsos lenonum partes agere, ut bonorum moechi heredes ex asse fiant (55—57.), homines infimae sortis, qui patrimonium equis alendis dilapidaverint, praetorianis cohortibus praefici (58—62.), falsos testamentorum signatores hereditates invadere, et non minus magnificos quam molles esse (63—68.), maritos ab uxoribus veneno necari (69—72.), sceleratissimos homines dignitate et copiis excellere (73—76.), nurus a soceris vitiari, et pueros vel viris nubere vel adulterari (77. 78.), numquam maiorem viguisse avaritiam, nec insaniorem aleae lusum (87—93.), plures uni homini esse villas, et divites privatim saliarem in modum epulari, pauperibus vero clientibus ante fores aedium sportulas apponi (94—99.), summos quoque magistratus tam sordidos esse, ut eos non pudeat, una cum uxoribus vel earum nomine sportulas petere et contemtim ab opulentis tractari (99—131.), veteres amicos pauperesque clientes non amplius ad rectam vocari coenam, sed ditiores solos domi lautissimis epulis abligurire fortunas suas et nonnumquam cruditate mori (132—146.). Huic itaque Satirae si secundam potissimum, tertiam sextamque adiunxeris, consummatissimam habebis picturam corruptorum illius aevi morum. Forma orationis saepe oratoria magis quam poëtica videri potest; sed per maximam carminis partem regnat magnum πάθος et generosa indignatio, qua pravos huius aetatis mores insectatur poëta. Ceterum Satiram hanc esse primam omnium, quas Iuvenalis, si non scripserit, certe evulgaverit, cum ex primis, tum ex postremis eius verbis probabile fit. Perperam tamen ex v. 15 seq. colligi, eam ad illa tempora referendam esse, quibus poëta rhetorum scholas frequentare vix desierit, ex v. 21 seq. intelligitur.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

VARIETAS LECTIONVM

2. *tociens* 22. 26. 45. 46. 47. 49. al. *totiens* 14. 15. 16. 21. 23. 24. 60. al. h. l. et passim, ut *quotiens*, *formonsus*, *vicensimus*, *aquonsus* et similia in antt. codd. Sed falsam hanc esse scripturam et inde profe-

Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena iam margine libri
Scriptus, et in tergo, nec dum finitus, Orestes?

etiam, quod veteres Romani, si Quintiliano fides habenda, apicem sive lineolam superscripserint vocalibus longis, iam dudum ac recte suspicati sunt Lipsius, Cellar. et alii. — *Codri* legerunt Servius ad Virg. Aen. I. et Priscianus, eademque lectio h. l. et inf. III, 203. 208. omnium fere codd., etiam Parisinorum, auctoritate firmatur; nec obstat, quod nomen est Graecum, et Codrus, inf. III, 203 seq. memoratus, qui pro eodem vulgo habetur homine, Graecus videtur poëta fuisse, quod ex III, 206. probabili iudicio colligitur. Antiquiorem quoque poëtam Rom. ita dictum fuisse, cuius mentionem fecerit Valgius in Elegiis suis, docet Servius ad Virg. Ecl. VII, 22 seq. De alio Codro v. Martial. II, 57. V, 26. *Cordi* I, 8. et alii, teste ac prob. Barthio Advers. I, 21. quod hoc potius nomen sit Romanum. Idem tamen monet, poëtis talia esse κωφὰ πρόσωπα, vel nomina suo tantum aevo nota, quae frustra et inepte requiras.

3. *togatas* fabulas, speciem comoediae, ut *Atellana* VI, 71. et *Planipedaria* VIII, 191. Locus classicus de variis Tragoediae et Comoediae veteris partibus est ille *Lydi* de magistratibus l. I. § 40. quem Casp. Jac. Chr. *Reuvens* in Collectaneis literariis Lugd. 1815. recte, opinor, ita emendavit et exposuit: Ο δε Μυθος τεμνεται εἰς δυο, εἰς Τραγῳδιαν και Κωμῳδιαν· και ἡ μεν Τραγῳδια εἰς Κρηπιδαταν καὶ Πραιτεξταταν· ὧν ἡ μεν Κρηπιδατα Ελληνικας ἐχει ὑποθεσεις (fabula argumenti Graeci vel ex Graeco versa, cuius actores ὑποδουνται λευκας κρηπιδας), ἡ δε Πραιτεξτατα Ρωμαϊκας. Η μεντοι Κωμῳδια τεμνεται εἰς ἑπτα, εἰς Παλλιαταν (fabulam exoticam, Graecam, in pallio pronuntiatam), Τογαταν (Romanam) Ατελλανην, Ταβερναριαν (in qua homines ex tabernis cum aliis in scenam producuntur, ut urbani et elegantes in *togata*), Ρινθωνικην (nam Lydus l. l. I, 41. dicit auctores Hilarotragoediae fuisse Ρινθωνα και Ασκηραν και Βλαισον και τους ἀλλους των φλυακογραφων), Πλανιπεδαριαν (mimum Romanum, quem *reciniatum* dicit Festus, καταστολαριαν Lydus, cuiusque actores agebant in *plano* orchestrae et reciniati s. riciniati), και Μιμικην (mimum Graecum et palliatum). Ex h. l. Reuvens, vir doctus, verba etiam Donati ad Adelphos Terentii et de Tragoedia atque Comoedia sic restituit: „*Fabula* generale nomen est: eius duae primae partes sunt *Tragoedia* et *Comoedia*. Tragoedia, si Graeca argumentatio, *Crepidata*; si Latina argumentatio sit, *Praetextata* dicitur. Comoedia autem multas species habet: aut enim *Palliata* est, aut *Togata*, aut *Tabernaria*, aut *Attellana*, aut *Mimus*, aut *Rhintonica*, aut *Planipedia*.„

5. *Thelephus* 14. 15. 16. 20. 24. 27. 45. al. Sed Graecis constanter Τήλεφος dicitur, etsi nomen hoc ei inditum ἀπὸ τῆς θηλὴν ὑποσχούσης ἐλάφου inepte fabulantur. — *iam pleno* 43.

6. *a tergo* 29. et duo codd. Paris.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.
Exspectes eadem a summo minimoque poëta!
Et nos ergo manum ferulae subduximus; et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, periturae parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam.
Quum tener uxorem ducat spado; Maevia Tuscum

— *nondum* 13. 19. 29. et X codd. Paris.

7. Θᾶττον τοὔνομα ἕκαστος αὐτῶν (τῶν παίδων) ἐπιλάθοιτο τοῦ πατρός, ἢ τὰς Ορέστου καὶ Πυλάδου πράξεις ἀγνοήσειεν, similiter Lucianus in Toxar. c. 6.

8. *inclusum* pro *vicinum* N. Heins. ad Sabini Epist. III, 94. et Valer. Flacc. V, 642. sed memoriae, opinor, lapsu.

9. *Volcani* in plerisque codd. legitur, ut *voltus*, *volgus*, *volnus*, *volsus*, quae scriptura pro antiquiore haberi solet, sed iudice Heynio in Praefat. novae edit. Virgil. p. XXII. pronuntiationi, mediae inter fuscam et liquidiorem sequente litera liquida *l*, debetur, quam nonnulli ex usu vulgari male in scripturam traduxerunt.

12. *platani*; τὴν ἐπήκοόν ποτε τῶν Σωκρατικῶν λόγων πλατάνιστον, Ακαδημίας καὶ Λυκείου δένδρον εὐτυχέστερον, dixit Lucianus Amor. c. 31.

16. *Syllae dedimus* 24. *Syllae* 17. 20. 21. 22. 24. 60. 64. MS. Alex. et XV alii codd. Paris. Sed *Sulla* passim in Inscriptt. legitur estque cognomen Romanum, Graecis incognitum, qui illud, ut Plut. in vita Sullae monet, per υ scripserunt; Achaintre. — *alte* 16.

10. *occurram* 13. *occurris* 23. a m. pr.

19. *libeat potius* 12. 61. 62. 63. 67. 68. 71. 72. 73. recte forsan et concinnius. — *discurrere* 50.

20. *Aruncae* 21. 23. 24. 26. 27. 28. 45. 50. 59. 64. Conf. Heyne ad Virg. Aen. VII, 206. 727. 795. XI, 318. XII, 94.

22. *Menia* 19. *Nevia* vel *Naevia* 13. 23. 27. 45—48. 50. 56. 59. 60. 61. 64. 73. 74. Hoc meretricis nomen est ap. Martial. II, 9. et 26. III,

Figat aprum et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat;
Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmae:
Difficile est, Satiram non scribere. Nam quis iniquae
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova quum veniat lectica Mathonis
Plena ipso? post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, et a trepido Thymele submissa Latino?
Quum te submoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulae vesica beatae?

13. *Maevia* et *Mevia* optimi codd. nostri et Paris.

24 et2 5. a sec. m. ad marg. scripti in 22. et quibusdam MSS. Paris. Plane absunt a 7. et tribus codd. Paris.

26 ante v. 24. in 21. tribusque codd. Paris. et 26—29 ante v. 24. in 17. leguntur. *faex Niliacae plebis* coll. III, 61. emend. Flavius Coniectan. c. 30.

27. 28. Interpretationi meae favent verba Luciani in Nigrino c. 21. Πῶς γὰρ οὐ γελοῖοι μὲν οἱ πλουτοῦντες αὐτοὶ, καὶ τὰς πορφυρίδας προφαίνοντες, καὶ τοὺς δακτύλους προτείνοντες, καὶ πολλὴν κατηγοροῦντες ἀπειροκαλίαν.

28. *lacernas Ventilet aestivo digitis sudantibus auro* emend. Graevius, ut poëta dicat, Crispinum infirmis tenerisque digitis, qui vel minimo aestivo annuli pondere sudaverint, assidue ventilasse et sublevasse togam, quo annulos et sardonychatam manum ostenderet. Sed quomodo explicanda tum verba *humero revocante*?

33. *et post* pro *post* 25. 46—50. 54. 65. 67. 68. 69. 71—74.

36. *ut* pro *et* legendum, recte, opinor, censet Heinr. v. Comm.

Lucianus de Saltat. c. 76. Ἐπὶ τοῦ παχέος δὲ καὶ πιμελοῦς ὀρχηστοῦ, πηδᾶν μεγάλα πειρωμένου, Δεόμεθα, ἔφασαν, φεῖσαι τῆς θυμέλης: ubi haec Gesneri nota est: Thymelen orchestrae partem mediam, locum proprium et in centro totius theatri positum eorum, qui spectaculo esse deberent, satis eleganter ac dilucide declaravit Boindinus in comment. Acad. Inscriptt. T. I. p. 186. ed. Holland.

Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem;
Partes quisque suas, ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis, et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira,
Quum populum gregibus comitum premit hic spoliator
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani

40. *Proculeus* 19. 21. 22. *Gilo* 19. Vulgo ita distinguitur: *sed Gillo deuncem: Partes quisque—heres Accipiat, sane mercedem sanguinis, et sic* cet. Nunc mutavi interpunctionem suadente Heineckio, ut sensus sit: *Proculeius* parvam hereditatis partem *habet*, accipit, *sed Gillo* multo maiorem, et eodem modo *quisque heres partem suam ad mensuram inguinis* scil. habet. Tum verba v. 42 seq. eo, quo plerique illa acceperunt, sensu capienda sunt, ut sit concessio ironica et mens poëtae haec: ego sane non invideo illis hereditatem, sanguine et pallore partam.

42. *ac sic* 2. *inquit* pro *et sic* 39. a. m. pr. non improb. Barth. Adv. XIII, 13. ut introducatur velut de tabulis loquens vetula testatrix. Sed oratio sic non bene fluit.

45 Boissonade ad Nicet. p. 162—166. "Plato, inquit, animam dividebat εἰς γένη δύο, τό τε λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον, τὸ δὲ ἄλογον εἰς τὸ μὲν ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμοειδές. v. Heraclides Allegor. c. 17. p. 58. et Schol. Eurip. Hec. 296. Poëtae has metaphysicas divisiones nonnunquam turbarunt et τὸν θυμὸν, non τὸ ἐπιθυμητικὸν, in *iecore* locaverunt, ut Iuvenalis I. 45. et VI, 648. Antiquae aetatis amantes sibi ἧπαρ, *iecur*, vulnerari, torreri, saepicule nugantur; nunc autem *cor* praecipue illis dolet. Cupiditatum sedem olim in iecinore ponebant. Conf. Iacobs ad Macedonii Epigr. 8. Fischer ad Anacr., Toup. ad Longin. § 10. 2. Casaub. ad Pers. I, 25. V, 29.—(p. 163.) Iuvenalis VII, 52. inde sumsit epitheton *aegro* in corde. Dusaulxius post Graevium scripsit *aegre*, omnino male; nam si *senescit* cacoethes, si minuitur et remittit, etsi *aegre*, non est *insanabile*. Male intelligebant verbum *senescit*, quod hic est *invalescit*, *inveterascit*. Scholiastes vetus ad *insanabile cacoethes* non sanus videtur: *Mali mores, mala consuetudo scribendi, quae oblivisci non potest*. Forte *obliterari*."

46. *premat* 10. 15. 17. 19. 20. 24.—27. 45—50. 54—58. 60. 62. 64—68. 71—74. quod praeferrem, nisi mox v. 49. sequerentur *bibit* et *fruitur*. Nota Hein. est: "Ob id ipsum recipiendum, nam talis mutatio modorum non rara est, at saepius inveniretur, nisi talia corrupta essent ab imperitis librariis.". Sed librariis incuriosis pleraque huiusmodi exempla forsan tribuenda sunt.

47. *Pupilli plorantis* emend. Plathner coll. XV, 134 seq. Sed idem verbum mox v. 50. adhibetur et miserationem tantum, at vulg. *prostantis* summam simul indignationem mox

Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur Dis
Iratis; at tu, victrix provincia, ploras?
Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? Sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero fabrumque volantem?
Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus, et caret omni

vet. Legendum tamen videtur *Pupillae prostantis.—ac hic* 16. *at hic* 10. 11. 15. 17. 19. 20. 24—27. 45—50. 54—58. 60. 62. 64—68. 71—74. omnesque codd. Paris. Id probavit Schurzfl. et recepit Ach. ita disputans: Miror, "qua facilitate hanc lectionem mutaverint editores recenti. huius particulae *at* vim satiricam non intelligentes, quae sic se habet: *Quanta siccum iecur ardeat ira, quum populum premit hic spoliator pupilli prostantis*; sed ille spoliator tantum privatus: *at, hic Marius* provinciarum spoliator, damnatus inani iudicio, etc. Quanta siccum iecur ardeat ira!" Haec tamen vis satirica non perit retenta vulg. lectione, et mox v. 50. repeteretur *at*, cui Ach. substituit *et*, quod in nullo cod. legitur.

48. *numis* alii; sed *nummis* rectius videtur, quoniam prima syllaba vocum *νόμισμα*, *nomisma* et *numisma* corripitur. Νῦμμος monetae species fuit in Graecia Magna.

50. *ac tu* 49.

At tu victrix provincia ploras, ut V, 159. IX, 77. *Nil sibi legatum praeter plorare* Horat. Sat II, 5, 69. ut οἰμώζειν ἅπασι φράσαι; Lucian. dial. mort. IX, 3.

52. *Heracleas* I. 31. 32. et duo codd. Paris. *Herculeas* 19. 24. et quatuor codd. Paris. *Herculeias* 19. 24: et quatuor codd. Paris. *Herculeias* 14. 15. 17. 20—23. 26. 27. 45—48. 58. et XXIX MSS. Paris.

54. *Aut mare* 20. 26.—*perculsum* 15.

55. *bona mecchi* 15.—*sit capiendi* 77. 84. *sed capiendi* 29. Mutavi distinctionem, ut et versus 55—62, et v. 64—68. pendeant a v. 63. Oratio, etiam abrupta illa in v. 64, egregie affectui convenit indignationis, quem totus hic locus omnisque paene satira spirat; est tamen magis oratoria, quam poëtica, in primis ob frequentissimam repetitionem conj. *quum*. Vulgaris interpunctio est haec: *fabrumque volantem: Quum leno accipiat—Flaminiam: puer Automedon—amicae. Nonne libet — Quadrivio, quum iam* cet. Eam probat Hein. qui tamen iungit *dum pervolat axe citato Flaminiam puer Automedon, nam* cet.

58. *spectare* 7. 22. 23. a m. pr. 24.
59. *damnavit* 22.

Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam; puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum iam sexta cervice feratur,
Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra,
Et multum referens de Maecenate supino,
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quae, molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos.
  Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis: probitas laudatur et alget.
Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,
Argentum vetus et stantem extra pocula caprum.

60. *cum pervolat* 11.—*axe rotato* 29.

62. *dum se* 11. 24. 45.

65. *et nuda* 15.

66. *Mecenate, Meccaenate, Mecoenate, Moccenate* al. Sed Μαικήνας dicitur.

67. *Signator falso, qui* ret. distinxere Prat. Grang. Hennin. et alii, praeeuntibus Turnebo et Gronovio, ut *signator falso* scil. testamento dictus sit, qui supposititium obsignaverit testamentum, signator in falsis tabulis. Meo qualicumque iudicio haec locutio durissima est, et ita saltem leg. *Signator falsus*, ut Sallust. b. Cat. 16.

68. *ac gemma* 22.—*fecerit* 21. 25. 26. 49. 57.

69. 70. *quae molle Calenum, Porrectura virum, miscet sitiente rubeta* corrig. Plathner, ut *sitiens rubeta* sit torrefactum eius intestinum, quo sensu terra arida Virgilio *sitiens* dicatur, et *porrectura* pro interfectura, quoniam mortui olim in vestibulo aedium pedibus in publicum porrectis (ad ianuam versis) collocati sint et *porrecti* inde vocati. Sed vulgata lectio bene se habet, et explicationem distinctione adiuvi.

73. Fuere, qui post *brevibus* comma ponerent.

74. *aliquid* (h. e. magnum vel eximium quid) 10—17. 19—25. 28. 45—60. 64. 65. et duo MSS. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 265. qui etiam laudat glossas mss. *si vis esse alicuius pretii.* Sic et *εἶναί τι*, et contra *εἶναι μηδὲν* vel *οὐδὲν*, ut ap. Plat. Apol. Socr. c. 33. *καὶ ἐὰν δοκῶσί τι εἶναι, μηδὲν ὄντες*, et alios. Sententia est eadem, sed doctior lectio nostra,

Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcumque potest; quales ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
Proelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! Simplexne furor, sestertia centum
Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto coenavit avus? Nunc sportula primo

78. *turpes sponsae* 21. 22. *sponsi turpes* 11. et cod. ms. Marii Nigri, qui hanc lectionem probavit ad Ovid. Am. 1, 14, 33. Eamdem praetulit Schurzfl. ut designentur οἱ τερατευόμενοι et cinaedi.

Sponsae turpes: nam οὐκ ἐρῶσι ἀλλήλων λέοντες οὐδ' ἄρκτοι καὶ σύες, ἀλλ' αὐτῶν ἡ πρὸς τὸ θῆλυ μόνον ὁρμὴ κρατεῖ, Lucian. Amor. c. 36.

79. *versus*, *Qualescumque potest* 19. et quidam codd. Paris. prob. Ach.

80. *Cluviennus* 17. *Cluvieus* 22. a m. sec. *Clivienus* 45.—*et* pro *vel* 17.

82. *sortemque* 26.

83. *animas caluerunt mollia saxa* 12. 16. 23. 25. 46. 47. 48. 57. 58. 59. et tres codd. mss. Nic. Heinsii, qui hanc lectionem defendit et exemplis firmavit ad Ovid. Met. 6. 312. sed et conj. *Paulatim inque animas caluerunt m. saxa.*— *caruerunt* 13.

85. *agant* 15. 19. 49.

86. *est* non exstat in 19. *et* pro *est* 77. *nostri farrago libelli est* 61. 62. 63. 67. 71. 72. 73.

88. 89. *alea quando Haec animos* conj. Hein. Vid. Comm.

89. 90. *Neque enim l. c. itur: Ad casum tabulae posita sed luditur arca* interpungendum videbatur H. Valesio.

90. *causam* 16. 47. 58.— *plena* pro *posita* 2. in interstitio. — *quoque* pro *sed* 16.

93. *algenti* pro *horrenti* 22. a m. sec.— *tradere* 26.

Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit, et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies. Iubet a praecone vocari
Ipsos Troiugenas: nam vexant limen et ipsi
Nobiscum. Da Praetori, da deinde Tribuno!
Sed libertinus prior est: prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
Arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernae
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante et Licinis: exspectent ergo tribuni;
Vincant divitiae: sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis;
Quandoquidem inter nos sanctissima Divitiarum
Maiestas; etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Vt colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

98. *Suspectus* 15.—*et falso* 17. 19—21. 25—27. 45. 47. 50. 51. 56—60. 64. 65.

99. *Cognitus* 21—*accipias* 16.—*libet* 26.

100. *vexant nomen* 7.—*illi* 7. 19. 21.

102 *ego sum* 62. 66. 67. 71—74.

103. *Cur dubitem timeamve* 19.

104. *Euphraten* 16. 61. quod recepi pro *Euphratem*.

105. *negat* 16. 45.

106. *Quinquaginta* 26. *Quadraginta* 16. 19. 45. sollemni errore.—*parent* 11.—*maius* 7. 11. 15. 21. a m. sec. 25. 26. 27. 29. 46. 47. 48. 50. 54—69. 71—74. et XXVII. codd. Paris. quod perperam probant Bahrdt et alii, qui *maius* pro *magis* dictum accipiunt, et post *Optandum* interr. notam, post *oves* comma ponunt. *purpurae amator* 4. 81. in marg. et cod. ms. Marii Nigri, quem v. ad Ovid. Am. 1, 14, 33.

107. *in arvo* 15. 21. a m. sec.

110. post v. 118. legitur in 26. *non* 22. *ne* 17. 19. 45. *nec sacro* 24.

114. *habitat* 19.—*exstruximus* quidam, ex interpret.

116. *ciconia* pro *Concordia* 2. 11. ad marg. 16. 19. 21. a m. sec. 22. 26. tres codd. vetustiss. Iac. Susii et

Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc toga,calceus hinc est,
Et panis fumusque domi? Densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel praegnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam.
Galla mea est, inquit; citius dimitte: moraris?
Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt, quamquam longissima coenae

quidam Paris. Sed haec lectio glossam redolet, et metrum ei adversatur: vulgata etiam longe praestantior est.

Aedem *Concordiae* ruinosam nec, ut antea, frequentatam, in qua tuto nidum nunc ponat ciconia, ὡς ἐν παρόδῳ innui putat Ill. Comes de Haugwitz.

117. *honos* 27. 60. 64. 65.—*computat* 22.

119. *faciant* 14. 46. 47. *comites facient* 24.

123. Suspicari possis *notae iam callidus artis.*

123. seq. *Ars* spectat ad *vacuam sellam* duplicemque sportulam, quam *hic petit* tum sibi, tum *uxori*, et ne praesenti quidem, sed absenti.

124. *Ostentans* 24. recte, opinor, iudice etiam Schurzfl.

130. *quos* 16.—*aut* pro *atque* 7. 11. 15. 19. 20. 24. 50.—*Arabarces* 21. 22. 54. 60. 65. *Arabraches* 16. *Alabarches* 70. 74.

Alabarcus legit Ill. C. de Haugwitz vertitque: *ein zöllner aus Aegypten*, Crispin. Hunc vero tali officio functum esse non constat.

131. *mingere* 11. 14. 15. 17. 19. 21. 22. a m. sec. 26. 45.

133. *quamvis* 24. *Votaque deponunt, quamquam longissima, coenae, Spes homini* distinguitur in edd. Grang. et Hennin. ut iungantur *vota coenae* et *quamquam longissima spes homini*, quae scil. hominem laetum reddat et semper meliora exspectantem ad mortem usque comitetur; unde proverb. *aegroto dum anima est, spes est*, et Hadriano interrogante, *quid est longissimum?* Epicteti responsio:

Spes homini: caules miseris atque ignis emendus.
  Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum; vacuisque toris tantum ipse iacebit.
Nam de tot pulcris et latis orbibus et tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit! Sed quis ferat istas
Luxuriae sordes? quanta est gula, quae sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes atque intestata senectus.
It nova, nec tristis, per cunctas fabula coenas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
  Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient facientque minores.
Omne in praecipiti vitium stetit: utere velis;

Spes. Ita quoque Rigalt. h. l. interpretatur, qui tamen interpungit: *Votaque deponunt, quamquam l. coenae Spes h.* Tum vero verba sic potius transponenda: *Votaque deponunt coenae, longissima quamquam Spes homini;* nisi cum Hein. dixeris, ea expediri posse per *synchysin.*

134. *hominis* 28. *hominum* 11. 26. 45. 59. 60. 64. 65. *horum* duo codd. Paris.— *Caules* 10. 11. 14—17. 19. 20. 22. 24. 27. 48. 54. 59—63. 65. 67. 68. 71—73. et XXXII codd. Paris. quam formam, quia tum insolentior, tum auribus h. l. gratior est et auctoritate tot codd. firmatur, in locum vulgaris *Caulis* substitui, consilio viri docti in Miscell. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 267.

136. *Rex hominum* 56. 57. *Rex dominus* 43.

Οταν οἱ κόλακες τοὺς κολακευομένους προσελθόντες ὥσπερ δεσπότας προσείπωσι, τί καὶ φρονήσειν ἐκείνους εἰκός ἐστι; Lucian. in Nigrino c. 23.

137. 138. desunt 13. 46. 48. 49. sed in comment. Calder. et Vallae explicantur.

138. *comedit* 45. Sed vulgaris lectio doctior est, et talem personarum numerique permutationem poëta amat. Conf. inf. ad v. 157. in Exc. II.

139 *ferat* pro *feret* recepi ex 10. 15—17. 19. 20. 22. 27. 28. 45—50. 54. 55. 59. 60. 64. 65. et cod. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 267.—*ipsas* 22.

140. *totum Ponit aprum* 23.

142. *depones* 25.—*amictum* 17. 25. 27. 45. 47. 48. 50. 54—60. 64. 65.

145. *Et* pro *It* quidam. Praestiterit *Es* vel *Est* vel *Fis* vel *Fit—fabula,* quo sensu *fabula* s. *sermo esse* et *fieri* dicitur is, de quo multi loquuntur.

148. *facient cupientque* 19. 22. 23.

Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, unde
Ingenium par materiae? unde illa priorum
Scribendi, quodcumque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum diducis arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?
Quum veniet contra, digito compesce labellum.

150. *Dicas hoc* 26.

151. *materiae est* 25. 27. 45. 46. 48. 49. 57. 59. 60. 65. et *unde est illa* cet.. codex olim Thuan., nunc Colbert. prob. Ach. ne metrum laboret. Sed vocales literaque *m* in fine vocis saepe non eliduntur, et tum producuntur propter caesuram et hiatum. v. ad 6, 109. 9, 118. et 15, 7. in Var. Lect. Hiatus autem Iuvenali sunt soleunes. Vereor tamen, ne pleraque exempla librariorum incuriae debeantur.

153. *nunc* pro *non* 81. in marg. prob. Flavio Coniect. Cent. I.—*audent* emend. Graevius.

154. *Mutius* 17. 23—27. 45—47. 49. 50. 57. 60—76. Sed Gr. Μούκιος dicitur.

155. *Tigellinum* pro *Tigillinum* reposui, quoniam haec scriptura firmatur optimis codd. veterum scriptorum, et Romanorum et Graecorum.—*lucebit* 8. a m. pr. et quatuor codd. Paris. quod recepit Hennin. probaruntque Lubinus, Graevius et Gron., qui ad Sen. de ira III, 3. testatur, se invenisse illud in antiquiss. membranis in Britannia.

156. *et* pro *qui* 11—*fumat* emend. Ascens. et Voss. ad Catull. p. 42. *pectore fumant* 14. *gurgite fumant* 22. a m. pr.

157. *At* 23.—*lautum* 19.—*diducit* 21. et vetus codex Lipsii, laudatus ab eo ad Senec. de ira 3, 3, aliusque Heinsii, quem vide ad Ovid. Met. 4. 375. *deducet* 16. 22. 48. 82. *deducit* 1. 8. a m. pr. 10. 11. 12. 14. 17. 19. 20. 23—45—47. 49. 50. 54—69. 71—77. et XXXV cod. Paris. prob. Ach. *deducis* 8 a m. sec. 28. 70. et MS. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 268. Pro eo nunc substitui *diducis*. De aliis coniecturis v. Excurs.

158. *vehetur* 10. 11. 14. 15. 22. 27. 45—50. 54. 55. 61. 68. multi codd. Paris. et vetustus viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 267. Parum interest, modo mox reposueris *despiciet*. non, ut Henninius aliique editores, *vehatur* et *despiciet*.

159. *despiciat* 10. 13. 17. 20. 21. 23. 24. 25. 45. 49. 50. 56. 57. 59. 60. 64—67. 71. 74. et alter codex viri docti modo laudati: quos secutus sum. *despiciet* al.

160. *veniat* 17. 23. 25. 46. 49. 54. 58. 64. *venerit* 24.

Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est.
Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quaesitus Hylas urnamque sequutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus; tacita sudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrumae. Tecum prius ergo voluta
Haec animo ante tubas: galeatum sero duelli

161. *verum dixerit* 7. 10. 11. 14—17. 19—22. 24. 26. 45—48. 50—55. 74. 80. et quidem codd. Paris. quod probavit et male exposuit Brit. *verum qui dixerit* 23. *verum qui dixerat* 16. *si verbum dixerit* emend. Plathner. Praestitisset: *quum verbum dixeris.* Sed vulgatum bene habet. v. Comm. — Mox *hic 'st* vel *hic st*, h. e. hic tace, nisi perire velis, (nam *st* silentii nota est), corr. Lambinus, Lubinus, Graevius et Heins. *Quum veniet contra, st! digito compesce labellum* cet. coni. Burm. See. ad Anthol. T. I. 1. 3. ep. 188.

162. *Aenean* Graecorum more scribendum videtur pro *Aeneam*, ut III, 5. *Prochyten* pro *Prochytam*. v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. VII. 26. et Drak. ad Sil. II. 413. Talia tamen non addicentibus codd. (quos nunc inf. VIII, 113. 229. et al. secutus sum) recipere religio mihi fuit, etsi non ignoro, poëtam nostrum sectari doctiora, et me inconstantiae accusari ab Hein.

164. *Et* 19.

168. *ira* 11. 21. a m. pr. et duo codd. mss. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. 11. p. 267.

169. *Nec* 58. *Haec anima ante tubas* vel *tubam* alii, teste Ascensio. *Haec animae ante tubas* 66. *Haec anime ante tubam* 51. 55. *Haec anime ante tuba* 54. *Ex animo ante tubas* cod. Alex. non improb. Ach. *Haec, anime, a. tubas.* 49. 61. 62. 63. 65. 67. 68. 71. 74. 78. 79. Priscian. lib. xviii. et antiquiss. codd. teste Mancinello et proh. Rigalt. ut poëta se ipse adhortetur, ut ap. Quintil. 9, 2. *dura, anime, hodie dura*, et ap. Pind. Olymp. 2, 160. Επεχε νῦν σκοπῷ τόξον, Αγε, Θυμέ. *Tecum prius ergo voluta Haec animo ante tubas* 81. 82. et al. *animante tubas* 80. *voluta Haec: animante tuba galeatum sero duelli poenitet* 2. 10. 15. 16. 17. 19—28. 45—48. 50. 52. 53. 56—60. 64. 65. 75. 76. XXXIV codd. Paris. et VI Hafnienses, quod revocavit Ach. tamquam vividius et elegantius. Sed vulgatam lect. defendit Heinr. his verbis: "*Animante tuba* etsi satis animose dictum censeri potest, haec tamen animositas in loquendo non satis placet, quae propior est insolentiae. Deinde vero sic *animante tuba*, quaedam dispar compositio orationis existit, qua poëtae ingratiis illius integra concinnitas turbatur, dum, abrupta subito oratione post. voc. *haec*, priora ista paene ieiuna fiunt propter nimiam dictionis brevitatem, et reliquis contra aliquaepiam abundantia obtruditur,

Poenitet. — Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

minus apta. Nam *galeatus* per se explet satis sententiam: alterum vero *ante tubas*, scil. inflatas, est aptissimum. „ Con. fCommen. *Exanimante tuba* II, prob. Schurzfl. cuius nota est haec: "Ait auctor, quum tuba iam militem sonitu suo tantum non exanimat, sero nimis in bellum abiisse poenitet; et ita sane videtur Schol. vetus legisse, quum explicat metaphoram: *tarde poenitet indixisse bellum, quum iam pugna commissa.* „ Immo Schol. legit *animante tuba* aut *ante tubas*.

SATIRA II.

ARGVMENTVM

Magna nunc Romae est pessimorum multitudo hominum, qui, vultu et sermone speciem sapientiae ac virtutis prae se ferentes, vitia, quibus ipsi indulgent quam maxime, verbis poenisque castigant, tristes in publico, domi obscoeni. v. 1—28. *Neque id mirum: nam perniciosum huius simulationis exemplum Princeps et Censor severus, tragico nuper pollutus adulterio, edidit, quod certatim imitantur senatores ac nobiles, qui muliebria tam facientes quam patientes, et sericis perlucidisque vestibus induti mollitiem tamen acrius increpant.* 29—78. *Horum contagio cuiusque mox ordinis et sexus homines trahet* (78—81.), *ipsi vero paulatim, ut vulgo fit, ab illa turpitudine ad maiorem delabentur, et in consortium foedorum muliebriumque recipientur virorum, qui, sexum, habitum, ornatum, vultum, vocis exilitatem incessumque feminarum mentientes, sacra Bonae Deae celebrant, et, Othonis Imperatoris exemplo, in ipsis castris vel speculis utuntur, vel faciem linunt pane madido.* 82—114. *Non desunt etiam, heu nefas! viri, iique summo loco nati, ac sacerdotes, qui data dote viris nubunt, nihilque magis dolent, quam quod nequeunt parere.* 115—142. *Quod tamen omnium turpissimum est ac portento simile, viros, genere et nobilitate huius civitatis facile principes, non pudet gladiatorum et vel retiariorum, qui nuda facie pugnant, partes agere.* 143—148. *Quae monstra hominum, si vera essent, quae de Manibus et inferis poëtae fabulantur, adspicere olim in Orco horrerent Curii, Fabricii aliique spectatae virtutis viri.* 149—158. *Quid enim prodest, imperium nostrum orbis terrarum terminis definiri, si barbaros populos, quos vicimus armis, etiam vitiis superamus, et peregrini, qui ad nos commearunt, mox perditos induunt mores nostros atque in patriam suam referunt?* 159—170.

De huius Satirae summa ac descriptione, de partium convenientia et artificio dispositionis, callide artem celantis, egregie disputavit Heinrich in sec. specim. Commentat. in Iuven. Satiras p. 6 seq. ubi haec leguntur: „ De philosophis obscoenis agi v. 1—65. et hos esse tristes obscoenos, *clamant uno ore, quicumque*

huc quidquam attulerunt. Sed hic philosophos vides, non umbraticos magistros suaeque artis professores et doctores, quales Romae tum erant Artemidorus, Epictetus, multi alii; imo homines inductos in forum et iudicia publica, leges ac iura citantes, atque adeo scenam omnem plane instructam iudicialem in modum. Vel hoc licet mirari: attamen alterum multo magis, quod subito his dimissis, qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt, *statim a v. 65. deflectit ad contrarium genus, sicque mutat ingenium, ut pro philosophis, turpitudinem vultu dissimulantibus, nunc prodeunt alii, qui infamiam quamlibet palam habent, et parum absunt, quin etiam flagitia sua cupiant* in acta referri. *Addit postremo illud monstro simillimum, quod viros, nobilissimis gentibus ortos, non pudet, quo placeant Domino, vulgo inspectante, arenae operam dare ac volutari in servilibus ludis gladiatorum. Debent haec quidem disiuncta videri: in quibus conciliandis tamen apparet felix audacia poëtae et non vulgare ingenium.* — *Aperienda est via ad intelligendum elementis rerum explicandis, quae huic Satirae scribendae opportunitatem atque materiam dederunt. Et primum, id quod vulgo negligentissime faciunt, accurate animo informemus faciem temporum, in qua quidem repraesentanda totum Satirae argumentum versatur, quoque omnis refertur et indignatio et cogitatio scriptoris. Ecloga haec cum tota referat tempora, sive, ut novo modo loquimur,* genium saeculi *Domitiani, tum aut scripta est adhuc imperium tenente Domitiano, et interea scriniis retenta; aut statim post caedem tyranni: ut certum videatur, Satirarum, quas quidem edidit Iuvenalis, tempore primam omnium esse habendam hanc nostram. Praecipue sunt memorabiles versus* 29—33., *in quibus quodammodo spirat, si dicere licet, argumenti anima, et viget recens asperitas ex nupera atrocitate facinorum. Domitiani hic notari infamiam, sine controversia demonstrat additum* nuper, *rem plane significans, quae erat proxime commissa, quamvis fortasse plurium intervallo annorum; quae est sermonis consuetudo in talibus ponendis adverbiis. Accedit huc confirmatio et loco Plinii Epp. IV, 11, 6, res peraeque coniungentis, quum Domitianus Corneliam, Vestalem Maximam, specie incesti defodi imperasset:* Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset: nam vidua abortu periit. *Quibus in verbis extremis, de veritate lectionis* vidua, *non debebat praetermitti utilis annotatio Reimari ad Cass. Dion. p. 1102. l. 82. Posita Iuvenali plurativa ex vero sic intelligunt, Iuliam non unum, sed plures fecisse abortus (nam minime inaudita Latinis* abortivi *significatio, quae ponitur pro* abortu); *nec refellitur id saltem collatis mentionibus ceterorum scriptorum, et satis credibile fit diuturnitate foedae Imperatoris cum Iulia habitae consuetudinis: qua de memorat Cassius Dio LXVII, 3, et ipsos nuuos computat, nimio, ut multis in aliis rebus, acumine, Dodwellus Ann. Quintil. p. 127. Fecit tamen poëta fortasse benignius, turpe facinus numero augens, quemadmodum loqui solemus indignabundi. Nobis Dioni sufficit credere, a quo scelus refertur ad annum V. C.* 836. *post C. N.* 83, *quum annum iam tertium* Flavius ultimus semianimum orbem laceraret. *Sed non obscure ipse arguit Iuvenalis, hoc eodem tempore factum fuisse, ut Principis edicto* leges amarae *in usum revocarentur: itidemque rem colligit Dodwellus l. c. De his legibus revocatis nihil praeter incertos rumores conferunt ad Iuvenalem: quod minus miramur in tanta, tam hodie pervulgata, neglectione Iuris Romani scientiae. Non solum reductam legem Iuliam, verum*

quibusdam etiam accessionibus auctam Domitiano, unus satis docuit Io. Guil. Hoffmannus ad L. Iuliam c. IX. §. 5, non tamen in eo satisfaciens, quod paene nullam ob causam eidem anno tribuit revocationem, quo Domitianus IX. Consul fuit, hoc est ei ipsi anno, quem meliorem ob causam diximus antea. Iam vero intuenti teterrimum vultum istorum temporum, ad animum incorruptum nihil accidere poterat intolerabilius nihilque acrius indignationem movere, quam quod tyrannus, qui bellua esset, non homo, et ad genus omne flagitii turpitudinisque natus esse videretur, dum quotidie ipse dirissima summae infamiae exempla praeberet, simul tamen severus virtutis vindex ac morum per orbem corrector restitutorque videri vellet. Adhuc ab Augusto inde Imperatores, licet reliquis in se translatis muneribus, tamen plerique Censuram, *omnium honorum longe maximum* (κορυφὴν τιμῆς ἁπάσης καὶ πολιτείας ἐπιτελείωσιν, *ut dicit Plut. Cat. mai. c.* 16.), *noluerant saltem nomine, quod esset invidiosum, usurpare, et quamvis re habentes potestatem* Censoriam, *non tamen verbo dici iactarique* Censores. *Vide Fabric. ad Dion. p.* 714. *l.* 85. *et multo magis Spanhem. de pr. et usu num. Vol. II. p.* 472 *seq. ed. Lond. Nunc vero denique Domitianus surrexit* Censor Perpetuus *et* Censoriae potestatis *impudentissimus ostentator; idque maxime ab a. V. C.* 838. *p. C. N.* 85. *V. Dion. p.* 714. *l.* 84 *seq. et iterum p.* 1104. *l.* 49. (τιμητὴς δὲ διὰ βίου πρῶτος δὴ καὶ ἰδιωτῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἐχειροτονήθη) *propter annum autem, notata ex numis ibid. l.* 48., *sed praecipue de re tota Spanhem. p.* 478. *Hic igitur novus atque eximius promtae adulationi locus inventus erat, et, quem totus orbis exhorrescebat, eum multi concentu suavissimo consalutabant* Censorem maximum, Censorem sanctissimum; *inque his Quintilianus IV. Prooem.* 3, *quem tamen belle excusat mitis sapientia Gesneri:* Concedendum est, *inquit*, homini beneficiis et metu devincto. *Quemadmodum autem illis versibus haec maxime petitur contemtissima in tali Principe Censoriae simulatio severitatis, per quam latae contra libidines leges ac nuper ambitiosius revocatae magnam iudiciorum et condemnationum frequentiam praebere coeperant, ita, nisi nos nostra plane fallit opinio, ex ea re ipsa potissimum est tracta huius vis omnis ac materia Satirae. Exstabat scilicet clarum exemplum Principis, qui, Censoris titulo in perpetuum sumto, modo fortiter correctionem morum flagitiorumque coërcitionem susceperat* (*Conf. Sueton. Domit. c.* 8.): *quod quidem exemplum tum facile multi, quo plus ipsi essent perditis moribus, eo acrius vehementiusque imitabantur; et mox certotim personati Catones, Principis coelestem auctoritatem* (coelestia iudicia *praedicat Quintil. loc. cit.*) *Dominique*, sanctissimi Censoris *videlicet, divinum exemplum testantes, ipsi etiam vultu et loquela Censoriam gravitatem mentientes, forum et iudicia occupabant, ut ex lege Iulia maxime mulierum crimina et adulteria publicis accusationibus persequerentur. Sane iam dudum foedissima adulteriorum licentia et consuetudo Vrbem invaserat: magna erat in feminis morum pravitas; sed etiam in viris maior et effrenatior: quanto igitur invidiosius se efferebat proterva istiusmodi simulatio accusatorum! Illuc redeunt plura Satirae loca, quae sententiam habent aut obscuram aut ambiguam, nisi ad talem rerum speciem accepta; quorumque vis omnis sita est in simulatione vultus Censorii, ad Imperatoris exemplum isto tempore Romae vulgata. Sic statim initio Satirae v.* 2. Quoties aliquid de moribus audent, *h. e. de morum correctione; deinde v.* 40. Tertius e coelo cecidit Cato: *v.* 63. vexat censura columbas: *v.* 121. censore opus est, an

aruspice nobis? *In quibus locis verba ipsa rem clare indicant, quam hic intelligi volumus. Itaque totum carmen est tinctum acerbissimo sensu poëtae stomachantis odiosam affectationem sanctitatis et gravitatis, qua illa aetate et ipse Princeps furebat, et furebant multi alii, coelesti exemplo vitiis specieque simillimi. — Nunc vero horum ipsorum severae legis proclamatorum rationem necesse est intueri paulo acrius, ut plane appareat, illos homines esse illustri loco natos, atque primorum in civitate ordinum, Senatores et quoslibet nobiles: quales perditis quibusque temporibus primi fere exsistere solent auctores corruptelae ac turpitudinis, ab ipsis deinde ad vulgus manantis; quod Iuvenalis ipse dicit, nimirum edoctus experientia, v.* 78. Dedit hanc contagio labem Et dabit in plures. *Nobiles tantummodo agnoscunt in parte carminis extrema, ubi errare nimirum nemo potest, inde a v.* 143. *Ceteroquin, re ignorata, non potuit recta esse interpretatio. Ita* Sextum *v.* 21. *Stoicum putant: ubi, quod unice verum est, monstrat docta brevitas veteris scholii:* Sexte, Senator. *Mox v.* 67. *et* 78. *nescientes, quid faciant* Cretico, *postremo iudices intelligi iubent; quamquam hoc vel propterea falsissimum est, quod idem Creticus eodem in versu* perorare *dicitur et paulo post. v.* 71. agere, *atque eidem etiam v.* 75. 76. iudex *cum* teste *opponitur. Et hoc quoque in loco verum continet vetus scholium:* » Cretice: hoc nomine vel quemlibet nobilem significat, vel Iulium Creticum, qui sub Caess. inlustris causas egit. « *Illud prius tenendum esse, docet ipse Iuvenalis iterum posito nomine VIII.* 38. ne tu sis Creticus aut Camerinus: *et ibi rursus scholium bene:* Ne sis tantum nominibus nobilis. *Iam demum de philosophis erit perspicuum, quale genus poëtae sit obversatum. Vt Stoicus non est is qui* Sextus *nominatur v.* 21., *ita haec tota pars Satirae v.* 1—65. *nec Stoicos spectat, nec Cynicos, neque omnino tales sapientiae professores, ad quos Vrbe Italiaque eiiciendos tunc novum Domitiani edictum pertinebat. Neque ad rem quadrant verba Quintil. I. Prooem.* 15. *de ostentantibus ex professo philosophiam. Alius est autem, qui egregiam lucem afferat, locus eiusdem scriptoris XII,* 3, 12. *ubi notantur homines* pigritiae arrogantioris, qui, subito fronte conficta (*haec vera lectio*) immissaque barba, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti, captarent auctoritatem contemtu ceterorum. *Ad quem locum apparere ait Gesnerus, hic etiam peti invisos Domitiano philosophos. Imo respici eosdem apparebit, qui Iuvenali v.* 9. *dicuntur* tristes *in publico, domi* obscoeni; *v.* 4. indocti, *simulatores quidem, sed tamen rudes praeceptorum, quippe qui vix primis labris attigerunt aliquot scholas, multum arrogantiae ex iis, sapientiae parum, haurientes; v.* 52. strepitu fora moventes, *in iudiciis, non in scholis versantes; non denique* Stoici, *sed, verbo significanter rem exprimente,* Stoicidae, *tamquam filii aut potius simiae philosophorum. Atqui inter hos ipsos et philosophos tantum discriminis erat, ut illis nullum aliud genus in civitate magis fuisse videatur obsequiosum et dilectum Imperatori; dum hi quidem, qui publice scholas habebant, ceterum longe a foro iudiciisque abhorrentes atque inde etiam legitima civilium munerum vacatione disiuncti (v. auctores nominatim commemoratos ad Plin. Epp. X,* 66. 1.) *contumaciae causa iam a principatu Augusti (ad quem praeclara ea de re Maecenatis sunt verba apud Dionem p.* 689. *l.* 48 *seq.) suspecti Caesaribus erant, et post Vespasianum iterum Domitiani odio Italia expellebantur. Illa igitur, prompta serviendi adulandique facilitate satis tuta ab exilio, natio plerumque nobiles erant et Senatores; quo prae-*

ter reliqua etiam ducit v. 129. *ille* clarus genere atque opibus vir: *verum hi omnes rursus divisi in duas partes diversas: pars ἐκ πώγωνος σοφοί, quorum* hispida membra quidem et durae per brachia setae promittebant atrocem animum (*v.* 11. 12.), *in quos adeo Tullianum valebat illud* Stoici paene Cynici *Cic. Off.* 1, 35; *contra alii venusti ac delicati vestituque et universo corporis habitu ad omnem munditiem expoliti,* Stoici paene Epicurei, *quique cultu et amictu Antonio, quam Zenoni aut Chrysippo, similiores se ostendebant. Ad hos paulo abruptior transit oratio a v.* 65, *quos tamen non esse a Stoicidis seiungendos, nisi mox* Creticus *doceret v.* 77. acer et indomitus libertatisque magister, *videlicet Stoicae, id intelligi ex omni sententiarum contextu oporteret. Ceterum in superioribus etiam nonnulla moris Stoicorum habent significationem, quae vulgo minus animadvertuntur. Stoicae disciplinae assectatores male audiebant ab infami libidine, ut molles et catamiti* (κατωμάδιοι, *quae est origo vocis Latinae, Lexicographis ignota*): παιδοπῖπαι *appellati ab Hermia in Iambis ap. Athen. XIII. p.* 563. *E. ubi statim ipse Athenaeus, Antigono Carystio auctore, addit*: καὶ τοῦτο μόνον ἐζηλωκότες τὸν ἀρχηγὸν τῆς σοφίας Ζήνωνα τὸν Φοίνικα, ὃς οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, παιδικοῖς δ' ἀεί. *Conf. Diog. Laërt. VII*, 13. *ex verissima emend. Schweigh. anim. in Athen. T VII. p.* 36. *et sic* verba Herculis *dicta sunt v.* 20. *grandia quidem ac magnifica, qualibus Hercules uteretur, ut exponunt; sed cum respectu ad Stoicos paene Cynicos, qui Herculem se imitari dicebant, ad eiusque personam cum reliquum habitum, tum vero etiam vocis sonum et granditatem verborum conformabant, v. Menag. ad Diog. Laërt. VI*, 2. *Rem eandem Hermias expressit apud Athen. l. c. vocabulo apto et elegante* τραγωδεῖν, *quique ibidem* Στώακες *vel* Στόακες *per contemtum, tanquam* Stoici pusilli *sive* Stoiculi, *dicuntur, eos iam Grangaeus haud indocte cum Iuvenalis* Stoicidis *comparavit: non tamen adeo certam putamus scripturam, quae nunc Athenaei in libris vulgata est, ut de illius integritate nihil amplius quaerendum videatur.*

Haec omnino probabiliora sunt, quam sententia et Crenii, qui in animadverss. philol. et hist. P. XIII. p. 17. *versus* 1—65. *retulit ad collegium a Domitiano Minervae institutum, et omnium poëtae interpretum, qui eos spectare putant ad philosophos tunc temporis viventes atque propter morum pravitatem Vrbe et Italia expulsos edicto Domitiani (qui tamen maius in philosophorum pertinaciam et libertatem loquendi, quam improbitatem et vitia, odium habuisse et hoc illi praetendisse censendus est; de quo vid. Sulpiciae Sat.); nam in verbis potius convenire, quam ad rem quadrare videntur similia, quae de philosophis dixere Quintilianus (potissimum in Prooem. lib. I. Inst. Or. §.* 15. Veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et, ut praeceperunt, etiam vixisse facile concesserim; nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt: non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant), *Lucianus in Cynico, Timone §.* 54—58, *Nigrino, Hermotimo aliisque dialogis his similibus (Lucianus enim praecipue philosophis tum viventibus infestus erat eorumque vitia miro passim sale perfricuit), Gellius I,* 2. *IX,* 2. *XIII,* 8. (vitia facundissime accusant, intercutibus ipsi vitiis madentes) *XIII,* 23, *Martialis IX,* 47. *al.* 48. *in Pannicum, et alii, quos Iacobs ad Anthol. Gr. T. I. P. I. p.* 134. *Gataker. ad M. Antonin. p.* 277. *et Wetsten. ad Ep. Pauli ad Rom. II,* 24.



laudarunt, inpr. vero Dio Chrysost. in oratione Alexandriae habita περὶ σχή-ματος, quam huic Sat. ex asse respondere dixit Henninius.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.
Indocti primum; quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias: nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit,

1. *decet* pro *libet* 16.

2. Heinrich annotationem meam in ed. min. poëtae, quam corruptam esse aequi lectores et minus malevoli suspicabuntur, non incuriae meae, nedum typographi, sed summae potius inscitiae tribuit et in literis miseriae; ideoque dolet vicem iuventutis scholasticae, tali magistro in disciplinam traditae. Ego contra ex animo gratulor tum literis de tanto viro, tum maxime adolescentibus, quorum et ingenium et vita in academiis a tali humanitatis Professore formabitur, quique non tantum stupentes subinde dicent: *en octavum Sapientum!* sed primi quoque ac laeti hoc saeculo, quo vitia vigere dicunt et, aeque ac illo Iuvenalis, multa *de moribus audent*, *Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt*, succinent Laroniae cuidam clamanti: *Felicia tempora, quae Te moribus opponunt! Tertius e coelo cecidit Cato!* Neque etiam est, quod porro misereatur vir bonus adolescentiae nostrae, cuius institutionem iam dudum aliis commisi. — Qui vero ea, quae ille dicit de sagacitate et inventis suis, quorum nonnulla aliquamdiu reticet, ut salivam moveat lectoribus, de levi gloriolae detrimento, quod aequo animo laturus est, si aliquis ipsi praerepturus sit inventum suopte acumine, de interpretibus poëtae omnium rerum insciis et inprimis Iuris Romani, qui haec, inquam, legerit et his similia, nesciet profecto, utrum magis praedicanda sit modestia eius et humanitas, an sapientia nusquam errans et commoda aliquamdiu, quod ipse profitetur, literatissimi Collegae atque ICti admonitione adiuta.

3. *similant* scribendum videtur pro *simulant*, usu quidem invito ac refragg. Diomede I. p. 362. Gron. Diatr. Stat. c. 6. et Ernesti ad Cic. Invent. 1, 28. Tac. Germ. 9. et Agric. 10. sed etymologia ac vi verbi id postulante et faventibus libris, nonnumquam omnibus, v. c. in Tac. Germ. c. 9. Adsentiuntur Heyne ad Vir. Aen. 12. 224. Barth. ad Claud. Ruf. 2, 81. ad Stat. Theb. 4, 261. Scheller in Lex. et alii. — Post *vivunt* maiorem posui distinctionem pro minori.

5. *invenias* restitui pro *invenies* ex 10. 11. 14—17. 19—25. 45—69. 74—71. 77—80. — *est* desideratur in 25. 46. 47. 48. 50. 54—60. 62. 64—67. 71—76.

6. *Si quis Aristotelem, similem vel*

Et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Fronti nulla fides: quis enim non vicus abundat
Tristibus obscoenis? Castigas turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
Hispida membra quidem et durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum; sed podice levi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.
Rarus sermo illis, et magna lubido tacendi,
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo
Et magis ingenue Peribomius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.

Pittacon (vel Pittacum, Aristoteli similem vultu) *enuit* distinguere, aut potius *Aristotelem*, *Simiam vel Pittacon* legere malebat H. Vales. Sed illa interpretatio vix cuiquam arridebit, et haec lectio repudianda est, quoniam philosophus ille, Socratis discipulus, Xenoph. Mem. Socr. III. 11. 17. et aliis Σιμμίας dicitur, non *Simias*.

7. *pluteum*. v. Excurs.

8. *Fronti* pro *Frontis* reposui ex 46. 48. 49. 50. 56. 59. 60. 64. 65. 69. 73. et quatuor codd. Paris. Certe doctius est.

10. *Sotadicos — cinaedos* emend. Leopard. Emendatt. 13, 10. ut ita dicti sint cinaedi a Sotade Maronita, obscoeno scriptore et Ionicarum cantilenarum poëta, ὃς ἦρξε πρῶτος κιναιδολογεῖν. De alio Sotade, comico poëta, v. Athen. VII, 41. Sed vulgatam lect. praeter alios tuetur Rutgers. var lect. 6, 13. quum *Socraticum dogma* exagitarit etiam Martial. 9, 47. al. 48. et *Socraticos paedicones* ex astris arcessiverit Firmic. 7, 14. Socrates etiam olim παιδεραστίας insimulatus sit, quod notum ex Laërt., Plat. in Apol., Luciano, Seneca Ep. 101. et de vita beata c. 27. Aristoph. Nub.

12. *levi* ubivis scripsi pro *laevi*, quoniam respondet Graeco λεῖος, si prima syllaba producitur.

14. *libido* 17. 19—22. 25. 57. 58. 60. 64—67. 75. 76. Nil interest.

16. *Perhibonius* 26. *Peribonios* 4. 5. 6. 11. 19. 23. 24. 25. 27. 45—48. 50. 54—69. 71—74. *Peribomius* 1. 2. 3. 10. 12—17. 20. 21. 22. 49. 70. 75. 76. 77. Nomen forte effictum ex Gr. περιβώμιος, qui circa aram est (Archigallus), non ex βωμολόχος, scurra, quod Calder. suspicabatur. Vetus scholion est: "nomen Archigalli cinaedi, quem *magulum* (forte *gallum* s. *gallulum* vel potius *matulam*) *conspurcatum* dicimus, qui publice impudicitiam perpessus (f. professus) est."

17. Forte *quem* pro *qui* legendum: ego *fatis imputo hunc morbum*, *quem vultu incessuque fatetur*. Pessime ita hunc locum tentari contendit Heinecke, quum tota orationis series sit haec: "Pessimi sunt illi homines, qui, quamquam sceleratissimam vitam agunt, tamen virtutis speciem praebere volunt; magis mihi placet is,

Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
Dat veniam; sed peiores, qui talia verbis
Herculis invadunt, et de virtute loquuti
Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait. Quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis coelum terris non misceat et mare coelo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullae si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,

qui sua vitia non callide occultare studet, et certe hoc nomine non culpandus est, quod et peccat et homines simul fallere studet; talem hominem fere puto non in culpa esse, sed potius fatum, quod eum vel invitum ad peccandum impellit.„ Quaerit itaque, quid in his sit, quod iure possit vituperari? Nihil sane in ipsa sententia, sed non nihil in oratione poëtae, qui eam ita expressit, et *hominem fatis imputari* hoc sensu dixit.

18. *iis furor* 22. *et furor* 25.

21. *ceventem te* 21. 22.

22. *Virillus* 13. *Varilus* 73. *Verillus* et *Barillus* al.

24. ante v. 23. legitur in 19. atque duobus codd. Paris. et plane excidit ex 17. 20. et quibusdam MSS. Paris. quoniam sequens versus idem principium habet quod millies factum docent Burman. ad Lucan. 9, 907. Dorvill. ad Charit. 6, 4. p. 552. Drak. ad Liv. 9, 11. et Schrader Obss. p. 7. — *Gracos* 22. *Graccos* 64. ut passim in numis, unde hanc scripturam probabat N. Heins. ad Sil. 4, 495. Adspiratio usu recepta. — *loquentes* pro *querentes* 15.

26. Post *Verri* inseritur *si* in 45. et tribus codd. Paris. *aut* in 13. 65. *atque* in 68. 70. Sed v. ad 1, 151.

27. *Claudius* 11. 13 a m. sec. 15. 21 a m. sec. 22. 45. non improb. Schurzfl. quia talia narret Sueton. Sed famosum notari *P. Clodium*, vix est quod dubitemus. *Clodii* autem ex eadem gente *Claudia* fuere. Prisci enim Romani *au* plerumque pronuntiarunt *o*; unde nomina illa nihil differunt et saepe permutantur. Conf. ad v. 36.

29. *tragico nuper* pro *nuper tragico* recepi ex 10. 16. 17. 19—22. 26. 74.

30. *revocaret* 16. *revocarat* 10. 11. 14. 15. 17. 19. 20. 22—25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. et XXIV codd. Paris unde recepit Ach.

31. *ipsi* 13 a m. sec. 63. *Marti Venerique* 16.

Quum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas.
Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, et castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Lauronia quemdam
Clamantem toties: ubi nunc lex Iulia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quae te

34. *victos* MS. Scriverii, qui inde coni. *victos Condemnant Scauros.*

36. *Larouia* 4. 5. 14—17. 20. 21. 22. 23 a m. pr. 27. 46—55. 58. 61—82. ut ap. Martial. 2, 32. et Gruter. Inscr. p. 646, 2. *Latonia* et *Latronia* quidam libri, nescio qui, si fides habenda Ascensio et Turnebo Advers. 15, 17. qui posterius probabat, quod etiam apud Martial. in libris mss. reperitur. *Lauronia* 2. 3. 5. 10. 11. 13. 19. 23 a m. sec. 24. 25. 26. 45. 56. 57. 59. 60. 65. duo codd. mss. viri docti in Misc. obss. crit. Vol. V. T. II. p. 269. et quidam libri in Martial. l. c. ubi v. Rader. Beckius in obss. philol. in Iuven. Sat. duas p. 15. " *Lauronia*, inquit, in *Laronia* facillime permutari potuit tribus quidem modis, quibus *au* in o, *u*, *ao* immutari potest. Sicut *caudex* in *codex*, *caulis* in *colis*, *saurex* in *sorex*, ita *Lauronia* in *Loronia* mutatum, ex quo *Laronia* procul dubio factum est. Pro *claudo* veteres dixere *cludo*, quod adhue legitur in codd., et ex compositis *occludo*, *concludo* patet; hinc *Luronia* quoque, pro quo propter similitudinem τοῦ *a* et *u* in literis minusculis lectum *Laronia*. *Laomedon* nunc est pro *Laumedon*, *Laodicea* pro *Laudicea*; ita forte *Laoronia* pro *Lauronia*, quod imperitus librarius eiecta litera *o* in *Laronia* contraxit. *Lauron* vero est urbs Hisp. Tarrac., ubi Pompeius a Caesare victus est caesus. *Lauronia* itaque civem huius urbis vel inde oriundam significat: nam poëtis solenne est, fictis personis a loco nativitatis nomen imponere, ut *Sybaris* ap. Horat. Od. 1, 8.„

37. *lex nunc* 15.

38. *Atque ita subridens* 14. 17. 19. 20. 21. 26. 70. 75. 76. 82. et XX codd. Paris. *Ad quem subridens* 10. 15. 23. 24. 25. 45—67. 69. 71—74. 77—80. et quidam MSS. Paris ut ap. Virg. Aen. 10, 742. quam lectionem revocavi, quia et doctior est, et optimorum librorum auctoritate firmatur: nisi forte ex Virg. l. l. margini adscripta et textui deinde illata videri possit. *ad quem ita subridens* 11. 16. 68. prob. Schurzfl. et omnino suspicari licet, ex hac lectione reliquas esse ortas. Sed nostram Beckius l. l. non male ita defendit: "Quum scriptum esset antiquitus *ad quem subridens*, superflua vox *ita* vel intelligenda tantum, vel nasutulo cuidam necessaria visa, postea ipsis poëtae verbis inserta fuit: deinde elidente eo, qui dictabat, syllabam *quem*, scribens audivit *atquita* et sic *atque ita* scripsit.„ *Ad quae subridens* 27. quod etiam legitur in quibusdam codd. Virg. l. l. ibique probatum est a N. Heinsio. *Adque* 22.

Moribus opponunt! Habeat iam Roma pudorem!
Tertius e coelo cecidit Cato. Sed tamen unde
Haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quae tibi? Ne pudeat dominum monstrare tabernae.
Quod si vexantur leges ac iura, citari
Ante omnes debet Scatinia. Respice primum
Et scrutare viros: faciunt hi plura; sed illos
Defendit numerus iunctaeque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplnm in nostro tam detestabile sexu.
Taedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit iuvenes, et morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus causas? civilia iura
Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucae; comedunt coliphia paucae.
Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui praegnantem stamine fusum
Penelope melius, levius torquetis Arachne;

39. *exponunt* 73. — *pudores* 47. 55.
42. *nec pudeat* 23. *non pudeat* 26.
43. *et iura* 23. 46. 48. 49.
44. *Scatinia* recepi e 10. 11. 13. 15. 17. 19. 20. 21 a m. sec. 22. 23. 25. 26. 27. 45. 40. 50. 52. 53. 56. 57. 59 — 62. 64 — 69. 71. 72. 73. 79. 80. probb. Christio in hist. legis Scatin., Hoffmanno in Comm. ad leg. Iul. de adult. 1, 26. Beckio l. l. ed al. *Scantinia* 1. 46. 47. 48. 51. 54. 55. 58. 63. 70. 74 — 78. 82. probb. Britan., Lubino, Grang. et Schurzfl.
45. *faciunt ii plura* 11. prob. Schurzfl.
49. *Tedia* 27. 60. 64. et plerique codd. Paris. unde recepit Ach. *Tedea* 16. *Toedia* 17. *Teclia* 21. *Media* 75. 76. — *Cluvam* 23 a m. pr. *Cliviam* 23 a m. sec.
50. *Hippo* 1. 56. 70. 74. 81. 82. Sed *Hispo* restitui ex 10. 11. 15. 16. 17. 19. 20. 21 a m. sec. 22. 23. 24. 26. 27. 45 — 55. 58. 61 — 69. 71. 72. 73. 77 — 80. Hoc nomen memoratur Tac. Ann. 1, 74. Gruter. Inscript. 597, 1. forte et Cic. ad Div. 14. 1. Conf. Comm. *Ispo* 14. 25. 57. 59. *Hyspo* 21 a m. pr. *Ipso* 60. 65. 75. 76. — *subdit* 47.
52. *fora nostra* 23.
53. Post hunc versum alius legitur in cod. Mazarin. bibl. reg. Paris. *Spicum illustre tenens splendenti pectore virgo.*
54. *trahitis lanam* 21. 22. 68.
56. 57. transpositi in 21. *melius*, *melius* 46. 48. 49. 61. 62. 63. 65 — 69. 71 — 74. *melius meliusque* 19.

Horrida quale facit residens in côdice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellae.
Dives erit, magno quae dormit tertia lecto.
Tu nube atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post haec tristis sententia fertur:
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
 Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidae: quid enim falsi Lauronia? Sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? Est moecha Labulla:
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Iulius ardet;
Aestuo. Nudus agas! minus est insania turpis.

57. *cortice* 2. 3. 5. 6. 7. *corthice* 16.

58. *soli* 19. 20. 22. 23 a m. sec. 26. 45. 50. 59. 64. 68. 74. — *Hyster* 21 a m. pr. 23. 24. 45. *Ister* 22.

60. *Dives eris, magno quae dormis tertia lectio* 1. Non male!

62. Post *fertur* colon ponunt Bahrdt, Farnab. et alii, ut sensus sit: postremo, vel si porro ita fiet, de nobis valebit, quod vulgo proverbii loco dicitur, *dat veniam corvis* cet.

64. *trepidae* — *Stoicides* forte 1. — *loquentem* quidam pro *canentem*. Sed v. Comm.

65. *Lauronia* al. v. ad. v. 36.

66. *faciant* 14. 17 a m. pr. 45. *faciunt* 47. 58. — *multitia* 21. 60. 64. ut 21. 27. inf. v. 76. et 19. 59. inf. 11. 186.

67. *Critice* 10 a m. pr. et inf. v. 78. in 10. 23 a m. sec. et 67. Ita legendum putabant Calder. et alii; sed ab h. l. alienum est et metri legibus adversatur. — *peroras* 16. 22.

68. *Pollutas* pro *Pollitas* 7. 26. *Pollucis* 19. *Pollucas* 14. 45. *Polluces* 15. *Polluicas Pelliucas* 10. et XI. codd. Paris. unde recepit Ach. *Pelvicas* 24. *Pelluicas* 27. *Pulluitas* 16. *Polluicas* 21. *Pollineas* 25. 49—57. 59—74. 78. 79. 80. *Pellincas* 46. 47. 48. 58. *Pollenias* coni. Beck. (v. ad 1, 161.) quia nomen *Pollenius* obvium aliquoties in antt. marm. v. c. ap. Gruter Inscr. p. 816, 3. — *Fabulla* 1. 70. 75. 76. 77. 81. 82. quae lectio firmari videtur Martial. 1, 65. 12, 95. *Labulla* 10. 11. 14—17. 19—27. 45—69. 71—74. 78. 79. 80. et XXXV codd. Paris. unde restitui praeeunte Ach.

69. *Carphinia* 10. 21. 22. 45. 46. 49. 54—57. 60. 62. 66—69. 71—74. *Corphinia* 47. 50. 58. 61. *Corvinia* 25. *Calphinia* 27. *Calphurnia* 24.

71. *infamia* 24. 26. 81. et quidam codd. Paris. prob. Grang.

En habitum, quo tê leges ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore iudicis ista
Si videas? quaero, an deceat multicia testem?
Acer et indomitus libertatisque magister,
Cretice, perluces. Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit et porrigine porci,
Vvaque conspecta livorem ducit ab uva.
  Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente venit turpissimus. Accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, et toto posuere monilia collo,
Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae,

72. *me* suspicari possis pro *te.*

76. *deceat* 16. 26. 75. 76. — *multitia* alii. v. ad v. 66.

78. *Critice* quidam. v. ad v. 67. — *pelluces* 17 a m. sec. 19. 22—25. 27. 46. 47. 49. 50. 54—58. 60—69. 71—74. 77. *polluces* 45. — *talem* 19. 25 57.

80. *prorigine* 10. 11. 48. 49. 51. 55. 80. *prurigine* 13. 16. 17 a m. pr. 19. 27. 44—47. 54. 56—58. et XVI. circiter codd. Paris. prob. Turnebo. Beckius (v. ad 1, 161.) haec notavit: "Isidorus in cutis vitiis Etym. 4, 8. *Prurigo,* inquit, *vocata a perurendo et ardendo.* Hoc sensu rectissime usurpatur de suibus, quoniam ob prurientem cutem luto volutantur et quibusvis lapidibus ac truncis sese affricare gaudent. Celsus contra 6, 2. *porriginem* describit, ut sit, *ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt eaeque a cute resolvuntur; et interdum madent, multo saepius siccae sunt.* At enim vero si paulo post edocearis, *fere id in capillo fieri, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio;* qua ratione suibus capillos, barbam, supercilia, affingas? Vetus glossa *porrigo* vertit πιτυρίασις, πίτυρα τὰ ἐν τῇ κεφαλῇ. *Porrigo* autem et *prurigo* differunt tamquam genus et species, quorum haec totum corpus, illud caput tantum afficit."

81. *confecta* 14. *contacta* 48 a m. sec. et Sarisber. quod etiam malebat Marshall, ut commodior esset sensus et apertior. At v. Comm. *compacta* non nemo emend. teste Henninio.

82. *aliud* pro *aliquid* coni. Lubin.

83. *venit* vett. codd. Rigalt. et Pontani, quem vide ad Macrob. Sat. 3, 10. Hoc omnino doctius, quam ut librariis debeatur, et occurrit etiam 7, 29. unde nunc recepi. *fit* pro *venit* 19. 45. *fiat* alii, et *fuit* reliqui: quae omnia ex glossa videntur orta.

86. *bonam Cererem* 16. — *temere* 60. 65,

Et magno cratere Deam. Sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deae maribus patet. Ite profanae!
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt Orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Caerulea indutus scutulata aut galbana rasa,
Et per Iunonem domini iurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, quum iam tolli vexilla iuberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti

89. *profani* 71. 73.

92. *iussi* pro *soliti* 46. 48. *Baptae soliti* 20 — *Cotitto* 67. *Cotyto* 74. et cod. Mazarin. bibl. reg. Paris. *Cotyton* 1. 49. 56. 57. 59. *Cotytton* 50. 70. *Cociton* 14. 15. *Coccyton* 16. *Cocithon* 26. *Cochiton* 22. *Cocyton* 10. 11. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 27. 45 — 48. 51. 52. 54. 55. 58. 75. 76. et vel idem vel *Cocciton* et *Cochiton* XXXIV codd. Paris. habent probb. Calder. et Ach. ut designetur Proserpina vel Ceres, a *Cocyto* fluvio vel a κωκύω, *fleo*, *lugeo*, sic dicta, in cuius sacris Eleusiniis δᾳδοῦχοι, (forte h. l. *baptae*) *taedas* ferentes, saltaverint et Deam lascivis gestibus clamoribusque *lassaverint*. Sed prima syll. vocc. *Cocytus*, Κωκυτός, κωκύω, producitur.

93. *tactum* 2. 3. 5 17. 19. 20. 21 a m. pr. 26. 47. 58. 61. 62. 67. 70 — 79. 81. 82. *tinctum* 10. 11. 14. 15. 16. 21 a m. sec. 22 — 25. 27. 45. 46. 48 — 57. 59. 60. 64. 65. 66. 68. 69. 80. Sed illum exquisitius est, hoc glossam redolet. *tectum* 63. *factum* legebat Gonsal. ad Petron p. 271. et 366.

94. *tingitque* suspicari possis coll. Plin. 11, 37. s. 56. *Mulieribus tanta est decoris affectatio, ut tingantur quoque oculi.* Sed praestat vulgata lectio, quia modo praecessit *tactum*, h. e. tinctum.

oculos trementes et udos, ut ταχερόν τι καὶ ῥέον ἐν τοῖς ὄμμασι πάθος ἀνυγραίνων in Luciani Amor. c. 14.

97. *galbina* 1. 48. 70. 75. 76. 82. ut in optimis libris Martialis, Petron. c. 56. 64. et Vopisci, probb. Ferrar. R. V. 3, 22. Scalig. et aliis. *galbana* 10. 11. 14—17. 19 — 25. 27. 45. 46. 47. 49—69. 71—74 77 — 81. Recte, si color hic a galbano, resina ferulae Syriacae, dictus est.

Historia, speculum civilis sarcina belli!
Nimirum summi ducis est, occidere Galbam
Et curare cutem; summi constantia civis,
Bebriaci campo spolium affectare Palati,
Et pressum in faciem digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Moesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor aut reverentia mensae.
Hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi

105. Vulgo iunguntur verba *Et curare cutem summi constantia civis.* Mutandam esse distinctionem, bene monet Hein.

106. *Bebriaci campo* 14—17. 19—24. 26. 45. 52. 64. 70. 74—77. 82. *Bebriaci in campo* 10. 25. 27. 46—51. 53—63. 65—69. 71—73. 78—81.—*spolia* 21.—*aspectare* 22.

107. *Expressum* 19.—*in faciem* 14. 15. 25. 45. 46. 47. 49. 50. 56. 57. 58. 60—69. 71—74. *in facie* alii etiam Hennin. quod probat Hein. ut non iungantur verba *digitis in faciem pressum*, sed *in facie extendere panem pressum*.

108. *in Assyria ph. S. urbe* (Nino, capite imperii Assyriorum et sede regum, a Nino rege, Semiramidis marito, condita) coni. H. Vales. qui tamen praeferebat vulgatum *in Assyrio orbe*, h. e. in Assyria seu in imperio Assyrio.

111. *Hic turpis Cybele est et fracta* cet. 11. probb. Henninio et Beckio obss. phil. in Iuven. Sat. duas priores p. 33. Illius nota est: "Si quid video, omnino ita legendum, plano sensu: nimirum dolet, Romae tantas invaluisse in moribus corruptelas, ut etiam avide receperint *turpissimam* Deorum Matrem eiusque caerimonias, quae usque adeo omnem profligaverant verecundiam, ut vel in iis e Veterum memoria repetendis ipsum quodammodo prostituatur ingenium.„ Huius vero: "Ipsa orationis series videtur hanc lectionem postulare, quia plurima nomina in casu recto sese excipiunt, *libertas*, *senex*, *antistes sacrorum* cet. Sic et *Cybele*, potissimum quum et ipsa *turpis* esset et sacra illius detestanda. Origo autem depravationis duplex esse potuit. Vna debetur lectori vel dictanti, pro ratione metri, *hic turpis Cybelest*, quod dum librarius idiota vel oscitans, ut audivit, in album coniecit, in causa fuit, ut *est* (loquor cum Henninio) resolveretur in *s* et adiiceretur τῷ *Cybele*. Altera ex antiquitate critica desumitur et antiquo illo per compendia scribendi more, quando, quoties ultima litera vocis cuiusdam cum prima sequentis eadem erat, ambae in unam ceteris aliquantulum maiorem conflatae sunt: de quo v. Gasp. Scioppii art. crit. p. 61. ed. Amst. 1662.„ Meo qualicunque iudicio illa lectio ab h. l. prorsus aliena est: nam vox *Hic* non referenda ad Romam, sed, ut v. 110. ad consortium et conventus turpissimorum hominum, qui describuntur v. 81 seq. Vulgata autem lectio non est quod displiceat,

Libertas et crine senex phanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum conducendusque magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat iam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
  Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat aere.
Signatae tabulae: dictum Feliciter! Ingens
Coena sedet: gremio iacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum vel si bos ederet agnum?

modo epith. *turpis* cum *libertas*, non, ut vulgo fit, cum *Cybeles* iungatur.

fracta voce loqui; Gesnerus ad Lucian. de saltat. c. 17. "Verbum κλάω, ad vocem relatum, vim quandam sono naturali et voci adeo illatam notat. Ἀνακλᾷν ἑαυτὸν est sursum vi quadam agere vocem, ut altior, quam fert natura, vox exeat; κατακλᾷν contrarium est, nempe infra modum illum et sonum naturalem vocem deprimere. Vtraque ratio efficit κεκλασμένον, *fractum* aliquid, quia non pleno gutture vox funditur.„

112. Forte leg. *crine s. p. alto*, ut significetur capitis rotatio, in fanaticis his sacris solennis; de qua v. inf. ad VI, 316.

113. *et* pro *ac* 11. 24. 45.

115. *exspectent* 26. 60. — *quis* 15. quod praestiterit. — *erit* 26.

116. *cultris abscidere carnem* 11. 17. *abscindere* 15. 16. 19—22. 24. 45. 46. 48. 49. 61—69. 71. 72. 73. ut in simili loco Claudiani in Eutrop. 1, 279. 280. *Cymbala ferre licet pectusque illidere pinu, Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris*; propter quae verba Plathner h. l. malebat *Phrygiis — cultris*, h. e. testaceis et lapideis. Sed *abscindere* glossam redolet, et *abrumpere*, quod in plurimis libris legitur, aptius videri potest, si lapideis, non ferreis, cultris se castraverunt Galli.

117. *Quadraginta* 11. 14—17 a m. pr. 19. 23—25. 45—49. 55. 57. 58. 59. Conf. ad 1, 106.

118. *cantaverat* 2. 3. 5. 10. 15. 16. 17. 19—21. 26. 46. 48. 56. 61—63. 65—77. 81. 82. *cantaverit* 11. 14. 22—25. 27. 45. 47. 49. 50. 54. 53. 57—60. 64. 66. et duo codd. mss. viri docti in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 274.

119. *dictum est* 47. 48. 54. 55. *feliciter est* 58.

120. *ingens Coena, sedet: gremio* cet. distinguendum putabat Pithoeus. *ingens Coena: sed et gremio* emend. Lips. Epist. Quaest. 4, 23. At vulgata et distinctio et lectio exquisitior. — *marito* 26.

121. *auruspice* 21. *aruspice* 23. 24. 61. 62. 63. Sed *haruspex* in lapidd. legitur, dictusque non ab *ara*, sed *harruga* sive *haruiga*, hostia in *hara*, stabulo, includi solita, et *inspicienda*,

Segmenta et longos habitus et flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater Vrbis,
Vnde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Haec tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir:
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? Vade ergo, et cede severi
Iugeribus campi, quem negligis! Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quae causa officii? Quid quaeris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere; fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus haeret,
Quod nequeunt parere et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora iuris
Natura indulget. Steriles morientur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,

si fides habenda Festo et Donato ad Terent. Phorm. 4, 4, 28.

124. *flammea* 14—17. 19. 21. 22. 24. 58. 61—64. 67—73. *flamea* XXXIII codd. et edd. antt. unde recepi eum Ach. Conf. Comm.

126. *et pater Vrbis* MS. Cantabrig. unde Wakefield ad Lucret. 3, 1104. non male emend. *En! pater Vrbis* cet.

130. *nec tempora cuspide pulsas* in quodam cod. ms. legit Lipsius, nec improbavit in Epist. Qu. 2, 9. ubi monet, in more militari fuisse, hastis scuta galeamque concutiendi in ira. Hinc leviori mutatione Plathner coni. *nec parmam cuspide pulsas*. Non male! Sed nec vulgata lectio spernenda.

133. *in valle Quirina est* 11. Suspicari etiam possis *in colle Quirini*, ut ap. Horat. Epist. 2, 2, 68. aut *in colle Quirino* h. e. Quirinali, ut ap. Ovid. Met. 14. 836. Sed vulgaris lectio ex ingenio poëtae, non librariorum, profecta videtur.

134. *causa est officii* 22. *c. officii est* 21.

137. *obstat* pro *haeret* 14.

139. *Dii melius* 13.—*in corpore* 2. 3. 5. 10. 14—16. 25. 45—50. 55—61. 63. 66—69. 74. prob. Schurzfl. ut Graeco more dictum sit. *in corpora* 4. 6—9. 17. 19—24. 26. 27. 54. 62. 64. 65. 70—73. 75—77. 81. 82. et tres codd. mss. Nic. Heinsii, qui ad Ovid. Am. 1, 1, 5. hanc lect. recte defendit post Turneb. Advers. 15, 17.

140. *morientur* 10. 14. 15. 17. 19—21. 24. 26. 45. et omnes fere codd. Paris. unde nunc recepi cum Ach. pro vulg. *moriuntur*.

141. abest a 75. *condita pyxide*

Nec prodest agili palmas praebere Luperco.
Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior et Marcellis
Et Catulis Paullique minoribus et Fabiis et
Omnibus ad podium spectantibus. His licet ipsum
Admoveas, cuius tunc munere retia misit.
Esse aliquid Manes et subterranea regna
Et contum et Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit et ambo
Scipiadae, quid Fabricius manesque Camilli,
Quid Cremerae legio et Cannis consumta iuventus

Lyde 2. 4. 63. 67. 69. 70. 71. 73—77. 81. 82. prob. Turneb. l. l. *condita in pyxide Lyde* 10. 14. 21 a m. sec. 22—24. 49. 60. 65. et cod. viri docti in Misc. obss. crit. Vol. V. T. II. p. 271. *in pyxide condita Lyde* 15. 16. 47. 50. 54—59. 61. 62. 64—66. 68. 72. *nec pyxide c. L.*° 46. 48. *nec condita pyxide Lyde* 45. *in condita p. L.* 27.—Plathner laudat coniect. C. Barhmanni, pro *Lyde* substituentis *lite*, quod medicamenti nomen sit.

146. *Catuli* 75. 76. *Paulique minoribus* 22. 70. 75—77. 81. 82. ut iam emend. Lips. Epist. Qu. 4, 25. In reliquis libris *Paulisque minoribus*, prob. Berk. (v. ad 1, 161.) ut *minores* h. e. nepotes vel posteri (v. Comm. ad 1, 148.) h. l. etiam dicantur *Capitolini*, *Marcelli*, *Catuli* et *Fabii*, quorum gentes in posteris suis semper Romae floruerint.

148. *Admoneas* 46. 48. 50. 54. 60. 64. 73. prob. Calder. et Iunio, qui male haec interpretantur.—*nunc* 26. — *retia servat* 14. *retia pulsat* ex MS. emend. Schegkius ad Vellei. 1, 13.

149. *Esse aliquos* omnes libri praeter 11. v. Exc.

150. *pontum* et *cantum* alii. v. Exc.

151. *vana* pro *una* 16.

una cymba; Lucian. dial. mort. XII, 5. φησὶ γοῦν ὁ πορθμεὺς μὴ διαρκέσαι αὐτοῖς τότε τὸ σκάφος, ἀλλὰ σχεδίας διαπηξαμένους τοὺς πολλοὺς αὐτῶν διαπλεῦσαι.

152. *Haec* 24. *Nec credunt pueri, qui nondum aere lucrantur* 16. *Nec senes credunt, nec qui nondum aere lavantur* MS. Scriverii, teste ac prob. Crenio in Animadv. philol. P. XIII. p. 19.

153. *quod* 47. 50. 57. 60. 65.

154. *quod* 16. 47. 56. 57. 59. 60. 65. *et quid* 45.—*Fabritius* 21. 23. 24. 27. 57. 60. 64. 65. Sed in marmorr. *Fabricius*, et Graecis Φαβρίκιος dicitur. A *fabricando* nomen huic genti inditum putatur.

155. *Quod* 17. 19. 45. 60. 65.

Tot bellorum animae, quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit? Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum taedis et si foret humida laurus.
Illuc heu! miseri traducimur. Arma quidem ultra
Litora Iuvernae promovimus, et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quae nunc populi fiunt victoris in urbe,

158. *Sulphura* 26. 60. 65. et optimi codd. Paris. unde hanc scripturam vulgari *sulfura* substitui cum Ach. *sulpura* tres codd. Paris. et sic *sulpur* scribitur in Vatic. cod. Virg. ut *triumpus* et alia eiusmodi vocabula, quibus, convicio aurium flagitante, adspirationem datam esse docet Cic. Orat. c. 48.—*umida* 21. ut *umens*, *umectare*, *umerus* et al. in. antt. codd.

lustrari sulphure, taedis et *lauro*, ut ap. Lucian. Νεκυομ. c. 9. ὁ μάγος δᾷδα καιομένην ἔχων, et c. 7. περιήγνισέ με δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ καὶ ἄλλοις πλείοσιν (c. 9. ἱερεῖα καὶ μελίκρατα καὶ ἄλλα, ὅσα πρὸς τὴν τελετὴν χρήσιμα), ἅμα καὶ τὴν ἐπῳδὴν ἐκείνην ὑποτονθορύσας· εἶτα ὅλον με καταμαγεύσας καὶ περιελθὼν, ἵνα μὴ βλαπτοίμην ὑπὸ τῶν φαντασμάτων, nam taedae aliaque remedia magica ferebantur circa lustrandos, ut hi ab incursu malorum geniorum tuti praestarentur (quod ad sacrum ambarvale et amburbiale translatum videtur), unde περιέρχεσθαι, περιάγειν et περιενεγκεῖν in lustrationibus.

159. *Illic* (in inferis) 21. 22. 23 a m. pr. et MS. Scriverii, prob. H. Vales. Tum maxima distinctio ponenda post *traducimur* et verbum hoc eo sensu capiendum, de quo dixi ad VIII. 17. Sed v. Comm.—*Arma quid ultra—Britannos?* 2. 3. 5. 10. 11. 26. 45—47. 49. 50. 54. 56—58. 60—69. 71—74. et omnes fere codd. Paris. Id recepit Ach. mutata tamen distinctione et lectione; *Illuc heu! miseri traducimur. Arma quid ultra—Britannos; Si, quae nunc p. f. v. in urbe, Non faciunt illi quos vicimus?* Sed *illuc* verbis seqq. arctius iungendum est, et *Si* v. 162. in nullo legitur libro sive scripto sive edito.

160. *Littora* scribunt alii. De origine ac propria vi vocis v. Ernesti ad Suet. Tib. c. 40.—*Iuvernae* revocavi e 2. 3. 5. 10. 14. 15. 17. 20. 21. 23—25. 27. 45—51. 54—69. 71—74. 78—81. Ita scriptum ap. Mel. 3, 6. et Ptolem. in cod. Palat. Ἰουερνία; nam in vulgatis libris legitur Ἰουερνία, ut ap. Agathem. 2, 8. *Ibernae* 1. 16. 26. 70. 75. 76. 77. 82. probb. Schurzfl. et Beck. qui hoc nomen, addito duplici digammate (*FIFEPNH*), effictum putant ex Gr. Ἰέρνη, quo Hiberniae nomine utuntur Aristot. de mundo, Strabo lib. II. et IV. Claudian. cons. Hon. 4, 33. et laud. Stilic. 2, 252. *Invernae* 53. *Vibernae* 52. *Hyverne* 22. in marg. *Hiberniae* 19. *Laverne* 22.

161. *Archadas* 45. *Orchadas* 10. 17. 19—24. 49. 60. 65. Sed in optimis exemplarr. scriptorum Rom. *Orcades* et Graec. Ὀρκάδες dicuntur.—*et* pro *ac* 10. 20.

Non faciunt illi, quos vicimus. Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno.
Adspice, quid faciant commercia! venerat obses.
Hic fiunt homines: nam si mora longior Vrbem
Indulsit pueris, non umquam deerit amator;
Mittentur bracae, cultelli, frena, flagellum.
Sic praetextatos referunt Artaxata mores.

163. *ipsi* 45.—*vincimus* 21 a m. pr. Post *vicimus* maiorem posui distinctionem. *Attamen* 16.

164. *Zalaces* 17. 21. 24. 52. 70. 75. 76. 81. *Zelates* 23 a m. sec. 26. 49. 55. 60. *Zelaces* 14. 19. 23 a m. pr. *Celates* 10 *Zalaches* 22. *Galaces* 45. *Talaces* 10. *Ielaces* 20. *Galathes* 15. *Galates* 16. *Zelotes* 54. prob. Sabino, qui hos Armeniae populos esse monet. Sed *Zalates* h. l. est potius nomen propr. obsidis.

166. *venerat hospes* 26.

167. *Sic* 4. et ita emend. C. Vales. cuius nota est: *sic fiunt homines*, id est, quamquam non Latine, *sic viri fiunt*, et hoc satirice, quum contrarium velit intelligi, *sic pueri effeminantur*, ut X. 304. 305.

168. *nonnumquam* 10. 49. 63. *numquam* 17. 24. Sed verbum *deerit* in duas syllabas contrahendum, ut ap. Virg. Aen. 7, 262. Ge. 2. 200. 233. al.

169. *bracae* 23. 24. 45. 46. 48. 49. 56. 59. 61—63. 68. 69. 71. Gr. ἡ βράχα et τὸ βράχος ap. Diodor. 2, 30. Strab. et al. *braccae* alii, eaque scriptura usitatior. *brachae* 17. *bracchae* 27. 60. 65. — *clitellae* coni. Schrader.

170. *Si* 4. *Hic* 61. *Hinc* suspicari possis, h. e. Roma, et *referent*. Sed vulgata quoque lectio bene se habet.

SATIRA III.

ARGVMENTVM.

Vmbricius haruspex, quem Cumas migraturum Iuvenalis ad Egeriae usque lucum comitatur (v. 1—20.), veteri amico ibi discessus sui causas exponit, nimirum Romae 1) probos homines contemtu laborare, neque ad honestas artes exercendas praemiis invitari, sed iis potius ad incitas redigi, malos contra et viles gratia atque auctoritate apud omnes, etiam Principes, valere et pravis sordidisque artibus ad summum obrepere honores maximasque opes nancisci (21—40.); 2) spectatissimos esse et felicissimos artis dissimulandi adulandique gnaros, Astrologos, filios, quibus mors parentum sit in optatis, et adulterii, furti, aliorumque scelerum conscios (41—57.); 3) gratiosissimos omnium minimeque ferendos esse peregrinos, qui e Syria aliisque Orientis regionibus Romam confluxerint ac prorsus corruperint mores huius urbis, maxime Graecos, homines molles, libidinosos, adulationis omniumque artium peritissimos, qui in divitum se insinuent familiaritatem, et quorum ne philosophi quidem dubitent, falsis testimoniis alios ipsosque amicos ac discipulos circumvenire (58—125.) 4) miserrimam esse conditionem pauperis clientis, cui a ditioribus magistratibusque summis praeripiatur sportula, qua vitam sustentaverit (126—130.); 5) servos ac libertinos ditiores esse ingenuis et honoratiores (131—136.); 6) ne homini quidem probissimo religiosissimoque fidem haberi, nisi idem sit locuples (137—146); 7) inopes atque tenues male vestitos omnibus ludibrio esse, loco ac sede honoratiori, quam olim occupaverint, a vilissimo quoque, modo dives ille sit, pelli, si filiam alicuius nuptiis ambiant, repudiari, non scribi heredes, a negotiis publicis removeri, neque facile ex egestate atque humili conditione emergere propter insana omnium rerum pretia (147—170.); 8) ambitiosam esse paupertatem, neque pro re ac facultatibus pretiosiores sumi vestes, quum in plerisque contra Italiae oppidis, etsi Romanis ibi legibus moribusque vivatur, nemo ne togam quidem, nedum praetextam, induat, et festis quoque diebus ac publice omnes, summi pariter et infimi, nobiles et ignobiles, eodem habitu conspiciantur (171—183); 9) ab egenis clientibus non patronis tantum, sed servis quoque, ne aditu ad dominos eorum prohibeantur, quovis die festo aliquid muneri esse dandum (183—189.); 10) neque interdiu vitam periculo vacuam esse, neque noctu somnum capi propter assiduam aedificiorum prolapsionem frequentiaque incendia, et aedibus ardentibus pauperem, qui in summo habitet coenaculo, non curari, bonisque, etsi paucis, tamen omnibus amissis, a nemine iuvari, ditioribus contra praesto esse qui subveniant (190—222.); 11) tenebrosas aedes tanti in unum conduci annum, quanti in aliis Italiae oppidis ematur domus cum agro hortoque (223—231.); 12) plurimos pauperes mori morbo ex vigiliis contracto, quum in ea aedium parte habitent, quae vicis proxima sit, et ubi continuo curruum, opificum iumentorumque strepitu somnus eorum interrumpatur (232—238.); 13) divites lectica per urbem ferri et tutos in ea etiam legere ac dormire, inopes vero euntes vel a turba populi in vicis premi, concuti et conculcari, vel adeo casu ar-

borum saxorumve, plaustris impositorum, obtritos perire (259—267.); 14) *noctu summum esse periculum vel a testis fractis et ex alto coenaculo deiectis* (268—277.), *vel a iuventute lasciva ac temulenta quae nocturno tempore per urbem vagari atque invalidum quemque obviorum corripere, caedere, vel ultro quoque, tanquam iniuria sibi facta sit, accusare soleat* (278—301.); 15) *tantam esse multitudinem grassatorum latronumque, quae ex multis Italiae locis Romam, tanquam ferae et aves ad vivaria, confluxerint, ut vix suppetant catenae ac vincula ad eos, qui capti sint, constringendos* (302—314.). *Hisce discessus causis memoratis Vmbricius poëtam valere iubet* 315—322.

Venustissima Satira, qua Iuvenalis, imaginem Romae civiumque eius vivis coloribus picturus, inducit Vmbricium, amicum suum, propter pravitatem morum, Romae vigentium, et varia, civibus ibi imminentia, pericula Cumas migrantem et de iis copiose disserentem.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllae.
Ianua Baiarum est, et gratum litus amoeni
Secessus. Ego vel Prochytam praepono Suburae.

2. *sedem ponere Cumis* 24.

3. *Destinat* 26. quod arridere potest.

5. *Prochyten* forte scribendum. *Prochitam* 17. 19. 22. 26. ut plerumque *i* pro *y* in MSS. *Prochyte* dicta ἀπὸ τοῦ προχύναι, vel, si Straboni V. p. 247. al. 389. et Plin. 3, 6. fides habenda, *quia profusa ab Aenaria erat.* h. e. terrae motu avulsa et in altum velut proiecta.—*Suburae* 17. 19—22 a m. sec. 24. 56. *57. 60. 65. 68. 69. 70. 74. 75. 76. *Suburrae* alii, etiam Hennin. qui tamen *Subura* edidit inf. 10, 156. et 11, 51. 141. De orthographia et origine vocis, quae et *Sucura* scribitur, unde dicta tribus *Suburana* (ita legitur in Inscr. v. c. Gruter. p. 104. n. 6. et p. 293. n. 3.) vel *Sucusana* et *Succusana*, v. Quintilian. 1, 7, 28. Varro L. L. 4, 8. *Sacrae*, inquit, *viae pars haec sola vulgo nota, quae est a foro eunti proximo clivo. Eidem regioni adtributa SVBVRA, quod sub muro terreo Carinarum. In ea est Argeorum sacellum sextum. SVBVRA Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe: cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus* murus *vocatur. Sed ego a pago potius* Sucusano *dictum puta* Sucusam. *Nunc scribitur litera B, non C. pagus Sucusanus, quod succurrit Carineis.* Festus v. *Subura: Verrius a pago Succusano* (vicino ei Vrbis regioni) *dictam ait, itaque appellatam et regionem Vrbis et tribum a stativo praesidio, quod solitum sit* succurrere *Esquiliis, infestantibus eam partem Vrbis Gabinis, indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C literam, non B scribatur.*

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula saevae
Vrbis, et Augusto recitantes mense poëtas?
Sed dum tota domus reda componitur una,
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam;
Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae:
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudaeis, quorum cophinus foenumque supellex
(Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, et eiectis mendicat silva Camenis):
In vallem Egeriae descendimus et speluncas
Dissimiles veris. Quanto praestantius esset

6. *et tam solum* 25. 46. 48. 49. 57. 59—61. 63—67.

10. *cum* pro *dum* 25—27. 46—48. 50. 51—59. 61—69. 71—74.—*reda* recte scriptum in quibusdam libris et scriptis et editis, ut in optimis aliorum scriptorum exemplaribus, unde illud pro vulg. *rheda* substitui. v. Comm.

12. *Hic, ubi nocturna Numa constertebat amica* (h. e. cum ea dormiebat) coni. Dorleans. Ego potius vulgatam nunc mutavi distinctionem: *Substitit ad veteres arcus m. Capenam; Hic, ubi n. N. c. amicae. Nunc sacri—supellex. Omnis enim—Camenis. In vallem* cet. Nam lucus hic, qui v. 12 seq. describitur, a *Capena* porta aliquantum aberat, et iungenda verba *Hic, ubi nocturnae—in vallem Egeriae descendimus. Hic* δεικτικῶς dictum et apte; (*hic, ubi*); nisi narratio forte nimis abrupta videri potest et legendum *Hinc* progressi Vmbricius et ego *in vallem Egeriae descendimus, ubi nocturnae* cet.

15. *solvere iussa est* 21. 22. 24. ex interpr.

16. *Camoenis* scribunt alii, nescio quare, quum origo vocis prorsus nos lateat et nostra scriptura maiori nitatur auctoritate vett. librorum, quibus tamen parum in his fidendum est, quia diphthongos non exprimunt.

17. *atque speluncas* 22. ut succurratur forte metro, quod ita potius laborat.

18. *Quanto praesentius esset Numen aquae* recte, puto, emend. N. Heins. ad Ovid. Met. 13, 757. et iam ante eum Grang. ad h. l. ubi monet antiquitatem sub Numa deos credidisse *praesentiores*, h. e. magis propitios, quum nihil natura passa fuisset ab arte. Vulgatam lect. eodem sensu cepit Britan. cuius nota est haec: " *quanto praestantius esset* i. e. excellentius et proinde praesentius, si in natura sua mansisset et non marmore incrustatum esset; ut ostendat, Deos rebus humanis non capi, sed bona sinceraque hominum voluntate gaudere; unde ait Seneca ad Lucil. *Cogita, Deos, quum propitii essent, fictiles fuisse.* " Ceterum deos propitios ac faventes poëtis dici *prae-*

Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!
Hic tunc Vmbricius, Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas,
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Quîs facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput domina venale sub hasta.

sentes, nota res est. Quamdiu enim speciem divinae naturae ad humanam accommodavit antiquitas, omnem fere vim eius ac potestatem a praesentia deorum pendere credidit.— *Quanto praestantius* (purius suaviusque) *isset Flumen aquae* emend. Wakef. ad Lucret. 1, 231.

19. *cluderet* ἀρχαϊκῶς 17. 19. 20. 22. 26. 27. 48. 54—56. 61. 63. 64. 70. 74. 75. 82.

21. *tum* 22.—*Vmbritius* 13. 21. 23. 27. 45—47. 49. 56. 61—64. 68. 69. Sed Ομβρίκιος dicitur Plut. in Galba.

24. *Deterit* 21 a m. pr.—*ergo* pro illuc 26.

26. *recta et prima* 22.

29. *patriae* 15.—*vivat* 13. 27. 47. 48. 54. 58. et quatuor codd. Paris.— *Arturius* forte rectius 10. 14—16. 19. 21. 26. 27. 45—48. 50. 54. 59—64. 68. 69. 71. 72. 73. *Artarius* 22. *Arctorius* 49. *Arcturius* 17. 20. 23. 24. 65. *Archturius* 13.—*ast hic* 14.

30. *Catuli* 21 a m. sec.—*nigra* MS. Scriverii.—*vertant* 14.

31. *Quîs* pro *Queis* scripsi.—*aedes* 26. et ita legendum, si Grammaticis fides habenda, qui docent, *aedem* constanter dici templum aedificiumve sacratum aut inauguratum, *aedes* vero domum privatam. Iis adstipulantur Gesner. in Thes. et Bentl. ad Horat. Epist. 2, 2, 90. (qui magno eruditionis apparatu hoc discrimen tuentur, quod etiam observavit poëta noster 7, 37. et 40.) nec non Ruhnken. ad Vellei. I, 11. et Hein. qui mouet, *aedem* h. l. etiam de templo accipi posse et in num. sing. proprie cellam dici, et quia deorum templa primum una tantum cella constiterint, huc translatam esse significationem. Illius tamen discriminis non semper rationem fuisse habitam, ne a scriptoribus quidem seculi Augustei, contendunt Iani et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 30, 4.

33. *dominis* suspicari possis. Sed doctior est vulgata lectio.

Quondam hi cornicines, et municipalis arenae
Perpetui comites, notaeque per oppida buccae
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi
Quem libet occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas; et cur non omnia? quum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna iocari.
Quid Romae faciam? Mentiri nescio: librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera numquam
Inspexi. Ferre ad nuptam, quae mittit adulter,
Quae mandat, norunt alii: me nemo ministro
Fur erit; atque ideo nulli comes exeo, tamquam
Mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.

34. *ii* pro *hi* 22. *hic* 64. idque coni. Britan. ut sensus sit: cornicines fuere et Romae et in municipiis. Male!

36. *vulgus* 1.2. in interstitio, 4. 17. 22. 48. 54. 55. 70. 75. 76. 82. et VII codd. Paris. iique optimi, Alex., Mazarin. a p. m., Thuan. I. II., Fauch., Colbert. et alii. Vetus scholion est: "ab his populus occiditur, quos ante populus iubebat occidi.„ Immo *vulgus* scil. gladiatorum, h. e. omnes gladiatores sine discrimine. Sed haec quoque ratio dura est; nec munerarius, sed populus, pollice verso occidit vel occidi iubet gladiatores. *vulgi* 2. 3. 5. 10. 11. 14. 15. 16. 19—21. 23—27. 45—47. 49. 50. 56—69. 71—74. 81. et XXX codd. Paris. Conf. Comm.

37. *Quem libet* 2. 3. 5. 10. 11. 14. —17. 19—21. 23. 24. 26. 27. 45—50. 54. 55. 57. 59—69. 71—74. 77. 81. *Quum* vel *Cum libet* 1. 25. 56. 58. 70. 75. 76. 82. *Quidlibet* 22.

39. 40. Lucianus in Nigrino c. 20. Ενεστι δὲ καὶ τῶν τῆς τύχης ἀγαθῶν καταφρονεῖν, ὁρῶντα, ὥσπερ ἐν σκηνῇ καὶ πολυπροσώπῳ δράματι, τὸν μὲν ἐξ οἰκέτου δεσπότην προϊόντα, τὸν δ' ἀντὶ πλουσίου πένητα, τὸν δὲ σατράπην ἐκ πένητος ἢ βασιλέα. Τοῦτο γάρ τοι καὶ τὸ δεινότατόν ἐστιν, ὅτι, καίτοι μαρτυρουμένης τῆς τύχης παίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα καὶ ὁμολογούσης μηδὲν αὐτῶν εἶναι βέβαιον, — ὅμως μεστοὶ περιῖασι πάντες οὐ γιγνομένων ἐλπίδων. Hoc παίγνιον τύχης passim memoratur.

44. *in viscera* 24. 45.

45. Alii *ferri*. — *misit* 19.

46. *mandant* 26. 74. — *norint* 48. 61 —63. 66—69. 71. 72. 73. forte rectius. — *magistro* 13.

47. *comes haereo* 26.

48. *exstincta* 48. *exstincta c. n. u. dextra* praestiterit. *existens corpus* legit Honorius Augustod. Praef. ad lib. IV. de philosophia mundi.

Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Vt somno careas, ponendaque praemia sumas
Tristis, et a magno semper timearis amico.
  Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem: quamvis quota portio faecis Achaei?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,

49. *semper* pro *fervens* 26.

50. *viciis* pro *animus* 22. ex glossa.

51. *conferat* 12.

52. *Qui te participem* 22.

53. *in tempore* 45.

56. *Vt careas somno* 22.—*horrendaque praemia* coni. Schrader.

57. *tenearis* 24. *metuaris* 11. *verearis* 21.

58. *Quae non—nostris?* 27. 46. 47. 48. 54. 58.

61. *Achaeae* 23. 21. 25. 45—50. 54. 57—69. 71—73. 77. *Achivae* 10. 11. 15. 16. 19. 20. 21. 26. *Achaei* 14. 17. 22. 55. 56. 70. 74—76. 82—84. et duo codd. Paris. quod recte probarunt Schrader et alii. Conf. Comm. *Quamvis quota portio faecis Achaeae Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes* interpungebat H. Vales. hoc sensu: quamvis Syri Antiochenses, qui parva Graecorum sunt portio, iam pridem Romam civibus et vitiis suis impleverint.

62. *Nam* 16.—*in Tiberim Syrus* 11. 20. 21. 26. 27. 45—48. 50. 54—60. 64. 65. et IX MSS. Paris. sed *Syrius* emend. Britan. ut metro consuleret. *Tyberim* multi, et *Tibrim* 21. *Thybrim* suspicarer, quae doctior vocis forma est, ex Gr. Θύμβρις et Θύβρις, si in epico poëta versarer aut lyrico.

62. seq. coll. XI, 169 seq. Lucianus in Nigrino c. 15. similia de Atheniensibus dicit: Οστις πλούτου ἐρᾷ καὶ χρυσῷ κεκήληται καὶ πορφύρᾳ, καὶ δυναστείᾳ μετρεῖ τὸ εὔδαιμον, ἄγευστος μὲν ἐλευθερίας, ἀπείρατος δὲ παῤῥησίας, ἀθέατος δὲ ἀληθείας, κολακείᾳ τὰ πάντα καὶ δουλείᾳ σύντροφος· ἢ ὅστις ἡδονῇ πᾶσαν τὴν ψυχὴν ἐπιτρέψας ταύτῃ μόνῃ λατρεύειν διέγνωκε, φίλος μὲν περιέργων τραπεζῶν, φίλος δὲ πότων καὶ ἀφροδισίων, ἀνάπλεως γοητείας καὶ ἀπάτης καὶ ψευδολογίας· ἢ ὅστις ἀκούων τέρπεται κρουμάτων τε καὶ τερετισμάτων καὶ διεφθορότων ᾀσμάτων, — τοῖς δὴ τοιούτοις πρέπειν τὴν ἐνταῦθα διατριβήν.

Et linguam et mores et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum iussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus et Isaeo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit.
Graeculus esuriens in coelum, iusseris, ibit.

63. *tubicine* 23.

67. *trechedipna* 1. 28. 69. 70. 74—77. 81. 82. *rechedipna* 14—17. 20. 49. 61—63. 66. 67. 71—73. et XXXIV codd. Paris. (quod mihi paene videtur incredibile) unde recepit Ach. cuius nota est: "Quid sibi velit illa vox *rechedipna* et unde veniat, me nescire ingenue fateor; sed ex vett. glossis colligere licet, eam significare vestimentum in gymnasiis usitatum et peregrinum. Ita ordo et sensus: sumit *rechedipna*, vestimenta palaestrica, et fert collo *niceteria*, signa infamis suae victoriae." *recedimna* 46. 48. *recidimna* 27. 47. 54. 55. 57. 58. prob. Calder. Alii alia, minus probabilia. *chirodita* male coni. Sabin. ex Gellio.

69. 70. in 22. ita coaluere: *Hic alta Sitione, ast hic Trallibus aut Alabandis.* Conf. ad 2, 24.

71. *Esquilias* optimi libri, ut et meliores Livii, Plinij, Ovidii, Cicer. et al. *Exquilias* 23—25. 45. 56. 57. 59. 60. 65. 72. rectius, si mons ita dictus est ab *excubiis*, quas Romulus, Tatio Sabinorum regi diffisus, ibi habuit. v. Ovid. Fast. 3, 245. ibique interp. *Aesquilias* 27. 46—50. 58. 61—64. 66—68. 71. 73.

75. *quemvis* vulgo una voce scribitur.—*tulit* 19.

76. *geometra* 21. 26. et quidam MSS. Paris. *geometer* 11. 13. 15. 16. 19. 20. 27. 31. b. 32. 45. 47. 54. 58. et XVI codd. Paris. Duae syll. priores voc. *geometres* (γεωμέτρης) per synaeresin s. συνίζησιν in unam contrahendae. Conf. ad Sil. 2, 353. 3, 16. 495. al.

78. *esuriens coelum si iusseris* 47. 55. e. *in coelum si iusseris* 45. 54.

Ad summam, non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax,
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Vsque adeo nihil est, quod nostra infantia coelum
Hausit Aventinum baca nutrita Sabina?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus aequat
Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Haec eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur. An melior, quum Thaida sustinet, aut quum

79. *nec Sarmata* 27. 46. 48. 49. 61—63. 68. 71—74. 77.

80. *pennas sumsit* 21. *pinnas* 8 a m. pr.—*Achivis* 8 a m. sec.

81. *concilia* coni. non nemo teste Plathnero. *convivia* malebat Schrader, et mox *Coenabit* pro *Signabit*. Sed quis sibi persuadeat, haec ita a librariis corrupta esse.

82. *Signavit* 14. 22 a m. pr. *Signa dabit* (h. e. imperabit modum bibendi, rex s. magister bibendi erit) coni. Plathner, quoniam h. l. de convivio agatur. Sed sermo quoque est de aliis rebus.—*recumbit* 14. 16. 26.

83. *cottana* 3. 23. a m. pr. 24. et quinque codd. Paris iique optimi, ut et legitur ap. Plin. 13, 5. s. 10. Athen. 3, 88. 9, 34. et Hesych. quos sequutus sum.

85. *Aventinum* pro vulg. *Aventini* recepi ex 10. 21. 22. 23 a m. pr. e MS. Cantabr. quem laudavit Wakef. ad Lucret. 2, 1038. et ex quibusdam codd. Paris.— *baca* pro *bacca* recepi ex 17. 21. 22. 63. 68. prob. N. Heins. ad Sil. 3, 596. 8, 134. 15, 535. quibus locis Drakenb. monet, utroque modo scribi posse, non deesse tamen, qui ita distinguant, ut *bacca* sit fructus arboris, *baca* vero gemma s. unio. Vtrumque in antiquiss. codd. mss. plerumque *baca* dicitur, ut *belva, anulus* et al. nam literae non geminari solebant a vett. Romanis. Conf. ad 4, 121. Origo tamen vocis ignota est.

90. 91. v. Excurs. ad h. l.

92. *illi* emend. Schrader. quod non necesse est: nam *gens* v. 86. est nomen collect., et cur numeri permutatio nos offendat? *sed illis Creditur, an melior cum Thaida sustinet* cet. in omnibus fere libris interpungitur. At v. Comm.

93. *hic melior* coni. Schrader.—*at quum* 47. 58. *an quum* 25. 45. 46. 49. 50. 54—57. 60. 64. 65. Non male.

Vxorem comoedus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles aut cum molli Demetrius Haemo.
Natio comoeda est. Rides? meliore cachinno
Concutitur: flet, si lacrumas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromiden: si dixeris, aestuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Praeterea sanctum nihil est et ab inguine tutum;
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse

94. *agat* 47. 58. Plathner et, quem is laudat, Aug. Buehnerus non intelligebat, cur Doris *nullo* palliolo culta dicátur, quum tamen Graecula notetur Graecisque propria fuerint pallia. Hinc ille pro *nullo* coni. *molli*, h. e. Coo; hic vero *pullo*, quod pulla vestis propria servis, et Doris sit ancillae nomen, quale servis a patria detur. Sed v. Comm.

Dorida, nympham marinam, significari arbitratur C. de Haugwitz.

95. *namque* pro *nempe* 46. 49.— *ipse* pro *ipsa* 16. 60. 65.

96. *vacua omnia planaque dicas* 45. 46.

98. *Nec tantum* 16. et ita coni. Schrader.—*ille* 61. Videtur potius legendum *illinc*. v. Comm.

99. *Hemo* 20. *Hoemo* 19. 45. 61—63. 66. 67. 70. 74. *Oemo* 49. 56. 57. 72. *Emo* 58. 60. 65.

100. *meliore cachinno* in MS. Cantabr. verissime atque longe elegantissime legi, et vulgatum *maiore cachinno* ex glossemate procul dubio ortum esse, monuit Wakef. ad Lucret. 1, 918. et 5, 706.

101. *aspexit* 45. 63—65. 68. 69. 74.

103. *endromeden* 22. Suspicabar olim *endromiden* pro vulg. *endromidem*, et nunc recepi cum Ach. qui hanc scripturam invenit in sex codd. Paris et quidem optimis, Alexandr., Pul., Mazarin. et aliis.

105. *aliena sumere vultum A facie* emend. Markland.

107. *recte* 24. 26. *bene minxit* 45. *lectum minxit* corrig. Ianus Parrhas. Epist. 36. et C. Vales. ex Horat. Sat. 1, 3, 90. Verum ibi de ebrio agitur.

108. *in verso* 45.—*aerea* 16.

110. *nec ipse* 22. 45.

Sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus atque inde timeri.
  Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus maioris abollae.
Stoicus occidit Baream, delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis vel Diphilus aut Erimarchus,
Qui gentis vitio numquam partitur amicum;
Solus habet. Nam quum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturae patriaeque veneno,
Limine submoveor: perierunt tempora longi

111. *adhuc laevis* 14. *adhuc levis* 17. *levis* 17. 27. 56. *laevis* al. Sed v. ad 2, 12.

112. *ast* pro *est* 49.—*aulam* 1. et edd. recentt. 10. 11. 13—17. 19—27. 45—50. 54—60. 62—69. 71—74. 77. XXXV codd. Paris. et antiquiss. MS. Memmii teste ac prob. C. Valesio; quod magnopere torsit interpretes. Britannicus exponebat: *aulam*, omnia, quae in domo sunt, *resupinat*, evolvit et evertit, scrutans secreta domus ac domini; C. Valesius: domum evertit, omnia susque deque vertit, pervertit, perturbat, ut ap. Accium in Antigona: *Quid agis? perturbas rem omnem ac resupinas, soror.* Curio *aulam* pro *olla* dictam putabat, quemadmodum *Aulularia* Plauti nomen acceperit ab Euclionis *aula*, h. e. olla argenti plena et defossa, ut sensus sit: ollam pecuniae plenam ac defossam evacuat et vertit. Nota Ach. est: "vel *aviam* servandum, vel, si *aulam* reposueris, quiddam obscoenius adhuc inesse sub his verbis fatearis necesse est: nam et de salacitate Graeculi quaestio est, et verbum *resupinat* satis indicat quid sit intelligendum.„

113. Hic versus Rigaltio collocandus videbatur post v. 115. Sed aptissimus, ni fallor, est loco, quem obtinet, et menti poëtae. *Esse volunt* malebat Schrader.

114. *Sed* 22. — *quando coepit* 46. 48. 49. 56. 57. 59. 60. 65.

118. *penna* 10. 11. 17. 19—29. 45—50. 54—69. 71—74. 77. Nil interest. Conf. ad 4, 149, et impr. 14, 76.

120. *Erimarchus* 23. et antiquiss. codd. Paris. unde illud recepi praeeunte Ach. *Erimachus* 21. *Erimacus* 17. *Erymanthus* 24. 74. *Erimanthus* 10. 15. 26. 27. 46—48. 55. 59—63. 66—69. 71—73. 77. *Erimantus* 19. 20. 22. 25. 50. 54. 56—58 64. 65. *Hermarcus*, *Hermarchus*, *Herimarchus*, *Herimantus*, *Helimachus* et *Climanthus*.

122. *nam tum* 26.—*stillabit* 14.

Servitii. Nusquam minor est iactura clientis.
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, quum Praetor lictorem impellat, et ire
Praecipitem iubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinae vel Catienae,
Vt semel atque iterum super illam palpitet: at tu,
Quum tibi vestiti facies scorti placet, haeres
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
Da testem Romae tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idaei: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:
Protenus ad censum; de moribus ultima fiet
Quaestio. Quot pascit servos? quot possidet agri
Iugera? quam multa magnaque paropside coenat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,

125. *nunquam* 14. 77.

127. *curret, currit, currat* al.

129. *dudum iubeat* 19. 20.

130. *Nec* quidam libri.—*Alpinam* 20.—*aut Modiam* 17. 19. 20. 46. 48. 49. 57. 61—63. 66—69. 71—74.

131. *claudet* 49. 58. *claudat* 45. *cludit* al.

134. *illa* 15.—*ac tu* 19.

135. *bene* pro *tibi* 22.

136. *Chionen* recepi pro *Chionem* ex 56. 60. 61. 65. 70. 74. *Chyonem* 24. *Clionem* 21. *Cionem* 22.—*cella* pro *sella* coni. Farnab. et Pignor. de serv. p. 137. 281. coll. inf. 6, 122. idque expressit Bahrdt. Sed *cellae* meretricum non *altae* esse, neque hac *deduci* inde solebant. *arcta sella* vel *cella*, quippe quae magis deceat scorta sordida ac famelica, emend. Chimentellus de honore bisellii c. 24. p. 122. At v. Comm.

139. *tepidam* 45. et ita corrig. Iac. Nic. Loensis Miscell. Epiphyll. 9, 2. languidum substituens verbum acuto ac satirico.

140. *Protenus* scripsi pro *Protinus*.

141. *Quot servos pascit* 11. 13.

142. *magna multaque* 24.—*parapside* vel *parabside* 2. 3. 5. 10. 11. 14—17. a m. pr. 21—23. 25. 33. 34. 47. 54. 55. 58. et XXXI codd. Paris. prob. Lubino, Turnebo et Schradero. *Parapsis quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus absidis*, Isidor. in Orig.

Tantum habet et fidei. Iures licet et Samothracum
Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur atque Deos, Dis ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam praebet causasque iocorum
Omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est, et rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
Pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor atque puellae
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
Quando in consilio est Aedilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romae durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres et frugi coenula magno.
Fictilibus coenare pudet, quod turpe negavit

144. *iuret* 15. 24. Ita legendum esse indubie, putabat H. Vales.

145. *flumina* 13. 24 a m. pr. 22. a m. pr.

147. *materiam* 24.—*causamque* 24. 22.

149. *si rupta* 26.—*calceus alter* vel *alte* coni. Schrader.

150. *patet: si consuto de vulnere* 24.

151. *Aut* 46. 48.

157. *plaudet* 15.—*intra* 19. 20.

158. *iuvenemque* 12. 17. 20. 23. 45.

159. *Sic placitum* 24.

160. *plaudit* 22.—*censum* 19.

162. *concilio* 22.

163. *tenues olim* 11.

165. *ipsis* 19. 20.

168. *Camillus* pro *negavit* 24 a m. pr. *negabit* emend. Grang., Ferrar. Elect. 2, 9. et Schrader, ut haec verba generaliter intelligantur. Sed

Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
Contentusque illic veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans;
Aequales habitus illic similesque videbis
Orchestram et populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicae summis Aedilibus albae.
Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est: hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? omnia Romae
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Vt te respiciat clauso Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus. Accipe, et istud

eam ob causam non sollicitanda lectio vulgata. v. Comm. *negabit* coni. H. Vales. Non male!

170. *Contentus* 15. *Contectusque* — *cucullo* malebat Schrader. Multum praestat emendatio H. Valesii *Contentusque illic Veneto duroque cullulo.* Hanc recepi; sed *veneto* reposui pro *Veneto*. v. Comm.

171. *est* non exstat in 15. et 23.

172. *sumsit* 13. *subiit* 22 a m. pr.

173. *aliquando* 15.

177. *similemque* 11. 15. 23—25. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et IX codd. Paris.

181. *aliena interdum* 10.

185. *recipiat* 26. *conspiciat* 19. — *cluso* 17.

Lucianus in Nigrino c. 21. Τὸ δὲ καινότατον, τοὺς ἐντυγχάνοντας ἀλλοτρίᾳ φωνῇ (voce aliena, nomenclatoris) προσαγορεύοντες, ἀγαπᾶν ἀξιοῦντες, ὅτι μόνον αὐτοὺς προσέβλεψαν.

186. *amanti* 11. Male. Sed forte reponendum *amatus*, ut sensus sit: si vel *ille* servus s. puèr *amatus*, domino dilectus, *barbam*, vel *hic crinem* ponit; *plena domus libis*, multa a clientibus munera mittuntur servis, ut scil. eorum et per illos dominorum gratiam sibi concilient. Vulgata lectio expeditu difficilior, maiorque h. l. vis inest, si plures servi eiusdem domus variisque occasionibus captandi sunt . . . s.

187. *libris* 9. (sed addita glossa *panibus*) 14. 17 a m. pr. 73. 81. et

Fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.
Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis aut
Simplicibus Gabiis aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui: nam sic labentibus obstat
Villicus, et veteris rimae quum texit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert
Vcalegon; tabulata tibi iam tertia fumant:
Tu nescis. Nam si gradibus trepidatur ab imis,
Vltimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.

X codd. Paris. *libis venalibus* (h. e. quae a servis veuduntur, peculium inde sibi comparaturis) 9—17. 19—27. 45—50. 54—74. 77. *libis genialibus* (ut 4, 66. et 10, 334.) 75. 76. 82. Non male! Sed illud servis aptius videtur, et communis fere omnium librorum lectio est, quam librariis deberi vix crediderim. — *illud* 10—17. 19—25. 27. 45—47. 49. 50. 54—58. 60. 61. 63. 65—67. 74. 81.

188. *praestant* 10. 12—14. 17. 19: 21—25. 27. 45—48. 50. 54. 55. 57—67. 72. 73. et codd. Paris. tantum non omnes; unde hoc recepit Ach. *praestantque* 23 a m. sec. et *praestant* 15.

192. *parvi Tiburis* 16.

193. *incolimus* 22.

195. *cum texit* ex 14. 17. ad marg. 20. 22. 27. 45. 49. nunc recepi pro vulg. *contexit*, quia sic et oratio et sententia fit concinnior. Ita legendum et ipse iam dudum suspicatus sum, et existimarunt H. Vales. aliique, etiam Hein. qui tamen aliis locis tali orationis forma non offenditur. Ex codd. Paris. nihil notatum esse ab Ach. mireris.

196. *Securus* 27. 47. 48. 57. 59. 60. 65. — *dormire iubet pendente ruina* 11. 14. 24.

197. *multa incendia, multi Nocte metus* non male emend. Schrader, ut de Roma sermo sit, ad quam verba et praecedd. et seqq. spectant. Refragatur Hein. qui haec adnotavit: „Vulgata multis nominibus praeferenda. Dicit Vmbricius, domicilium quaerendum esse, ubi nulla incendia metuenda, nulla pericula noctis. Iam adiiciendum erat: hic Romae talia semper metuenda; sed ea omittit poëta, qui brevitatem amat, et statim pergit: *Iam poscit aquam* etc., quasi cum maxime incendium videret. „

198. *aquas* 24.

202 *pluviis* 24.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron;
Iamque vetus Graecos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.
Si magna Asturii cecidit domus, horrida mater;
Pullati proceres; differt vadimonia Praetor;

205. *et recubans sub eo de marmore Chiron* emend. C. Vales. ut *sub eo* scil. cantharo dictum sit pro in eo aut in pede eius marmoreo, in quo Chiron iaceat sopitus vino, ut in altero ap. Plin. XXXIII, 12. satyrum in phiala gravatum somno collocavisse verius quam caelasse dictus sit Stratonicus. *echinus* pro *Chiron* coni. Manso, cuius nota est: " Pauperi Italo abacum marmoreum lubenter concedimus, non item marmoream statuam; inter vasa etiam, quae, coenae et coenantibus inservientia, supra mensam collocantur et infra, sive medios inter urceolos et cantharos marmorea Chironis effigies locum suum tueri vix potest; et semihomo Centaureus muneri officioque imposito parum convenit. Noster ante oculos habuit Horat. Sat. I, 6, 116 seq. *Echinus* autem fuit vas aliquod, sive figlinum, sive aenenm, ignobilius et a similitudine cum animali marino eiusdem nominis dictum.

207. *Opiti* 21. *Apici* auctor vet. Glossar. bilinguis, ab H. Stephano editi: *Apicus*, ὀππικιστής, ὡς Ιουβενάλιος. *Epici* (i. e. Homeri) coni. Is. Voss.

208. *Cordus* 8 a m. sec. et 49. — *neget* 11. Non male.

Nil habuit Codrus, ut ἔχειν οὐδὲν et οὐκ ἔχειν scil. χρήματα s. οὐσίαν, et Lat. *habere aliquid* et *nihil*.

209. *nil* 61—63. 68. 71—74.

210. *ac* pro *et* 10. 12. 23. 45. — *frustra* 10. 12. 17 a m. pr. 19. 20. 21 a m. pr. 22 a m. pr. 24. 44—47. 49. 64. 65. 68. 69. 74. et XXXIII codd. Paris. unde restituit Ach. Vetus scholion est: "*frustra*, sine causa; aut *frusta*, i. e. panem.„ Posterius unice verum, illud ab h. l. alienum est, certe languet: nam eum *frustra* rogare, quem nemo iuvat, per se intelligitur.

211. *iuvabat* 16. 19. 25. 27. 56. 57. 59. 66.

212. *Asturici* 2. 4. 75. 82. *Arturici* 21 a m. pr. 22 a m. sec. *Asturii* 15. 16. 23. 45. 55. 65. quod nunc recepi suadente Manso. *Asturi* 14. 17. 19. 20. *Astari* 74. *Arturii* 3. et ita coni. Farnab. coll. v. 29. *Arcturii* 5. 50. *Arturi* 26. 48. 56. 58—60. 64. 65. 70. *Arcturi* 25. 27. 28. 47. *Arthuri* 24. *Archturi* 13. *Acturi* 10. *Astyrii* 19. 54. 57. 61—63. 67—69. 71. 73. *Assyrii* 72. *Osturici* 22 a m. pr. *Ostorii*

Tunc gemimus casus Vrbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, et iam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas: hic nuda et candida signa;
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti;
Haec Asianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
Hic modium argenti. Meliora ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus, et merito iam
Suspectus, tamquam ipse suas incenderit aedes.
Si potes avelli Circensibus, optima Sorae,
Aut Fabrateriae domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.

suspicabatur Pulman. et noti sunt e Tacito P. Ostorius Scapula, M filius eius, et Ostorius Sabinus. Sed talia in ambiguo relinquenda.

214. *geminus* 15. 16. 45. 48. al. — *urbis casus* 46. 47. 50. — *ignes* 24.

215. *etiam* 14. — *iamque* pro *et iam* 22 a m. sec. — *currit* 45. *accurret* 16. *occurrit* 10. 12. 21—27. 46—50. 54. 55. 57—60. 63—69. et omnes codd. Paris. unde nunc revocavi cum Ach. *Occurrere*, ut φθάνειν et ἀπαντᾶν s. καταντᾶν τινὶ vel εἰς, ἐπί et πρός τι, significat venire, advenire et occurrere vel in tempore, vel subito et inexspectato. *accurrit* rel. codd. et edd. quod passim substituerunt librarii, vim verbi *occurrere* ignorantes. — *donat* 12. 45. — *domet* 47. 50.

218. *Haec Asianorum* 1. 8. 11. quorum magna est auctoritas. Ita significantur simulacra deorum aliaque templorum ornamenta, et quidem *vetera*, variis temporibus ex Asia Romam deportata. *Hic* suspicari possis pro *Haec*: sed utriusque sexus studium et opera designari videtur. *Fetasianorum* 17. *Phecasionorum* 23 a m. pr. *Fecasianorum* 8 a m. sec. 14—16. 19. 22. 45. *Faecasianorum* vetust. Voss. Leid. vet. Oxon. et Schol. ined. teste Burm. ad Anthol. lat. T. I. p. 603. *Phecasianorum* 10. 20. 23 a m. sec. 24. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. *Phaecasianorum* 81. prob. Heins. idque revocavit Ach. qui in omnibus codd. Paris. *phaecasianorum* vel *fecasianorum* exstare dicit. Hos putant esse deos Graecorum *phaecasiis* indutos; unde forsan *Phaecasiatorum* rectius scriberetur. Φαικάσιον rustici Atticique calceamenti genus, a quo et *Phaecasii* dicti sacerdotes Atheniensium et Alexandrinorum.

220. *modulum* (h. e. modum) *argenti* coni. Plathner coll. v. 310. — *reponet* 10. *reportat* malebat Schrader.

221. *ut* pro *et* coni. Lindenbrog.

222. *incenderet* 14—16. 19. 48.

224. *paretur* 12. 17. 21 a m. pr. 22.

227. *teneras plantas* 24.

Vive bidentis amans et culti villicus horti,
Vnde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid, quocumque loco quocumque recessu,
Vnius sese dominum fecisse lacertae.
Plurimus hic aeger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus et haerens
Ardenti stomacho: nam quae meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in Vrbe:
Inde caput morbi. Redarum transitus arcto
Vicorum in flexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives et ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget aut scribet vel dormiet intus;
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.

229. *epulas* 26. *cibum possis* 20. — *Pythagoraeis* vulgo scribunt. Sed Gr. Πυθαγόρειος dicitur.

231. v. Excurs.

232. *ipsis* pro *illum* 29. *ipsum* 10. 12—17. 19—24. 26. 45.

233. *Langorem* 22. 45—50. 60. 63. 64. — *adhaerens* 16.

234. *namque et meritoria* 15. *nam quem* (i. e. qualem) *meritoria somnum Admittunt* malebat H. Vales.

236. *Redarum.* v. ad v. 10. — *arto* 13 a m. sec. 21. 22. ut in optimis quibusque exemplaribus scriptorum Rom. Rectius tamen *arcto* scribi crediderim ab *arcere* h. e. continere, *coercere*, contrahere, concludere.

237. *Vicorum inflexu* quidam libri, prob. H. Vales. qui monet, *inflexum vicorum* esse Gall. *le détour d'une rue*

238. *Eriperent* 24 *Eripiant* 60. 65. Neutrum spernendum. *Eripiunt* 10. 14. 15. 23. 25. 27. 45—50. 54—59. 62. 64—69. 71—74. Ita et X codd. Paris., sed totidem et quidem optimi habent *eripient*, quidam *eripiunt*, alii *eriperent*. — *somnos urso* 45 a m. sec. 50. 64. v. Excurs. ad h. l.

241. *Aut abit aut leget* 16. *scribet aut leget* 21. *vel scribet* 27. 45—50. 54—59. 61. 62. 64. 66. — *aut dormiet* 17. 22. 24.

243. *veniat* 17. *venit et* 22.

244. *populus magno* 16. 20. *populi* 17.

245. *premit hic cubito* 22.

246. *et hic* 23. 24. 45. — *lignum capiti* 13. 17. 21. 22. 26. 29. 45. *capiti lignum* 20.

Pinguia crura luto; planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivae: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicae sartae: modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt; nutant altae populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
More animae. Domus interea secura patellas
Iam lavat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis
Striglibus, et pleno componit lintea gutto.

248. *mihi clavus* 45.

249. *iaculetur sportula* 15.

251. *turres* pro *tot res* 26.

252. *quot* pro *quas* recipiendum forte ex 50. 64. 73. 74. 77.

254. *sartae tunicae* 20.

255. *Sarrago* 26. 45. *Sartago* 24. *Saraco* 19. *Serraco* 2. 17. 21. 74. ut et ap. Sidon. ep. 4, 18. et inf. 5, 23. in plerisque membranis et edd., etiam Hennin. in qua tamen h. l. *Sarraco* exstat, quae scriptura firmatur auctoritate Serv. ad Virg. Aen. 1, 164. librorumque fere omnium (etiam Paris.) h. l. et ap. Vitruv. 10. 1. extr. Quintil. 8, 3, 21. Capitol. in Antonin. Philos. c. 13. et Non. 3. n. 35. Glossae: *sarracum*, ἅμαξα. Origo tamen vocis incerta. *Soracum* ubique scribendum putabant Grang. ad h. l. et Meurs. exercit. crit. P. II. c. 5. p. 117. 118. quibus favere videntur Festus et Hesychius. Ille monet, *soracum* dici, *quo ornamenta portentur scenicorum* cet., hic vero, Σώρακον, ἀγγεῖον, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται ἢ ξυλοκανθήλια. Sed *sarracum* vehiculi potius genus, et altera syll. voc. σώρακον brevis est, ut τοῦ *soracum* ap. Plaut. Pers. 3, 1, 64. — *Veiente* pro *veniente* legendum videbatur Autumno et aliis. — *at quae altera* 83. — *pinus* 24.

256. *micant* pro *nutant* 16. — *alte* 46. 49. 50. 60. 65. 81. Doctius *altae*, scil. *abies* et *pinus*.

258. *fundit* 16. 19. 22.

261. *Morte* 29. et MS. Cantabrig. quod longe exquisitius videbatur Wakef. ad Lucret 3, 1102. Sed vellem adiunxisset causam et interpretationem.

263. *Strigilibus* 2. 3. 5. 10. 14—17. 19—24. 54. 55. 74. 77. et multi

Haec inter pueros varie properantur: at ille
Iam sedet in ripa tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet, quem porrigat, ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit; quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadant; quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te praetereunte, fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Vt sint contentae patulas defundere pelves.

codd. Paris. Putant esse proceleusmaticum, et quatuor syllabas breves respondere duabus longis seu spondeo: nam prima syll. voc. *strigilis* corripitur, v. c. a Pers. 5, 126. Horat. Sat. 2, 7, 110. Plaut. Stich. 1, 3, 77. et al. *Striglibus et pleno* 21. 22. 49. (in qua tamen ed. *Strigibus* vitiose scriptum) 70. quod recepi, ut metro consulatur. *Strigilibus, pleno componit* 11. 25. 26. 27. 45—48. 50. 56—69. 71—73. 82. *Strigilibus, pleno et* ed. Biponl.

265. *novitius* 27. 60. 65. et sic voces tantum non omnes, in *itius* exeuntes, v. c. *tribunitius*, *aedilitius*, *adventitius*, *gentilitius* cet., scribi iubent Scaliger et alii, qui eas a *novitate*, *aedilitate*, *gentilitate*, *adventitare* deducunt. Sed nummi et lapides, maxime capitolini, in illis semper *icius* exhibent, quod probarunt Priscianus et Manutius; et ad pleraque huius modi vocabula, v. c. *latericius*, *ficticius*, *patricius*, *emissicius* cet. non transferenda est illa ratio.

267. *nec habet, quem porrigat, ore trientem*, ut ap. Lucian. Cataplus c. 18. οὐδὲ τὸν ὀβολὸν ἔχων τὰ πορθμία καταβαλεῖν. Servum ad Stygem venisse inhumatum et hinc trientem ori eius non potuisse inseri, monet ill. C. de Haugwitz. Sed conf. v. 259—261.

268. *Aspice* 15. — *mortis* pro *noctis* 22 a m. pr.

269. *spatium est tectis* 11. *tectis spatium* 23.

271. *cadant* 14. 16. 17. 23. 25. 46—48. 56—60. 65. et XII codd. Paris. unde nunc recepi et maiorem distinct. posui post *ferit*, suadente Manso, ut non duplex sed triplex innuatur *periculum*, quod noctu domo exeuntibus Romae instet. Vulgo legitur *cadunt*, et in aliquot MSS. Paris. *cadent*. — *perculsum* 17 a m. pr. — *pondere findant* coni. Schrader.

272. *posses* 23. *possisque* 25. 27. 46—50. 54—60. 64. 65. — *ignarus* 21. 26.

277. *diffundere* 2. 3. 10. 12. 14. 16.

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina laena
Vitari iubet et comitum longissimus ordo,
Multum praeterea flammarum et aënea lampas.
Me, quem luna solet deducere vel breve lumen
Candelae, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miserae cognosce prooemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra starique iubet; parere necesse est.
Nam quid agas, quum te furiosus cogat et idem
Fortior? Vnde venis? exclamat: cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum

19. 20. 24. 45. *effundere* 5. 11. 15. 23. 25. 27. 46—48. 50. 56—69. 71—73. 83. 84. prob. Schradero. *defundere* XII codd. Paris. iique optimi (in aliis *diffundere* et *effundere*); quod praestat.

278. *quia nullum* malebat Lubinus.

279. *noctem et patitur* 20.

281. Interrog. notam primus posuit Grang. At versus forte spurius est. v. Comm.

282. *improbus armis* 13.

283. *vino fervens* 24. — *lana* 21 a m. sec. 22. 45. *len.* al. Sed Gr. χλαῖνα dicitur.

285. *ac* pro *et* 17. *atque* 15. 25. 27. 46—48. 50. 54—69. 71—73. ut metro consulatur. Sed vox *aënea* est quadrisyllaba. Male *enea* 2. 5. et *ahenea* 49.

286. *et* pro *vel* 14. 15. 46—49. 54. 55. *aut* 17.

287. Πρὸς ἀμαυρόν τι καὶ μικρόστομον λυχνίδιον καὶ διψαλέον θρυαλλίδιον ἐπαγρυπνεῖν dixit Lucianus in Timone c. 14.

288. *cognoscit* 15. *cognoscere* 45. *cognosco* 16. *cognoscas* 21. 46—48. 58. *cognoscite* 23. *vim noscite* 23 a m. sec. — *praëmia* (eventum et effectum) 11 a m. sec. 14. 16. 17. 19. 20. 22 in marg. 23 a m. pr. 24. 26. 47. 48. 64. 66. 71—73. et multi codd. Paris. prob. Bahrdt. *praelia* 11. non improb. Schurzfl. ut Graeca sit positio. Sed neuter percepit mentem poëtae. *praemia* 60. 65.

Προοίμια praeludia hymnorum in sacris; ap. Athen. III. p. 100. prima fercula mensae imposita; in Luciani Somnio c. 3. δάκρυά μοι τὰ προοίμια τῆς τέχνης, lacrimae initium artis, doli

291. *cogit* 11.

293. *concha* 14. 15. 19. 23. 26. 45. 46. 61—63. 66. 67. *conca* 16. 17. 20. 22. *comca* 21. *cocche* 24.

Sutor et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? Aut dic, aut accipe calcem!
Ede, ubi consistas, in qua te quaero proseucha?
Dicere si tentes aliquid tacitusve recedas,
Tantumdem est; feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis haec est:
Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen haec tantum metuas: nam, qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutae custode tenentur
Et Pomtina palus et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes, tamquam ad vivaria, currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenae?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marrae et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Saecula, quae quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

295. *accipe calcem*, ἀτίμως λακτιζόμενος in Luciani Timone c. 17.

297. *seu* pro *si* coni. Schrader.

298. *pariter feriunt* 25. 27. 46—49. 51—60. 64—67.

299. *Iratos*, saltem *faciant* malebat Schrader.

300 *conscissus* 16. *contusus* 26. 48.

302. *hac* 10. 21. 25. 46. 48. 49. 56. 59—63. 65. 67. 73. 74. — *metuas tantum* 14. *metues* 26. — *spoliat* 16. 23. 26. 46. 47. 49. 54. 55. 57. 58.

307. *Promptina* 20. *Pontina* 10. 11. 14—16. 19. 21—25. 47. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et plurimi codd. Paris. *Pomptina* 17. 70. 75. 76. 81. 82. cod. Pul. et tres alii Paris. unde recepit Ach.

308. *homines* pro *omnes* 14.

310. 311. *Maximus in vinclis ferri modus est: timeas nunc, Vomer deficiat; ne marrae et sarcula desint* e MS. Cantabrig. reponendum putabat Wakef. ad Lucret. 3, 255. non dubitans, quin pulchra haec constructionis varietas scribis imposuerit.

311. *ac* 15. *ut* 16.

312. *pravorum atavos* (hominum nunc male viventium maiores) aliquot libri, nescio qui, teste ac prob. Bahrdt. Recte, opinor. — *dicis* 14.

His alias poteram et plures subnectere causas :
Sed iumenta vocant et sol inclinat : eundum est.
Nam mihi commota iam dudum mulio virga
Adnuit. Ergo vale nostri memor ; et, quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
Convelle a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas,
Adiutor gelidos veniam caligatus in agros.

316. *declinat* 21. *includit* 22.

317. *Iam* 19. 20. — *iam dudum commota* 22. *commotam* — *virgam* 11.

318. *Innuit* 20—22. 25. 45, 46. 48—50. 55—57. 59—69. 71—74. 77. 81. et quidam codd. Paris. sed plurimi habent *annuit*. — *vade* 17 a m. pr. — *mei* pro *nostri* 22.

319. *reddit* 14. 16. 25.

320. *Elvinam* 17. 19. 20. 21. 23—27. 45—48. 50. 55—58. 60—69. 71—73. *Elivam* 22. *Eleusinam* 7. Recte forsan, modo praepos. *ad* ante *Cererem* inseratur. — *veramque* 19.

321. *Convelle* 10. 11. 14—17. 19—25. 27. 45—50. 64—69. 71—74. 77. e quibus recepi pro vulg. *Converte*, ut maiore cum vi dicatur : me invitum quasi avelle a loco illo gratissimo.

322. *Auditor* 2. 21. 75—77. *Audax Hesperios* coni. Turneb. Advers. 27, 31. et *satirarum ni pudet, illuc Auditor veniam* Plathner.

SATIRA IV.

ARGVMENTVM

Iuvenalis iterum invehitur in Crispinum Aegyptium, qui e servo factus Eques Romanus libidinibus omnibusque vitiis se inquinabat et tanta diffluebat luxuria, ut nullum sex millibus HS. emisset. v. 1—27. Inde occasionem sumit, Calvi Neronis *h. e. Domitiani insectandi, et consilium Patrum super rhombo, portentosae magnitudinis pisce, coquendo habitum lepide multisque salibus admixtis describit.* 28—149. *Piscis enim ille prope villam Albanam in mari Hadriatico captus erat et metu delatorum a piscatore dono datus tyranno, qui, quaecumque pretiosa, etiam in mari, invenirentur, tamquam res fisci, sibi vindicabat.* 34—71. *Sed deerat patina satis magna, ut integrum caperet piscem. Hinc ad Imperatorem vocantur Patres foris stantes, qui, ne iusto longiore mora Caesaris iram provocent, propere trepideque accurrunt, et de re gravissima sententiam dicere iubentur, utrum scilicet piscis ille integer coquendus sit et apponendus, an in partes concisus.* 72—112. *Eorum disertissimi sunt Catullus Messallinus, caecus, et Fabricius Veiento, prudens adulator.* 113—118. *Ille omnium maxime magnitudinem rhombi, quem ne videt quidem, miratur et praedicat.* 119—122. *Hic, numine quasi afflatus, ex eo, quod bellua sit peregrina et spinae vel pinnae telorum instar in tergo horreant, felix omen belli cum rege aliquo gerendi clarique triumphi capit.* 123—129. *Quaestione deinde illa ab Imperatore proposita diuque disceptata, vincit tandem sententia Montani, hominis ventriosi gulaeque delicatae, qui integrum piscem coquendum patinamque magnitudine ei aequalem a figulis propere effingendam, hos vero in posterum comitatui Caesaris adiungendos censuerat.* 130—143. *Tum dimittitur Senatus, quem Imperator approperare iusserat, tamquam de re gravissima ad eum relaturus.* 144—149. *Quas nugas poëta dicit Principe quidem indignas esse et ridiculas, at magis tamen Domitiano condonandas fuisse, quam immanem crudelitatem, qua factum sit, ut, quum ignava nobilitate exstincta in infimam saevierit plebem, iustam morte pependerit poenam.* 150—154.

Maxima huius Satirae pars (*v.* 28—149.) *continet narrationem tot facetiis salibusque, a principio ad finem sparsis, conditam et tanta contextam arte, ut Iuvenalis in hoc satiricae poëseos genere ingenium Horatii, qui in eo princeps est, assequutus fere videatur. Quid facetius invocatione Musarum, tamquam in re gravi et honorifica, qua salutantur,* puellarum *appellatione?* (*v.* 34 *seq.*) *Quid festivius descriptione illa Patrum amicorumque Imperatoris, in primis* Pegasi, *villici Vrbis, non Praefecti, rapta abolla properantis* (75 *seq.*), Crispi, *senis ingenii mitis et dissimulatione tuti in aula tyranni* (81 *seq.*), Rubrii, *qui reus est offensae veteris atque tacendae et improbissimus* (104 *seq.*), ventris Montani, *abdomine tardi, cuius lepida vincit sententia* (*v.* 107 *et* 131 *seq.*), Crispini, *matutino sudantis amomo, quantum vix redolent duo funera* (108. 109.), Fusci, *marmorea meditantis proelia villa* (112.), Catulli *caeci, qui numquam visae flagrat amore puellae, et in laevam conversus maxime admiratur rhombum,*

dextra illi iacentem (113—122.), Veientonis, *qui divino quasi spiritu inflatus vaticinatur?* (123 seq.) *Quanta adumbrantur arte et quam acerbo sale perstringuntur insana luxuria et* Crispini (1—27. 108. 109.), *et* Domitiani, *omnes universi terrarum orbis delicias sibi vindicantis* (28 seq. 45 seq. 136 seq.), *delatorum improbitas* (47 seq. et 110.), *Imperatoris saevitia et nugae* (73—103. et 150 seq.), *servile ingenium et adulatio scita hominum tam infimo quam summo loco natorum?* (65—71. 75—94. 119—129.) — *Satiram hanc post Domitiani mortem scriptam esse, ex v.* 153. *et* 154. *intelligitur; sed quo anno, non liquet.*

Ecce iterum Crispinus; et est mihi saepe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, aeger solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Iugera quot vicina foro, quas emerit aedes?
Nemo malus felix; minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat

1. *adest* (quasi in scena) pro *et est* 2. 3. 5—7. 10.11. 15. 16. 19—22. 25—28. 56—60. 65. et permulti codd. Paris. *adest et est* 45. Nostra lectio est doctior.

2. *In partes* 14.—*nulla monstrum* 10. concinnius.

3. *aegrae solaque libidine fortes Deliciae, viduas* cet. 8.

4. *vetulae* forte leg. pro *viduae*, ut sententia h. l. sit: omnes sectatur mulieres, exceptis tantum vetulis.—*spernatur* 1. 8. 56—70. 75. 76. 82. nec non quidam codd. Paris. et in his Put. Vera forte lectio et mutata, quod non alius eo verbo usus est. Sed deponens esse potest, ab activo *spernere* deductum, et quot sunt ἅπαξ λεγόμενα?

8. *Hymenis corruptor* malebat Schegk. *mimae corruptor* suo periculo legi iubebat Scoppa Veris. 4, 10. Neutrum multis arridebit.

11. *tunc* 63. 67. 68. 71—74 *at tamen* 22.

12. *vindice* 26.

13. *Serioque* 9. 10. 14—17. 19—21. 45. 49. 54. 56. 57. 59—63. 65. 67—69. 71—73. et XXXIII codd. Paris. quod non temere reiiciendum

Crispinum. Quid agas, quum dira et foedior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Aequantem sane paribus sestertia libris,
Vt perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnae si misit amicae,
Quae vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretio squamae? Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros; sed maiores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Endoperatorem, quum tot sestertia, partem
Exiguam et modicae sumtam de margine coenae,
Purpureus magni ructarit scurra Palatî,

videbatur Pithoeo. Sed gens *Seia* notissima est, non *Seria*. *Seroque* 22. *Selioque* 55.

14. *fertor* 45.

14. 15. Haec ad larvas cuique affectui proprias refert C. de Haugw.

15. *Mulum* 45. 56. 59. 62. 68. 71—73. v. ad 5. 92.

16. *insane* (insano pretio) coni. Graevius, frigere putans *sane*, quod tamen longe venustius est, et h. l. iungendum verbo *aequare*, non *emere* aut *vendere*.

18. *in* pro *si* 14. 15. 17. 20. 22. et XXV codd. Paris. *si in* 21. *qui in* 45. *si munere tanto* rel. et X MSS. Paris.

21. *luso latis s. auro* emend. Schrader.

23. *Apitius* 21. 23. 60. 65. — *O tu* 22.

24—27. v. Excurs. ad h. l.

28. *nunc* 17. 22. 45. ut coni. Schrader. Non male! — *inglutisse* 10. — *putemus* pro *putamus* recepi ex 25. 46—48. 56. 59—61. 63. 65—67. 74.

29. *Endoperatorem* 11. 74. quod restitui h. l. et 10, 138. pro vulg. *Induperatorem*: nam veteres Romani *endo* (Gr. ἔνδον), non *indu* aut *inde* (quae librarii in medio aevo substituere), pro *in* dicebant. v. Festus voc. *endostruere*, *endoitio*, *endoplorato*, et *endo procinctu*, Gifan. Ind. Lucret. voc. *endo*.

31. *ructaret* 10—12. 14. 21—25. 27. 48. 54. 56—61. 63. 65. 67. 74. 77. et XXX fere codd. Paris. Pro *magni Palati* (h. e. aulae Caesareae vel Imperatoris) etiam *magni palati* (i. e. gutturis seu voracitatis immensae) non male legi posse, iam monuit Hennin.

Iam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fricta de merce siluros?
Incipe, Calliope, licet et considere: non est
Cantandum; res vera agitur. Narrate, puellae
Pierides: prosit mihi, vos dixisse puellas!
Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Vltimus, et calvo serviret Roma Neroni;
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi

32. *qui magna* 14. *et magna qui* 15. *voce siluros Vendere—solebat* 22.

33. *facta de merce* 9. 70. Reliqui, quos consului, codices, et scripti et editi, exhibent inepte *fracta de merce*, quod vetus Schol., Lubinus et Autumnus interpretantur fracto vase; Farnab. e fracto vase, vel ex aliena merce subreptos; Britan. quos minutatim vendebat more vilissimi cetarii; Grang. quos pretio vili aut nihilo sibi comparaverat a piscium mercatoribus, qui per viam aliquos casu aut alia ratione fregerant; Gronov. siluros chartaceo cucullo involutos, qui ruptus erat. In aliis MSS., nescio quibus, *paeta*, *furia*, *farta* et *fracta* legi monent viri docti: et Salmas. in Exerc. Plin. pro *faria* bene coni. *Pharia*, h. e. Aegyptia. Haec lectio aptissima et ex ea ortae videri possunt aberrationes *farta*, *facta*, *fracta*, *pacta*; neque languet, quia hic sensus iam inest voci *municipes*; nam talia saepe adiiciunt poëtae, ut obscura illustrentur: librarii vero *f* pro *ph*, inpr. in nominibus propriis, substituere solent. Henninius *pacta mercede* edidit ex emend. Graevii, ut *de* transpositum sit a librariis et Crispinus mercedulam sibi olim pepigerit pro opera aliis praestita in vendendis siluris. Marshall reposuit *paeta de merce*, idque eodem accepit sensu, qui tamen durius ita expressus est. *pacta cum merce* malebat Schrader. *fracta mercede* edidit Ach. et exposuit: mutilata adeoque minima, vilissimo pretio. Idem dicit, hanc lectionem revocatam esse e codd. Paris. fere omnibus. Sed quovis pignore contendere ausim, in omnibus illis, ut in nostris, saltem in longe plurimis *de merce* legi, non *mercede*. Vir doctus in Ephem. Hal. (Allgem. Lit. Zeit. a. 1814. pl. 223. p. 235.) malebat *facta mercéde* vel *parta de merce*. Sed Manso, una tantum litera vulgatae scripturae mutata, ingeniose legit *fricta de merce*, quae coniectura ceteris praestare videtur et a nobis nunc recepta est. v. Comm.

34. *libet* 20. 23. 24.—*hic* pro *et* 10. 11. 14—17. 19—25. 27. 45—50. 54—69. 71—73. 77.—*consistere* 11. 19. 24. 45. Non male, si iunxeris has lectiones: *libet hic consistere*, h. e. aliquamdiu subsistere, immorari placet in re tam memorabili et honorifica Imperatori, quae non leviter obiterque tractanda est. Sed exquisitior videtur nostra lectio. v. Comm.

35. *Parete, puellae* 22. in marg. Nimis imperiose!

37. *semianimem* 11. 15. 19. 21. 22. 24. Nil interest. Vox autem per *συνίζησιν* efferenda, ut *semiustus*, *semiambustus*, *abiete* et alia.

39. *Hadriaci* pro *Adriaci*, ut *Hiberia*, *Hannibal*, *Hamilcar*, *Hasdru-*

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor haeserat illis,
Quos operit glacies Maeotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet, quum plena et litora multo
Delatore forent? Dispersi protenus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem
Depastumque diu vivaria Caesaris; inde
Elapsum veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulcrumque est aequore toto,
Res fisci est, ubicumque natat. Donabitur ergo,
Ne pereat. Iam letifero cedente pruinis
Auctumno, iam quartanam sperantibus aegris,

bal al., propter auctoritatem aoliquorum codd. el nnmorum scribi iubent Drak. Broekhus. Cellar. Corte. Sed in tolidem fere libris adspiralio desideratur, et ubique io Graecorum scriptis. — *rombi*, *rumbi* el *rhumbi* al., ut el v. 68. 149. el 11, 121.

40. *Achon* 14. 27. 46—50. 60. 64. 65. 68. 71.

41. *sinum* 24.—*nec* 17.—*maior* 14. —*hic erat* pro *haeserat* coni. Schrader, vulgare verhum substituens poëlico cl exquisitiori.

43. *ostia Nili* 26. *hostia* al.

45. *Destinet* 14. 58.

47. *audebit* 10. — *haec litora* 21. 26. *ea litora* 59. 60. 65. 69. Vulgo post *auderet* signum interrog. pooitur et post *forent* colon aut semicolon.

48. *dispersi* (immo *dispersae*) *protenus alni* (h. e. navium naufragarum el dispersarum) *Inquisitores*, quales erant Palfurius et Armillatus, emend. Graevius. Praestitissel *alti* (maris) *inquisitores*, vel *alto* (in mari, per mare etiam dispersi) vel *aulae Inquisitores*, i. e: delatores Caesaris. Sed vulgata lectio aptissima.

53. *Palphurio* 56. 60. 65. 74. *Parfurio* 17. 19—22. *Parphutio* 11.—*vel creditur* 11.

54. *ex aequore* 10. 14. 27. 45. 57. 74. *in aequore* 15. *aequore toto est* 12. *ex aequore toto est* 19. 20. 21. 23—25. 46—50. 55. 58. 61. 63—69.

55. *natet* 26.

56. In omnibus, quas vidi, editt. posl *pereat* comma et post *aegris* punctum reperitur, quo prorsus turbatur vera h. l. sentenlia.

57. *Auctumno* scripsi pro *Autumno*, qnoniam haec vox formata esl ab

Stridebat deformis hyems praedamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Vtque lacus suberant, ubi, quamquam diruta, servat
Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Vt cessit, facili patuerunt cardine valvae.
Exclusi spectant admissa opsonia Patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, «Accipe, dixit,
Privatis maiora focis: genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in saecula rhombum.

augere vel *auctum*, ut *auctor* et *auctoritas*, ap. Dion. αὐκτώριτας. Accedunt lapides et inscriptt.

58. *hyems* rectius scribitur quam *hiems*, a Gr. ὕω, pluo; unde proprie est pluvia ac tristis tempestas.

59. *hinc* 49. 50. — *urgueat* reponendum videtur pro *urgeat*, quoniam illud in optimis libris nummisque reperitur, ut *tinguo*, *unguo* al. v. Pier. ad Virg. Aen. 5, 202. et Drak. ad Sil. 6, 265.

60. *lacus* 65. — *suberant* 1. 28. al. *suberat* 15. *subeunt* 17 a m. pr. *subeant* 14. 17 a m. sec. *superant* (h. e. transeunt scil. piscator et inquisitores) 2. 3. 5. 11. 68. 74. Sed v. Comm.

61. *ac* 27—47. 48. 50. 64.

63. *Excessit* 14. 29. *Et cessit* 10. 11. 15—17. 19—25. 45—50. 54—70. 74. et plerique codd. Paris. non improb. Ach. *At* aut *Sed cessit* emend. Schurzfl. Ego solam distinctionem mutavi. Piscatori *intranti parumper obstitit turba miratrix*; sed *ut cessit* ei haec turba, stupore remisso, facilis illi patuit aditus. — *faciles* 26. Parum interest. *fragili* 45. — Post *valvae* excidisse copulam *et*, suspicatur Iacobs. Eius vero ellipsin et asyndeta tum aliis scriptoribus, tum Iuvenali frequentissima esse, monet Hein.

64. *exspectant* 17. 20—23. 26. 27. 29. 45—50. 54—56. 59—61. 63—65. 74. et XXIV codd. Paris. prob. Prateo et Ach. Ille h. l. ita interpretatur: Patentibus valvis introducti, qui munera portabant, exclusis etiam senatoribus, qui Domitianum comitati fuerant quique interim foris stant et exspectant, quid inde fiat. Hic exponit: *Patres exclusi* i. e. prae foribus stantes et in vestibulo, *exspectant* dum opsonia. — *obsonia* scribunt et ediderunt multi. Sed est Gr. ὀψώνιον.

65. *Tunc* 21. 22. 27. 45—47. 49. 50. 60. 61. 63. 65.

67. *Ista* 22. — *lassare* 22. — *saginam* 1. 9 a m. pr. Vetus scholion est: « Alii *sagittis*, ut sit sensus acutis curis, ut exercitatione sagittarum. Digestioni, inquit, et harenis (forte leg. *sagittarum*, *digestionem invita*. *Alii SAGENIS*) quibus vectari illum debere dicit ob cibum futurum. Legitur et *saginis* i. e. escis futuris stomachi indigestum (leg. *stomachum digestioni*) praeparare. „

68. *tempora* pro *saecula* 11. ex interpr.

Ipse capi voluit: » quid apertius? et tamen illi
Surgebant cristae. Nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur Dis aequa potestas.
 Sed deerat pisci patinae mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miserae magnaeque sedebat
Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno,
Currite! iam sedit! rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo villicus Vrbi.
Anne aliud tunc Praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia. Venit et Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Saevitiam damnare et honestum afferre liceret
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso

69. *Ille* 19.— *rapi* 16.— *at tamen* 23.

72. *spatium* pro *mensura* 84 a m. pr.

73. *concilium* 14. 21 a m. sec. 46. 48. 56. 59. 60. 63. 65. 77. et quidam codd. Paris. Male, si verum est, *consilium* et *concilium* ita differre, ut hoc de coetu hominum, qui audiendi, illud de conventu (βουλῇ) eorum, qui deliberandi causa convenient, dicatur; quod monent Ernesti in clav. Cic., Gron. ad Liv. 44, 2. Iani ad Horat. Od. 3, 25. 6. Heyne ad Virg. Ge. 1, 25. et Aen. 6, 433. 9, 227. 10, 2. 11, 234. 304. 469. Crediderim tamen, voc. *concilium* (a *concieo*) de omni conventu adhiberi posse, neque ei inesse vim audiendi. — *oderat ipse* 21. Scrib. *Ipse* aut *Ille*.

75. *clamante tribuno* 24.

76. *sedet* 12. 14—17. a m. sec. 19. 22—24. 45. 49. *cedit* 60. — *et rapta* 22—23.

77. *urbis* 60. 65.

Ill. C. de Haugwitz existimat, Praefectos Vrbi tunc temporis fuisse homines infimae conditionis, Imperatorum servos et adulatores, qui *villicos* eorum Romae egerint et cives tractaverint in Vrbe, ut ruri antea servos.

78. *tum* 11. 17. 19. 26. Praestiterit *nunc*. Sed v. Comm. — *hic* ante *quorum* adiicitur in 20. 21. *atque hic* 19. 29. 59. 60. 65. 68.

84. *ac peste maligna* 22.

85. *Saevitiem* 16.— *ferre* 12. 14—17. 19. 20. 22—27. 45—49. 54—60. 64. 65.

86. *et si quid* 19.

87. *de nimbis aut aestibus aut plu-*

Vere loquuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur numquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre et vitam impendere vero.
Sic multas hyemes atque octogesima vidit
Solstitia: his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus eiusdem properabat Acilius aevi
Cum iuvene, indigno, quem mors tam saeva maneret
Et Domini gladiis tam festinata; sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus;
Vnde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.

vioso edidit Marshall, nescio qua auctoritate nixus.

91. *Verba animi* Iuvenalem dixisse vix crediderim, etsi non ignoro, in antiquissima rudiumque populorum lingua *cogitationes animi* vocari *verba*, et *loqui* vel *loqui in corde* (λέγειν ἐν ἑαυτῷ vel ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ in libris sacris V. et N. T.) esse id. qd. sentire, cogitare. Legendum forte *animo proferre*. Non satisfacit certe nota Hein. "*Verba animi* aliquis *profert*, qui dicit, quid sentiat, sine ulla simulatione.„ Desidero exempla dictionis.

93. Perperam minor distinctio post *armis* in omnibus editt. posita: nam iungenda verba *tutus his armis*, et in voce *illa* magna vis inest, quae augetur, si ei voc. *quoque* iunxeris. Possis etiam, puncto post *Solstitia* posito, verba *his quoque armis* (iisdem artibus) *tutus* cet. ad Acilium referre. Sed vulgaris interpunctio praeferenda videtur. *his annis* (in tam provecta et obnoxia aetate) emend. H. Vales. ne unum idemque bis *sic* et *his armis*, et *arma* insolenter pro *arte* dicantur.

95. *indigne* 16. *indignus* aliquando suspicabar. At v. Comm.

96. *gladiis domini* 21. — *iam destinata* 11. 12. 14—17. 19—27. 45—49. 54—63. 65—67. 71—74. et omnes (XXXV) codd. Paris. adversante metro. Hinc Lipsius Epist. Quaest. 4, 25. vel *tam festinata*, vel *iam designata* reponi iubebat. Alii editores hoc, alii illud recepere, ne laudato quidem emendationis auctore. *iam designata* 60. *iam festinata* 33 a m. sec. 50. 64. 68. *tam festinata* 28. 70. 75—77. 81. 82 Lectionem omnium codd. et editt. antt. revocavit Ach.

97. *Par est prodigio* 22.—*in* pro vulg. *cum* 7. 10. 11. 11—17. 19—25. 45—50. 54—63. 65—70. 74. et omnes codd. Paris. unde nunc illud restitui cum Ach.

98. *Vt non sit* 22.—*mallem* 16.— *gigantis* 3. 4. 5. 10. 12—14. 17. 19—24. 45. 47. 49. 54. 57. 58. 70. 75. 76. 82. et XXXII codd. Paris. *gigantum* 11—15. 16. 25. 46. 48. 50. 55. 56. 59—69. 71—74. 77. 81. et tres codd. Paris. Sed cur h. l. *fraterculus*, non *frater?* Sensus forte est, sed male expressus: malim pumilio esse, quam gigas, h. e. homo obscurus et ignobilis, quam nobilis. Crediderim potius, poëtam scripsisse: *ut nolim fraterculus esse gigantis*, h. e. amicus

Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim iam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensae veteris reus atque tacendae,
Et tamen improbior satiram scribente cinaedo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera; saevior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro,
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus proelia villa,
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui numquam visae flagrabat amore puellae, 114
Grande et conspicuum nostro quoque tempore mon-
Caecus adulator dirusque a ponte satelles, (strum!
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes

Caesaris, qui odit nobiles eorumque opibus inhiat. Ita et diminutivum est aptissimum, quoniam de *gigante*, Caesare, agitur, et sententia satirico ingenio consentanea eique convenienter expressa.

101. *Quis enim non intelligeret* 14.

102. *miretur* pro *miratur* revocavi ex 25. 46. 48. 49. 54—56. 59. 60. 62. 64—74. quoniam exquisitius est et praecessit, *intelligat*.

105. *Claudius* forte s. *Clodius* substituendus in locum *Rubrii*, et haec verba ex iis explicanda, quae Sueton. Domit. c. 1. de Clodio Pollione et poëmate Neronis *cinaedi* memoriae prodidit. Sed v. Comm.

109. *non* pro *vix* 22 a m. sec.

116. e *ponte* (ut XIV, 134. *aliquis de ponte*) malebat N. Heins. ad Ovid. Ibin. v. 420. Sed durissima est verborum *a* vel e *ponte* explicatio (v. Comm.) et de infimo Catulli genere nihil constat. Aptior prodit sententia, si emendaveris: *dignusque in ponte satelles* cet., *dignus*, qui ob caecitatem *in ponte* (v. ad XIV, 134.) tamquam *satelles* s. custos pontis, *dignus*, qui ad Aricinum clivum *mendicaret*. Enimvero praeferenda forte coniectura H. Valesii *dirusque ac sponte satelles*, h. e. mali Principis malus adulator, consiliarius et minister, non aliqua necessitate coactus, sed sola pravae naturae malignitate impulsus: ut ap. Plin. Ep. III, 7. *Laeserat* Silius *famam suam sub Nerone: credebatur sponte accusasse.*

117. *Aricinas—ad arces* (ad collem s. clivum Aricinum, de quo v. Com.

Blandaque devexae iactaret basia redae.
Nemo magis rhombum stupuit; nam plurima dixit
In laevam conversus; at illi dextra iacebat
Belua. Sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
Et pegma et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, sed, ut fanaticus, oestro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et, Ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est belua: cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quae tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinae subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate; sed ex hoc
Tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia. Noverat ille
Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
Iam medias aliamque famem, quum pulmo Falerno

ment. ad 3, 192.) quin corrigendum sit vix dubito. *Axem* certe poëtis dici collem editum, non mihi persuasere Plathner et Scalig. ad Prop. 4, 1, 125. ubi Passerat. ex vet. libro recte restituit *arcis*.

118. *redae* scripsi pro *rhedae*. v. ad 3, 10.

120. *laevam* 16. 24. 25. 27. 28. 45—50. 54—60. 61. 65. et quidam codd. Paris. unde recepi pro *laevum*.

121. *Belua* pro *bellua* 21—25. 27—45. 47. 56. 59. 60. 65. quam scripturam servavi, quia in antiquiss. membranis obvia est, etsi improb. Cellar. orthogr. lat. T. 1. p. 188. ed. Harles. — *pugnam* 45.—*iactabat* 21.

122. *Vt* 22.—*paegma* (πῆγμα) 62. 68. 71. 72.

125. *clari magnique* 16. 20.

127. *Excidit* XXV codd. Paris. et 12. 17. 20—22. 26 29. 33. cuius Schol. exponit ita: mortuus est et de regno expulsus; tamquam vaticinentur de re praesenti vel quasi iam facta — *Armiragus* 19. *Arguragus* 21 a m. sec.

131. *testa illa* 20. 21 a m. pr.

133. *patinae magnus* 11.

134. *cives* pro *citius* 22. *subitusque Prometheus Argillam atque rotam citius properare* ingeniosa est coniectura Ill. Com. C. A. Fr. de Ranzau.

135. *iam figuli, Caesar* 26.—*sequantur* 16.

Arderet. Nulli maior fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu;
Et semel adspecti litus dicebat echini.
Surgitur, et misso proceres exire iubentur
Consilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos et festinare coactos,
Tamquam de Cattis aliquid torvisque Sygambris
Dicturus, tamquam et diversis partibus orbis
Anxia praecipiti venisset epistola pinna.
  Atque utinam his potius nugis tota ille dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit Vrbi
Illustresque animas impune et vindice nullo!
Sed periit postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat. Hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

140. *Circeiis* 60. 65.

141. *Rutupinoque* 20. 25. 27. 46—48. 55—60. 64. 65. *Ruptupinoque* 17 a m. pr. 19. *Rutipinoque* 15.

142. *deprehendere* 17. 22. 24. 27. 64.

143. *simul* 17 a m. sec. — *dicebat litus* 14.

145. *Consilio* pro *Concilio* recepi ex 17. 20. 21 a m. pr. 23. 24. 27. 45. 47. 50. 57. 64. Cf. ad v. 73.

147. *Getis* pro *Cattis* 10. 12. 14—17. 19—22. 25. 27. 46—48. 56—63. 65. 67—69. et omnes (XXXV) codd. Paris. contra historiam et metri leges. *Geticis* 11—24. 26. 71—74. 77. *Gethis* 45. *Gathis* 49. *Gotis* 13. *Dacis* 68. *Giatis* Lubini vetus commeotator, qui etiam monet, *Giatas* esse Scotos — *tortisque* malebant Valla, Graog., Schegk. in Praemissis et Ramires ad Martial. de spect. 4, 9. *Crinibus in nodum tortis venere Sygambri*. Cf. inf. 13, 165. et Smetii aol. neom. p. 70. ubi XII Sygambrorum capita expressa vultu truci crinibusque in nodum tortis. Sed poëta Sygambros non simpl. *tortos* hoc sensu dixisset; vulgata quoque lectio multo aptior est h. l. et *anxietati* Imperatoris. — *Sycambris* 11. 17. 24. 60. 65. *Sigambris* 14 a m. pr. *Sicanbris* 21. *Sicumbris* reliqui. *Sygambris* edidi, quoniam haec scriptura auctoritate nititur tum aotiquiss. codd. Ovidii, Claudiaoi aliorumque, tum Graecorum auctorum: nam Dioni et Ptolemaeo constaoter dicuntur Σύγαμβροι, Straboni IV. p. 194. et al. Σούγαμβροι, ut *Sugambri* Tac. Ann. 2, 26. 4, 47. 12, 39.

148. *de* pro *et* 15. *et* abest ab 10. 11. 14. 16. 21—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77.

149. *penna* 11. 14—17. 19. 20. 23—26. 45—50. 54—69. 71—74. et plerique codd. Paris.

150. *nugis potius* 15. 20. 21. 77. — *ille* pro *illa* restitui ex 7. 17. 20. 21 a m. sec. 22. 29. et noonullis codd. Paris. Importuna vox *illa*, quam nemini displicuisse mireris.

151. *clarae q. a. V. Illustres animas* 60. 65. *Illustres* quoque in 25. 27. 46—48. 56—59. 64. *Vindice nullo* malebat C. Vales. ut simul alludatur ad Vindicem, qui Neroois crudelitatem defectione repressit.

SATIRA V.

ARGVMENTVM

Conditio parasitorum tam misera est et libero homine indigna, ut honestius sit mendicare, quam inopem illorum vitam colere. v. 1—11. Divites enim patroni, qui pauperes nonnumquam clientes ad coenam vocant, amplissimum ita illis praemium officiorum persolvisse putant (12—23.); neque eadem iis, quae sibi, sed viliora vina (24—37.), pocula (38—50.), aquam (51. 52.), panem (67—79.), pisces et oleum (80—113.), aves et opsonia (114—124.), fungos (146—148.) et poma (149—155.) apponi, atque a vilioribus servis ministrari iubent (52—66.) Praeterea pauperibus non licet inter coenandum libere loqui, neque pocula iis a superbo hospite propinantur. 125—131. Is enim non meritorum ac virtutum, sed opum rationem habet, et eosdem clientes summa complecteretur comitate summoque honore, si fortuna repente locupletarentur nullamque liberorum stirpem haberent. 132—145. Divites vero non tam male atque ignominiose accipiunt pauperes, ut parcant sumtui, sed ut eos ludificentur. 156—160. Quicumque igitur, si vel libertinus fuerit, nedum ingenuus, inani honoris specie ac spe bene coenandi ductus talem contumeliam bis patitur, dignus est, qui longe maiori afficiatur. 161—173.

Satira pulcerrima, qua non modo divitum superba atque iniqua ingenuorum clientium tractandorum ratio notatur, sed etiam v. 1—11. et 161—173. horum stultitia humilisque animus, qui tantam ignominiam patienter ferant. Comparentur ei Plin. Epist. II, 6. Athen. VI, 5—18. (26—80. p. 234—262. ubi prolixe agit de parasitis et adulatoribus) Petron. Sat. c. 34. (ubi conf. intpp.) et in primis Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, *cuius egregii libelli titulum Wieland vertit:* von dem traurigen Loos der Gelehrten, die sich in vornehme und reiche Häuser vermiethen. — *Nota Achaintrii est, « Ideo clientelam instituerat Romulus, ut patricios et plebeios mutua officiorum ratione devinciret utque hos contemtu superiorum, illos inferiorum invidia eximeret. Patronus clienti opem aliaque necessaria, patrono cliens suffragium et auxilium vel ipsi vel amicis debebat. Hinc veneratio et obsequentia, illinc protectio et tutela iubebantur. Verum corruente re publica sensim evanuit huius institutionis benignitas. Clientes servi propemodum habiti sunt superbi et fastidiosi domini, nec iam amici, sed satellites facti. »*

Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens,
Vt bona summa putes, aliena vivere quadra;

1. *Sic* pro *si* v. 1. et 3. legendum censebat Lubinus, at interrogatio esset coniuncta cum exclamatione et indignatione, hoc modo: Siccine te nondum—pudet? itane vero in turpi tuo proposito perseveras? Sed ita versus 5. non bene cohaeret cum verbis praeced. Nec tamen censendus est in scirpo quaesisse nodum: quem recte interpretes, quod sciam,

Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:
Quamvis iurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo:
Nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars
Dimidia brevior? Tantine iniuria coenae?
Tam ieiuna fames, quum pol sit honestius, illic
Et tremere et sordes farris mordere canini?
  Primo fige loco, quod tu discumbere iussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiae magnae cibus. Imputat hunc rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto;
Vna simus, ait. Votorum summa! quid ultra
Quaeris? habetTrebius, propter quod rumpere somnum
Debeat et ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae.

nondum solverunt. v. Comm. — *est* omittunt 12. 15. 22. 25. 45. 59. et multi codd. Paris.

4. *aut* pro *nec* 16. — *Gabba* 1. 9. 11. Vetus scholion est: Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit.

10. v. Excurs. ad h. l.

12. *finge* 25. 27. 48. 57. 59. 60. 65. 68.

13. *solitam* 7. 21. 22. 28. 45. 68.

15. *raro* 11. 14. 15. 26. Vetus Schol. *ubi et hoc, quod vile est, imputat:* unde Schurzfl. suspicabatur, eum pro *rarum* legisse *macrum* vel simile quid.

16. licuit 27. 47. 50. — *accire* 25. 56. 57. 59. 60. 65.

17. *culcitra* 11. 15. 16. 19. 20. 21. a m. sec. 22. 25. 27. 45—50. 54—67. et XXV codd. Paris. *culcita* 2. 10. 14. 17. 21. a m. pr. 26. 68—77. et X MSS. Paris. recte, si fides habenda Festo, Nonio, Varroni, Manutio in orthogr. et Torrent. ad Suet. Tib. 54.

22. 23. desunt 13. et post v. 19. ponendi videbantur Schurzfl.

23. *serraca* 1. 10. 14. 17. 19—21. 23—26. 45—47. 49. 50. 54. 56. 57. 58. 64—67. 69. 70. 74—77. 82. *sarraca* 11. 15. 16. 22. 27. 48. 56. 59 —68. 68. 71—73. 84. v. sup. ad 3, 255.

Qualis coena tamen? Vinum, quod sucida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Iurgia proludunt; sed mox et pocula torques
Saucius et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.
Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco numquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de
Setinis, cuius patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testae;
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassi natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas et inaequales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum;
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,

24. *sucida* pro *succida* reposui ex 17. 19. Ita etiam *sucinum*, *sucus*, *sucosus*, *suculentus* in antt. codd. et glossis Philox. recte scribitur a *sugendo*. — *nolet* 57. *nollet* 11.15.16.19. 24. 25. 27. 28. 45—50. 54—56. 58 —60. 64. 65. et XV codd. Paris.

25. *te e conviva Corybanta videbis* emend. H. Vales.

26. *procedunt* 2. *praeludunt* 27.—*ut pocula portas* conj. Schrader, et v. 27. *at* pro *et*.

27. *detergis* 16. *detergens* 14.

30. *defusum* 23.

32. *Cordiaco* 19. *Cardiaco cyathum non porrecturus amico* in quodam exemplari, nescio quo, invenit Lubinus.

36. *biberent* 14. *solebant* (scil. bibere) 25. 27. 46—48. 57—60. 65. quod doctius videri potest et a poëta profectum; nisi glossa forte fuit *bibere solebant*, et pars eius in textum irrepsit.

37. *in natalibus* 15.

38. *Eliadum* 22. 24. 45. *Apiarum* 14.—*inaequales beryllos* 10. 12. 15. 17. 19—22. 27. 45—50. 55. 56. 59—61. 63. 65. 74. 77. omnesque codd. Paris. e quibus hanc lectionem revocavit Ach. qui verba sic iungit et exponit: *Virro tenet phialas, Heliadum crustas et inaequales beryllos*, h. e. ex Heliadum crustis et inaequalibus beryllis effictas. *inaequales beryllis* conj. H. Vales. coll. Virg. Aen. V. 267. *cymbia aspera signis.*

39. *Viro* 46. 48. ut et 27. 47. 49. inf. v. 43. *Virrho* 17. *Vyrro* 20. *Vero* 21. *Guirro* 22.

40. *Vel si quando* (scil. committitur) *datur custos a. i.* interpungebat H. Vales. *ibidem est* 22.

ibidem est et v. 41. *amicos* pro *acu-*

Qui numeret gemmas unguesque observet acutos.
Da veniam: praeclara illic laudatur iaspis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginae fronte solebat
Ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor ac iam
Quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gaetulus dabit aut nigri manus ossea Mauri
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosae veheris dum per monimenta Latinae.

tos cod. Thuan. teste ac prob. Boissonade ad Nicet. III, 332. p. 478.

41. *numerat—observat* 16. 22. 45.—*ungues* 14—17. 19—21. 23.—*acnos* 20. *aduncos* 49. 55—57. 59. 60. 65. *amicos* 4. 12. 14. 47 a m. pr. 23 a m. pr. et cod. Lugdun. teste ac prob. N. Heins. ad Ovid. A. A. 1, 585. et Trist. 1, 9, 65, ubi similiter Ovidio *amica* dici monet *pectora*, *limam*, *causam* et *ventum* A. A. 3, 737. ep. ex Ponto 2, 4, 17. Trist. 1, 8. 65. et Met. 13, 440.

42. *illic* (h. e. in poculo) revocavi ex 1. 7. 10. 11. 14—17. 19. 21. 22. 25—27. 45—50. 54. 55. 57—59. 63. 64. 77. et XXX codd. Paris. *illi claudatur* 61. 62, et duo MSS. Paris vitiose. *ibi* 20. *illi laudatur* 23. 24. 56. 60. 65—76. 81. 82. et III codd. Paris.

45. *Iarbae* recepi ex 17. 21. 24. 45. 81. *Yarbae* 19. 20. *Hyarbae* 27. 46—48. 50. 56. 59—65. 68. 71. 73. *Hiarbae* 1. 14—16. 22. 23. 25. 26. 49. 54. 55. 57. 58. 65—67. 69. 70. 72. 74—77. 82. Cf. ad Sil. 1, 417. et intpp. Virg. Aen. 4. 36, 196.

47. *vasorum* 10. 16. 26. 54. 71. 72. 73.—*et iam* 15. 77. *at iam* 23. *aut iam* 21.

49—52. Manso recte, opinor, monet, turbatum esse versuum sententiarumque ordinem et ita restituendum: *Non eadem vobis poni modo vina querebar. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior — pruinis; Vos aliam potatis aquam.*

51. *nobis* 26. 47. 54. 58.

52. *pocula furvus Gaetulus dabit* conj. Schrader, coll. Horat. Sat. 2, 8, 14. *procedit fuscus Hydaspes Caecuba vina ferens.*

54. *nolles* 19. 22. 27. *non vis* 14.

55. *monimenta* (a *monitum* dicta) scripsi pro *monumenta*. Cf. Schelleri praecepta styli T. I. p. 35. et Cellar. orthogr. Nugatur Serv. ad Virg. Aen. 12, 945. putans, *monumenta* esse memoriae, *monimenta* vero a mentis admonitione dicta.

Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod quum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
Respice, quum sities. Nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed aetas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidae gelidaeque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas et quod se stante recumbas.
Maxima quaeque domus servis est plena superbis.
  Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae,
Quae genuinum agitent, non admittentia morsum!
Sed tener et niveus mollique siligine factus
Servatur domino. Dextram cohibere memento.
Salva sit artocopi reverentia. Finge tamen te
Improbulum; superest illic, qui ponere cogat.
Vis tu consuetis, audax conviva, canistris
Impleri panisque tui novisse colorem?

57. *census Tulli* 24.

61. *servire* pro *miscere* 15.

63. *rogatus adest* 10. — *caldae* 50. 61. 63.

70. *Si tener — domino, dextram* cet. 11.

72. *artoptae* 1. 70. 75. 76. 82. *artocoptae* cod. Thuan. I. *artocopi* 10—12, 14—17. 20—27. 45—50. 54—69. 71—74. et XXXIV codd. Paris e quibus hanc lectionem revocavi cum Ach. ut designetur vel pistor, vel potius servus, qui panem secuerit. *arthecopi* 13. 19.

74. *Vis tu* 10. 11. 21. 26. 28. 31 b. 50. 62. 70—73. 75. 76. 82. et X MSS. Paris. melioris notae. *Vix tu* 12—17. 19—23. 25. 27. 45—49. 54—61. 63—68. 74. et XXV codd. Paris. *Vin' tu* 77. *Vix te* 69. Ferrarius Elect. 2, 10. putabat, sive *Vis* sive *Vin'* legatur, concinnam sententiam aut verum sensum elici neutiquam posse, neque mentem poëtae intelligi, nisi *vix* legamus et *audeas* pro *audax* duarum vocalium collisione, ut ipse poëta ad parasitantem loquatur. Sed haec vocalium *ea* collisio s. συνίζησις insolita est sensusque h. l. planissimus. Hinc etiam non necessaria est, etsi melior, emendatio Plathneri: *Vis tu non suetis a. c. e. Impleri? panisne tui vis nosse colorem?* Perperam Mancin. post *vix* supplebat *dignus es*.

Scilicet hoc fuerat, propter quod, saepe relicta
Coniuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret saeva quum grandine vernus
Iupiter et multo stillaret paenula nimbo!
Adspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quae fertur domino, squilla; et quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Quum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis coena patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romae cum Bocchare nemo lavatur,
* Quod tutos etiam facit a serpentibus atris.
Mullus erit domino, quem misit Corsica vel quem

76. *fuerit* 28.

78. *Aesquilias*, *Aesquillias*, *Exquilias*, *Aexquilias* alii. v. ad 3, 71.—*quum saeva* 11. 20.

79. *Iuppiter* vulgo perperam scribitur: nam vox *Iupiter* contracta ex *Iovis pater*, et prima eius syll. ubivis producitur.

83. *Dum* 10. 11. 13. 17. 19. 23. 24. 45. 49. 54. 57.—*excelsis* 20. 27. 46—49. 54—57. 59. 60. 65.—*porrecta* pro *sublata* 14. 83.

84. *constructus* 73. prob. Plathnero, quia veteres ovis non tantum inchoaverint coenam, sed etiam reliqua construxerint et coronaverint fercula, de quo v. Lips. antiq. lect. lib. 3. Casaub. ad Athen. 2, 16. Martial. 10, 48, 11. 11, 53, 8. Plaut. Men. 1, 1, 26.—*gammarus* 10. 11—16. 17. 20. 24. 27. 45—49. 54. 55. 57. 58. 61. 62. 63. 65. 67. 68. 71—73. *gamarus* 13. 19. 21. 22. 23 a m. pr. Alterutrum etiam legitur in omnibus fere codd. Paris. Vocem esse Latinam neque ab aliis Graecorum scriptoribus, quam ab Epicharmo et Sophrone, Siculis poëtis, adoptatam, ut alias, et in plerisque libris κάμμορον legi, monet Schweigh. ad Athen. VII, 75. et 110.

84. 85. *ovum—feralis coena*, ut ap. Lucian. Κατάπλους c. 7. ὁ φιλόσοφος Κυνίσκος, ὃν ἔδει τῆς Εκάτης τὸ δεῖπνον φαγόντα καὶ τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠὰ καὶ πρὸς τούτοις γε σηπίαν ὠμὴν ἀποθανεῖν.

86. *perfudit* 19. *perfundit piscem* 20.

87. *offertur* 27. 46—48. 50. 54. 58. 61—63. 65—69. 71—74. 77.

88. *nostris* 26.—*auleolis* 45.

90. 91. v. Excurs. ad h. l.

92. *Mulus* 62. 68. 71—73. *Murus* 11.—*domino* 10. 19—21. 23—25. 27.

Tauromenitanae rupes, quando omne peractum est
Et iam defecit nostrum mare, dum gula saevit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muraena datur, quae maxima venit
Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster,
Dum sedet et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longae cognata colubrae,
Aut glacie adspersus maculis, Tiberinus et ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca

45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXV codd. Paris. in his optimi: unde illud pro vulg. *domini* nunc restitui cum Ach.

93. *Taurominitanae* 10. 14. 16. 17. 19. 21—23. 25. 27. 45. 46. 48. 49. 54—69. 71—74. 81. ut passim, et *Taurominium* ap. Cicer. et alios.

94. *Ac* 17.—*mare nostrum* 16.

96. *petitur* 11. *patitur* (scil. gula) 15—17. 19—25. 27. 45—50. 54—60. 62—69. 71—74. 77. Nihil interest.

97. *illic* 22. 59.

98. *Lenes* 22. *Lenas* quidam, solemni librariorum errore, qui lineolam saepe literae n perperam imponunt.—*Aureola* 16.

Aurelia, dives orbaque matrona, pisces multos et pretiosos, a captatore missos, *vendit*, quia etiam avara est; quod bene adnotavit ill. C. de Haugwitz.

99. *murraena* 22. *murena* quidam, ut in Fastis Capitol. ap. Gruter p. 295. et in antt. codd., in quibus tamen vel raro vel numquam exprimuntur diphthongi. Licinii quoque cognomen *Murena* ap. Cicer. et Μυρῆνας in Appiani b. Mithrid. c. 32. 43. 64. seq. Sed piscis dicitur μύραινα et μύραινος Suidae, Athenaeo, Hesychio, Aristoph. et aliis.

101. *Cum* 14.—*iacet* pro *sedet* 21.—*madidas sicoat* 27. 46—49. 54. 55. 57. 58. 64. contra leges metricas. Hiatus tamen Iuvenali solennes. v. ad 1, 151.

103. Ill. C. de Haugwitz suspicatur, *anguillam* vile piscium genus fuisse iudicio Romanorum, quia *colubrae* cognata, similis, fuerit.

104. *varie* pro *glacie* conj. Schrader; *glareae* (adversante metro) et *glanii* (qui piscis potius *glanis*, *idis* et *glanus* dicitur Plin. 2, 43, 67. 32, 40. et 12. s. 45. et 53.) et *gladii* II. Vales. qui *gladium* monet a Theodoro reddi xiphiam, piscem marinum, Aeliano memoratum; non vero, an maculis adspersus sit. De *gladio* cf. Plin. IX, 2. et 15. XXXII, 11. s. 53. Durius tamen *glacie* dictum pro *in glacie* vel *glaciei* vel frigore, per hyemem; et lectio emendanda videtur.

105. *torpente* invita Minerva emend. Rutgers. var. lect. 2. 17.

Et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.
Ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem.
Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
Largiri; namque et titulis, et fascibus olim
Maior habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, ut coenes civiliter. Hoc face et esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
Altilis et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit et facient optata tonitrua coenas
Maiores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disiunge boves, dum tubera mittas!

106. *foveam* pro *cryptam* 22. ex interpret.—*Suburrae* alii. v. ad 3, 5.

107. *facilis* suspicari possis tamquam doctius, coll. X, 8. (ubi v. not.) Horat. Sat. 1, 1, 22. et Prop. 2, 21, 15. Librarii epitheta substantivis accommodare solent. Sed vulgata lectio non spernenda. Cf. III, 122. Caeterum versus 107—113. aptiore loco legerentur post v. 131.

111. *gratia* pro *gloria* 29.—*solum hoc* 15. 19.

113. *Vi* (forte *Vt*) *nunc sunt multi* 45.

115. Epitheton *flavi* otiosum videbatur Heinsio ad Ovid. medicam. fac. v. 85. ubi emend. *navi* s. *gnavi* et *validi*, ex quo *flavi* ortum putabat, quum *di* geminare librarius neglexisset. Sed v. Comm.—*ferro dignus* 11. 17. 19. 21.

116. *raduntur* 2. 3. 14. 15 17. a m. sec. 22—25. 27. 45—47. 49. 50. 51—69. 71—74. 77. 81. et plerisque codd. Paris ut inf. 14, 7. (ubi. v. Comm.) quod arrisit Pulm. Britan. Grang. et Heins. ad Ovid. medic fac. v. 85. *radentur* 17. a m. pr. 19—21. 26. et VII. codd. Paris. prob. Almelov. et Graev. Mihi utrumque alienum videtur ab h. l. ubi non de cibis apparandis coquendisque, sed iam paratis et in mensa apponendis, sermo est. *Post huic radentur* edidit Ach. hoc sensu: deinde ipsi, soli Virroni, apponentur; quam verbi *radere* notionem non inusitatam esse monet, non vero probavit, coll. XIV, 7. *rodentur* 16. *traduntur* 10. 13. 48.

117. *Non* pro *Tunc* legendum esse probabile fit ex loco Plinii, in Comm. laudato: nam de *maioribus* agitur tuberibus, quae verno potius tempore tenerrima sunt.—*faciunt*. 17 a m. sec.

118. *Aledius* 21. 23—25. 27. 57. 58. 60 62—68. 71—73. *Alcedius* 22. *Alvedius* 14. *Alidius* 17. *Alichius* 4. *Atilius* 30. prob. Calder. Similis varietas in Cic. ad Att. 12. 4. 24. 27. Forte leg. *Atedius*, cuius luxum notat Tac. Ann. 1, 10.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foras, si quid tentaveris umquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, Bibe? Plurima sunt, quae
Non audent homines pertusa dicere laena.
Quadringenta tibi si quis Deus aut similis Dîs
Et melior fatis donaret; homuncio, quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio! Pone ad Trebium! Vis, frater, ab ipsis
Ilibus! O nummi, vobis hunc praestat honorem,
Vos estis fratres. Dominus tamen et domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Aeneas nec filia dulcior illo.
Iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet et pueros tres

121. *spectas* 13. 17. 19. 20. 22. 23. 25 27. 15. 50. 51. 69. 71—74. *videas* 14. 21. 24. — *chironomunta* 11. 31 b. 16. 19. 51. (Cf. Gifan. Ind. Lucret. v. *Acherunta.*) *chironomanta* 14. 15. 22. 23 a m. sec. 27. 47.

122. *peragat mandata* 6.

123. *ne* 19. 23. — *differt* 20.

127. *quamquam* 22. et duo codd. Paris. Idque non male coniecerant Rigalt. et Graev. ut sensus sit: quamquam sis nobilis (immo ingenuus s. civis), si tamen pauper es, in divitis mensa non audebis hiscere, nisi velis eiici. Iis adstipulatur Schurzfl. qui monet, errorem ex ant. scriptura *cancam* ortum esse, et vetus scholion in suo cod. ita legi: *sed melius sic: quamquam nobilis sis et habens tria nomina, ut Cneius Cornelius Scipio et si quid simile.*

128. *sumitve* conj. Iacobs.

133. *deferret* pro *donaret* 16.

135. *istis* 16. 48. 65. 68. 69. 77. *illis* 27. 46. 47. 50. 58. 62. 64. 66. 67. 74.

136. *vos hunc praestatis honorem* 2.

141. *Mycale* in plerisque libris exstat, estque nomen magae ap. Ovid.

In gremium patris fundat simul, ipse loquaci
Gaudebit nido; viridem thoraca iubebit
Afferri minimasque nuces assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.
  Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

Met. 12, 263. et promont. oppidique Ioniae ibid. 2, 223. et alibi. Alii *Mychale* 27. *Micale* 7. 17. 19. 21. 24. 45. *Michale* 20. 23. 46—48. 50. 58. 64. *Macale* 22. *Mygale* 1. 75. 76. 77. prob. Lubino, ut nomen fictum sit a concubitu vel commixtione, a μυγνημι, quod verbum nihili est. Immo *Migale* a μιγνυμι s. μιγνυω, coëo. Ita legendum censuit etiam d'Orville ad Chariton 1, 7. pr.

142. *ille loquaci* 19.

142 seq. Verba haec ita potius interpungenda: *Sed tua nunc Mycale pariat! Licet et pueros tres In gremium patris fundat simul; ipse loquaci* cet. Hoc autem sensu capienda videntur: Tua *uxor* sit *sterilis: sed tua Mycale*, pellex, etiam *nunc*, postquam repente dives factus es, *pariat! Licet*, quamquam, *et*, vel, adeo, *pueros tres simul* pariat; tamen *ipse*, Virro, *loquaci gaudebit nido; viridem thoraca iubebit* cet., quae verba conferenda sunt illis Theophrasti a me laudatis, et optime conveniunt Virroni, neutiquam vero patri. Quamvis itaque *Mycale* sit uxor Trebii; *ipse* non idem, *pater*, sed Virro esse videtur.

143. *viridemque* 46. 47 a m. pr. 49 a m. sec. contra metri leges. — *et thoraca* 77. *et viridem* conj. Manso. Sed poëta copulam omittere solet. v. ad IV, 63. Post *nido* et v. 145. post *infans* signum interr. ponunt nonnulli, ut sensus sit: Si uxor tua unum vel adeo tres pueros pepererit (quo spes hereditatis Virroni imminuitur), putasne, hoc ipsi gratum fore et munera ab eo infantibus datum iri? immo nihil iis donabit, et, quoties illos viderit, indignabitur. At vid. Comm.

147. *qualem* 11. 14. 15. 27. 50. 62. 65. 74. 77. et omnes fere codd. Parisienses unde illud nunc recepi cum Ach. etsi vulg. *quales* eodem sensu a me ad *boletum* sit relatum. Haec vero contra mentem poëtae dici putabat Schurzfl. et verba in hunc ordinem redigenda esse: *Boletus domino, fungi ponentur amicis Vilibus ancipites, seu quales Claudius edit.* Heineckio non modo verba *post quem nil amplius edit* absurdissima, sed etiam tres versus 146. 147. 148. spurii et inepti videntur, quum iam per se ipsum pateat, auctorem coenae non iussurum sibi dari edulia venenata, et absurdum sit, eum sibi poni iussisse cibos delicatiores, sed haud venenatos, ceteris vero convivis viliores. Non viliores tantum, sed etiam *ancipites*. Cf. Comm.

Restituenda potius lectio *quales*, quae doctior est et hinc mutata ab indoctis monachis.

148. *postquam* 22. — *nihil* 17. 19. 45. 49.

Virro sibi et reliquis Virronibus illa iubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore;
Qualia perpetuus Phaeacum auctumnus habebat,
Credere quae possis subrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma et galea metuensque flagelli
Discit ab hirsuto iaculum torquere Capella.
Forsitan impensae Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas: nam quae comoedia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrumas effundere bilem
Cogaris pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo et regis conviva videris.
Captum te nidore suae putat ille culinae:
Nec male coniectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum
Vel nodus tantum et signum de paupere loro?
Spes bene coenandi vos decipit. Ecce dabit iam
Semesum leporem atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos iam veniet minor altilis. Inde parato

149. *illa videbit* 22. 23 a m. pr. 45.

150. *piscaris* 41. unde Schurzfl. conj. *quorum solum piscaris odorem.* Sed ipse fatetur, hanc lectionem videri duriorem.

151. *habebit* 42. Praestiterit *alebat*, ut ap. Hom. Odyss. η, 119. *αἰεὶ Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.*

153. *fruere* 61. 63. 66. 67. 71. 73.

154. *flagellum* 22. al v. Comm.

155. *Discat* 26. — *hirsuto — Capella* 4. (cuius certe glossa est: *a sene magistro campidoctore*) 70. et edit. Maittarii, prob. Scalig., Schurzfl., Lindenbr. et Lips. Mil. Rom. 5, 14. Huic tamen *Capella* lanistae nomen esse videbatur, quod flagellum militi non satis conveniret; illis nomen centurionis vel campidoctoris. Noti sunt plures *Capellae*, v. c. Marcianus C. ex Fabric. bibl. lat. 3, 17. Statilius C. ex Suet. Vesp. 3. poëta ex Ovid. e P. 4, 16. orator ex Lamprid. Comm. I. aliique ex Martial. 11, 32. Gruteri Inscr. p. 350. lin. 5. et al. — Vulgo *ab hirsuta — capella.*

158. *plorante gula melior* 14. 16. 20. *gula est? ergo* 13. quod arridere potest. Sed v. ad 1, 151.

162. Sic Luciani Cataplus c. 16. *ἔτι δὲ καὶ ἡ κνίσσα ἡ τῶν σκευαζομένων ἐς τὸ δεῖπνον ἀπέκναίε με.*

167. *aut aliquid* 14. 19. 20.

168. *vos* 13. 16. 21 a m. sec. et al. v. Markland. ad Stat. p. 235 seq.

Intactoque omnes et stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, et debes. Pulsandum vertice raso
Praebebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

et Oudend. in misc. obss. n. T. X. p. 465.

169. *iacetis* conj. Lubinus.

171. *Qui potes* 16. *Sic potes* 47. — *ut debes* emend. Graevius putans, copulam ad h. l. alienam esse. Enimvero *et* pro *etiam* positum, et sic sententia aptissima est atque gravissima.

D. IVNII IVVENALIS

AQVINATIS

SATIRARVM

LIBER SECVNDVS.

SATIRA VI.

ARGVMENTVM

Iuvenalis primum profitetur, se non satis mirari posse dementiam Vrsidii Postumi, qui uxorem, eamque castam, circumspiciat, quum et pudicitiae vestigia inde a fine aetatis argenteae frustra quaerantur in toto terrarum orbe (v. 1—29.) et vitam liberam voluptariamque agere, immo mori, multum praestet, quam servile matrimonii iugum ferre, et Postumus ipse notissimus sit moechorum (30—47.). Deinde amicum ab uxore ducenda dehortatur, eumque in finem vivis coloribus depingit atque ordine recenset omnia mulierum tunc temporis vigentium vitia, et quidem 1. impudicitiam et libidinem effrenatam, cuius explendae causa nobilissimae etiam matronae, immo Augustae, vel cum histrionibus, citharaedis ac gladiatoribus concumbant patriamque relinquant, vel in lupanaribus prostent, quod Hippiae ac Messalinae exemplis probatur (47—132.); — 2. insanam ludorum spectandorum cupiditatem, qua captae histrioniam ipsae faciant (67—70.); — 3. licentiam, quodcumque libeat, vel faciendi vel a marito exigendi, magna dote aut pulcritudine quasi emtam (136—160.); — 4. superbiam, maxime earum, quae nobilitate generis, castitate, forma, fecunditate aliisque naturae ac fortunae dotibus excellant, v. c. Corneliae matris Gracchorum, Niobes et al. (161—183.) — 5. affectationem Graecae linguae (184—199.);—6. pertinaciam durumque in maritos imperium (202—223.); — 7. divortia crebra, quibus maritos mutent (224—230.); — 8. suspectam fidem aliosque pravos mores, vivente socru, quae iis imbuat filiam (231—241.); — 9. cupiditatem litium, in quibus ipsae accusatorum patronorumque partes agant (242—245.); — 10. impudentiam, quae nonnumquam tanta sit, ut ne in gymnasia quidem et arenam descendere vel ad palum exerceri erubescant (246—267.); — 11. studium rixandi cum maritis et die et noctu (268—270.); — 12. fictam tristitiam laerumasque quoties iubeant manantes, quibus maritis exprobrent adulteria, ut sua celent (271—278.); — 13. insignem audaciam, qua deprehensae in stupris se defendant (279—285.);—14. mollitiem et luxuriam, fontem reliquorum vitiorum (286—300.); — 15. temulentiam, qua augeatur libido et mulieres saepe ad omnem turpitudinem, vel

ad aram Pudicitiae et in sacris, inpr. Bonae Deae, rapiantur (300—345.); — 16. *dolum, quo utantur in custodes sibi appositos, quos ipsae primos ad stupra sollicitent* (346—351.); — *ambitionem, quae nullam paupertatis rationem habeat* (352—365.); — 18. *amorem, quo eunuchos amplectantur, ut indulgeant libidini, nec tamen concipiant* (366—378.); — 19. *studium cantus ac musicae artis, cui multae sint deditae* (379—397.); — 20. *curiositatem credulitatemque* (398—412.); — 21. *iracundiam atque crudelitatem* (413—418.); — 22. *nocturnam lavationem cum multo strepitu et vomitionem ante coenam, vino largius sumto concitatam* (418—433.); — 23. *affectationem sapientiae et eruditionis* (434—456.); — 24. *nimium ornatum fastumque intolerabilem divitum feminarum* (457—460.); — 25. *studium moechis, non maritis, placendi munditie ac nitore, quem pane siliginco, in lac asininum intincto, fucis unguentisque sibi concilient* (461—473); — 26. *saevitiam in servos servasque, in quas evomant iram, vel in maritos conceptam, vel eo incensam, quod ars ornatricis dare nequeat, quae denegaverit natura* (474—495.); — 27. *nimiam decoris quaerendi nullamque rei familiaris et impensarum curam* (495—511.); — 28. *stultam cuiuscumque generis superstitionem* (511—591.); — 29. *improbitatem nobilium divitumque feminarum, quae vel partum medicamentis abigant* (592—597.), *vel adulterinos pariant filios* (597—601.), *vel denique nothos sive subditivos pro suis ac legitimis alant* (602—609.); — 30. *usum incantationum ac philtrorum, quibus nonnumquam maritos ad insaniam agant* (133—135. et 610—626.); — 31. *quaestus cupiditatem, qua incensae privignos, immo (ut Pontia) suos filios maritosque, veneno vel ferro quoque necare conentur* (627—661.).

Quemadmodum poëta in reliquis Satiris pravos potissimum mores virorum perstringit, ita in hac acerrime insectatur mulierum vitia, occasione carminis sumta ab eo, quod Vrsidius Postumus (*v.* 21. 28.) *amicus consilium ducendae uxoris ceperat. A quo ut eum avocet, omnia feminei sexus vitia tamquam in picta adumbrat tabula et ad vivum quasi resecat, nihil fere praetermittens, quod ad dissuadendum valere possit; ita ut haec Satira omnibus eloquentiae floribus distincta sit et in consummatissimis Iuvenalis carminibus referenda. Si quid in illa vituperandum est, eo non retulerim vivos colores, turpium rerum picturae inductos, qui tum argumento, quod pertractatur, et satiricae poëseos indoli, tum consilio potissimum poëtae, quod modo memoravi, aptissimi sunt, sed potius eorum mixturam, qua ordo sententiarum passim perturbatur. Nam alia bis recensentur, v. c. philtra, incantationes et veneficia* (*v.* 133 *seq. et* 610 *seq.*), *superbia* (*v.* 161 *seq. et* 457 *seq.*) *vinolentia* (*v.* 300 *seq. et* 425 *seq.*), *durum in maritos imperium* (*v.* 139 *seq. et* 212 *seq.*); *alia aptiore, opinor, loco, v. c. quae de luxuria, omnium vitiorum fonte, praeclare disputantur* (*v.* 286 *seq.*) *vel initio vel in fine carminis inculcari poterant; alia denique, quia sibi cognata sunt, magis placerent elucerentque, si non seiuncta essent, sed connexa, v. c. quae v.* 67 *seq. et* 379 *seq., v.* 184 *seq. et* 434 *seq., v.* 413 *seq. et* 475 *seq., leguntur. In ipsa quoque carminis dispositione non magna inventi laus ingenio poëtae debetur, nec singulae eius partes, etsi egregie adumbratae, arte quadam inter se implicatae sunt, sed (aeque ac in Sat. X.) eo se excipiunt ordine, quo in declamatione aliqua rhetor alias aliis subiungeret. Non alium tamen antiquum scriptorem legere memini, qui idem argumentum tali modo et tam copiose tractaverit; etsi non ignoro, multa mulierum vitia passim*

notata esse ab aliis, inpr. ab Euripide et Aristophane. Ille tot scelestas cuiuscumque generis mulieres induxit in scenam, et hunc sexum toties ac tantopere perstrinxit, ut inde Μισογύνης *olim vocaretur: nam* ἔν γε ταῖς τραγῳδίαις μισογύνης, ἔν γε τῇ κλίνῃ φιλογύνης *fuit, teste Sophocle ap. Hieron. laudatum Athenaei lib. XIII. p. 557. errantque Suidas, Moschopulus, Gellius XV,* 20. *et alii, qui illam appellationem a naturali, quod in omne genus muliebre gesserit, odio repetunt (v. Barnes. vit. Euripidis* § 19. *et Baylii Diction.). Hic vero in solis* Θεσμοφοριαζούσαις, *in quibus Euripidem a mulieribus damnatum fingit, quod in eas saepius acerrime invectus sit, plura paene istius sexus flagitia memorat, quam Euripides in omnibus, quae quidem restant, tragoediis suis. Qui vero alia feminei sexus vituperia legere cupit, consulat, quos tum Henninius laudavit, Chrysost. homil. de Herodiad., Barth. ad Celestin. ex Hisp. versum p. m. 334 seq., les Mémoires de Brantosme et Sotadica Italorum Hispanorumque scripta, tum Achaintre, Simonidem in lyricis octo ex rec. Hen. Stephani, Italos Ariosto, Aretino, Boccacio, et Gallos Jean de Meung, Gringoire, Moliere, la Fontaine et in primis Boileau in Sat. X. Similia etiam carmina his temporibus a Nostratibus scripta sunt. — Ceterum haec Satira insigni documento est, quanta illis temporibus Romae fuerit morum corruptela. Eam tamen Traiani temporibus confectam esse, iudicio parum probabili ac certo colligitur ex v. 407—412. ubi v. Comm.*

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu, quum frigida parvas
Praeberet spelunca domos, ignemque laremque
Et pecus et dominos communi clauderet umbra;
Silvestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus et culmo vicinarumque ferarum
Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos;
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis
Et saepe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo coeloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati

1 seq. Satirae huic conferendi etiam Luciani Amores cap. 38 seq.

4. abest a 14. — *communis* 22. et Lactantii schol. ad Statii Theb. I, 583. idque elegantius videbatur Wakef. ad Lucret. V, 954. non nobis.

8. *Turbabat* 28. *Turpavit* coniec. Schurzfl. et Schrader; quod et nobis in mentem venit. Sed vulgata quoque lectio haud spernenda.

12. *rupto robore nati*, ἐκ δρυὸς προελθόντες et γεννηθέντες. v. Iacobs

Compositive luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiae veteris vestigia forsan
Aut aliqua exstiterint et sub Iove; sed Iove nondum
Barbato, nondum Graecis iurare paratis
Per caput alterius, quum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis et aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astraea recessit
Hac comite, atque duae pariter fugere sorores.
Antiquum et vetus est, alienum, Postume, lectum
Concutere atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas:
Viderunt primos argentea saecula moechos.
Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras, iamque a tonsore magistro
Pecteris et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras! Vxorem, Postume, ducis?

in Anal. ad Lucil. Epigr. 83. et Palladae Epigr. 13. nec non Boissonade ad Nicet. T. II. p. 77. 78.

13. *Compositique* 10. 17. 19. 23. 25. 27. 45. 50. 54. 69. 71. 74. 77.

15. *exstiterant* 25. 27. 45. 50. 54. 69. 71. 74. 77.

16. *necdum* 26.

18. *aut pomis* 25. 27. 46. 50. 55. 69. 71. 74. 77. *ac pomis* 10. 12. 17. 21. 24. 26. 45. — *et aperto* legitur in omnibus mss. et editt. ante illam Henninii, qui ex emendatione Barth. advers. 22, 7. reposuit: *Caulibus et pomis, sed aperto viveret horto.* Neutrum h. l. convenire videri possit: nam subiectum est *nemo*, quod cum *aperto viveret horto* neutiquam iungi potest. Hinc olim coniiciebam *et operto*, quo omnis difficultas tollitur. Sed v. Comm.

19. 20. *Astraea recessit, Hac comite atque duae p. f. s.* interpungendum videbatur H. Valesio.

21. *Postume* quatuor. *Posthume* in reliquis libris. Sed v. Cellar. orthogr. lat. p. 318. ed. Harles. *O Postume* 14.

23. 24. Hi versus transponendi videbantur Schradero in emendatt. p. 139. 140. et nobis. Sed nunc ordinem, quo leguntur in omnibus libris, praeter 13., cuius nulla est auctoritas, restituimus, suadente Ach. Conf. Comm. Nota vero Hein. est haec: » Verissima Schraderi coniectura, si uterque versus Iuvenalis est. Sed versus 24. *Viderunt p. a. s. moechos* spurius; nil est enim nisi mera repetitio eorum, quae iam supra dicta erant. « Equidem malim versus 21. et 22. ponere post v. 23. 24. et in fronte orationis ad Postumum conversae.

28. *O Postume* 14. ut v. 21. — *duces* 12. 15. 17. 19. 22. 45. et X codd. Paris.

Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam,
Quum pateant altae caligantesque fenestrae,
Quum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
Nulla iacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec quantum iussit, anheles.
Sed placet Vrsidio lex Iulia: tollere dulcem
Cogitat heredem cariturus turture magno
Mullorumque iubis et captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Vrsidio? si moechorum notissimus olim
Stulta maritali iam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini?
Quid? quod et antiquis uxor de moribus illi
Quaeritur. O medici, mediam pertundite venam!
Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus et auratam Iunoni caede iuvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

29. *exagitere* 12. 17 a m. pr. 19. a m. sec. 23. 26. et quidam codd. Paris. Sed saepissime Indicativum hoc modo usurpari, et hoc a Donato ad Terent. Eun. III, 3, 23. (*Aut dicat, quid vult, aut molestia ne siet*) passimque a viris doctis demonstratum esse, monet Hein. *agitere* 24. *quibus exagitate colubris Ferre potes* cet. coniec. H. Vales.

34. *putes* 45. — *Pugio* pro *pusio* conj. Valla, ut sit nomen proprium. Vetus Scholion est: *Pusio a facto nomen.* Hinc aliud quiddam latere non male suspicabatur Rutgers. var. lectt. 2, 17. et quidem *pygio*, verbum effictum a πυγή, nates, clunes, unde πυγχῖος salax s. cinaedus.

38. *Vrcidio* 48. *Vrsiodo* 16. *L. Fursedio Postumo* inscripta est haec Sat. in 8. et tribus codd. Paris. Sed metri leges *Fursedii* nomen non admittunt. Cf. Comm. ad v. 24.

42. *moechorum turpissimus* edidit Maittaire, quod nescio unde habuerit.

44. *periturum* 16. et 83. prob. Schradero. *periuri* bene conj. H. Vales. et Heinrich. v. Comm. ad 1, 36.

48. *bidentem* pro *iuvencam* quidam, forte quia noverant, bidentem Iunoni sacrum esse. Sed *auratis cornibus hostias maiores dumtaxat immolatas esse,* praeter alios docet Plinius XXXIII, 3

Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus et densos per limina tende corymbos.
Vnus Iberinae vir sufficit? Ocius illud
Extorquebis, ut haec oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis! et agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus aut in
Speluncis? Adeo senuerunt Iupiter et Mars?
Porticibusne tibi monstratur femina voto
Digna tuo? Cuneis an habent spectacula totis,
Quod securus ames quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicae non imperat; Appula gannit,
Sicut in amplexu, subitum et miserabile: longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
Ast aliae, quoties aulaea recondita cessant,
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro,
Atque a plebeiis longe Megalesia, tristes

52. *necte* pro *tende* 15. 16. 17. 25. 26. 45—48. 55—61. 63. 64. 65. et quidam codd. Paris. Sed ita idem verbum repeteretur.

53. Post *sufficit* Grangaeus et alii vel punctum vel signum exclam. non interrogat. ponunt, ut sint verba Postumi *unus Iberinae vir sufficit*, h. e. mea uxor casta est vel erit, et erras, qui nullam putas inveniri pudicam. Sed v. Comm.

55. *cuiusquam* 73. Legendum videtur *cuiusque in rure p. v.*

56. Suspicabar olim legendum esse: *Vivet Gabiis.* (h. e. vivetne in oppidis, quamquam parvis ac desertis, nedum Romae), *ut vixit in agro? Vivet ita Fidenis? Et agello* cet. Mutata tamen distinctione (nam vulgaris est haec: *Magna tamen — Viventis: Vivat Gabiis, ut vixit in agro: Vivat Fidenis, et agello cedo paterno. Quis* cet.) expeditiorem feci sententiam h. l. de qua interpretes parum fuere solliciti.

57. *cede* 25. 61. 77. *Vivat Gabiis, ut vixit in agro; Vivat Fidenis, ut agello cedo paterno* legendum censet Mauso, ut sibi constent oratio orationisque membra et neminem id vidisse miratur. Mihi potius verba sic languere videntur.

64—66. Cf. Excurs. ad h. l.

68. *sonant aulaea theatro* 26.

Personam thyrsumque tenent et subligar Acci.
Vrbicus exodio risum movet Atellanae
Gestibus Autonoes: hunc diligit Aelia pauper.
Solvitur his magno comoedi fibula. Sunt, quae
Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragoedo
Gaudet. An exspectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharoedus Echion
Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes et grandi ianua lauro,
Vt testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium
Ad Pharon et Nilum famosaque moenia Lagi,
Prodigia et mores Vrbis damnante Canopo.
Immemor illa domus et coniugis atque sororis
Nil patriae indulsit, plorantesque improba natos,
Vtque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus plumaque paterna

70. *thyrsumque petunt* 19. — *Arci* 27. 47. *Anci* 21. *Axi* 16. *Accum* 22. *Acne* 75. 76. *Aenc* 1. *Actii* 23. Nam varie scribebatur *Accius*, *Actius*, *Attius*, *Atius*: de quo v. Burm. ad Virg. Aen. V, 568. et ad Sueton. Aug. c. 4.

71. *Atellanae*, v. sup. ad I, 3.

74. *vetant* 15. 16. 17 a m. sec. 19. 22. 45.

75. *exspectes* 14. 26.

77. *fiet* 21. — *Ambrosiusve* emend. H. Vales.

78. *figantur* 77. et ita emend. C. Vales.

81. *et mirmilonem* 11. *aut mirmillonem* 10. 14—17. 19—23. 25. 27. 45—49. 54—60. 64. 65. *aut myrmidonem* 24.

82. *Ippia*, *Yppia*, *Eppia*, *Appia*, *Hyppia*, *Hispia*, *Hippida*, *Oppia* alii h. l. v. 104. 114. et X, 220. — *ludum* 10. 11. 14—17. 19—24. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 54. 55. 62. 64. 72. et multi codd. Paris. prob. Salmas. quem in Comm. laudavi, ut *ludus* dicatur pro *ludio*, quemadmodum *regna* pro *regibus* et similia passim obvia. Sed *ludum* reposuisse videntur librarii metro timentes. *Ludium* vero διστύλλαβος vox est, efferenda per συνίζησιν. Cf. XI, 20. et sup. ad IV, 37. *Ludia* tamen v. 104. τρισύλλαβος est.

83. *formosique* 16. *formosaque* 22. 85.

87. *ludum* 14. *Paridem ludosque* 25. 27. 46. 57. 48. 54—60. 64. 65.

Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contemsit pelagus: famam contemserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Iusta pericli
Si ratio est et honesta, timent pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent.
Si iubeat coniux, durum est conscendere navim;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quae moechum sequitur, stomacho valet. Illa maritum
Convomit: haec inter nautas et prandet, et errat
Per puppem et duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma, qua capta iuventa est
Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus iam radere guttur
Coeperat et secto requiem sperare lacerto.
Praeterea multa in facie deformia, sicut

90. *contemserit* 16.

93. Bentleius ad Horat. Epod. X, 19. haec notavit: "*Ionium* mare Graecis et vincta oratione et soluta ὁ Ἰόνιος dicitur, subaudito πόντος. At Latini neutrum magis amant, quippe quibus *mare* subintelligitur. Masculino genere effertur h. l. sed aut refingi fortasse debet *lateque sonorum*, aut ex verbo praecedente substantivum sibi adsciscere potest *fluctum*, aut certe ob raritatem non temere Horatio affingendum est." Sed mare etiam Romanis *pontus* dicitur, et cum Horatius tum Iuvenalis docte ac Graece loqui amant. Ita etiam *Aegaeus* ap. Claud. in Eutrop II, 334. quod monet Hein.

95. *pavidaeque* 26. Fuere qui legere mallent *pavidaeque gelantur Pectora*, improb. Schurzfl. qui laudavit Ian. Bernart. ad Stat. p. [illegible]9.

96. *Corpore* 85. — *possint* 22. — *consistere* 14.

101. *Evomit* 26.

102. *puppim* 11. 65.

103. *iuventa est* 10. 11. 12. 14. 15. 21—25. 45—50. 54—60. 62. 64—69. 71—74. In reliquis libris non legitur *est*, quod tamen facile excidere potuit propter compend. scrib. quodque nos inseruimus, ne quatuor certe ὁμοιοτέλευτα iungantur.

106. *fesso* pro *secto* 14.

107. *faciem* 25. 27. 46—50. 55—63. 65—69. 71—73. 77. — *sinit* pro *sicut* 85.

Attritus galea mediisque in naribus ingens
Gibbus et acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos;
Hoc pueris patriaeque, hoc praetulit illa sorori
Atque viro. Ferrum est, quod amant. Hic Sergius idem
Accepta rude coepisset Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Respice rivales Divorum; Claudius audi
Quae tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem praeferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una,
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar
Et cellam vacuam atque suam. Tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscae,

108. H. Valesii nota est: "Lege *Adtritus galeae*, h. e. a galea fronti invectus seu crebro ferreae galeae usu nimioque pondere fronti impressus; saltem tria hic vitia in facie Sergii notantur, nec iungenda *adtritus galea gibbus*, quasi galea vetus Romana usque ad medias nares pertingere ibique gibbum creare aut incumbendo premere potuerit.„ Lectio illa videtur recipienda esse. *Adtritus* dicitur etiam vitium, damnum, vulnus, ex adtritu ortum; et frons adtrita galea vitiumve faciei h. l. aptius est, quam adtritus galea homo. — *mediis* 13. 15. 16. 85.

109. *graviter* pro *semper* 14. *saepe stillantis* 11 ad marg. 17 a m. pr. 21. 22. 23. 26. 45. prob. Schurzfl. qui monet, ita etiam legisse Nic. Ferretum opusc. gram. p. 3. et mutationem ex eo ortam videri, quod librarii versum ruere putaverint, si *saepe* legeretur, quum debuerint meminisse, Graecam positionem hic locum habere. Cf. ad VIII, 107. XVI, 22. Drakenb. et nos ad Sil. Ital. VII, 618. IX, 575. et XVII, 547. ubi multis exemplis probavimus, syllabam finalem, per se brevem, sequentibus duabus vel tribus consonis, modo corripi, modo produci, *foede* pro *semper* conj. Iacobs.

116—120. v. Excurs.

120. *Et* pro *Sed* 10. 17. 19—22. 24. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. 85. et XXXII codd. Paris. unde illud restituit Ach. *nigro flavum* 11.

122. *Tum* 11. rectius, puto. *capillis Prostitit auratis* (flavo galero tectis, aut qui ramentis auri ad ornatum inspersi erant) emend. C. Vales.

123. *Prostitit* 1, 24. MS. Schegk. (qui id probat in Praemiss. Epist. V.) quinque codd. Paris. et 70. unde recipiendum videri possit. Est utique

Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes atque aera poposcit,
Et resupina iacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas iam dimittente puellas,
Tristis abît; et, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidae tentigine vulvae,
Et lassata viris necdum satiata recessit:
Obscurisque genis turpis fumoque lucernae
Foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
Privignoque datum? Faciunt graviora coactae
Imperio sexus, minimumque libidine peccant.
Optima sed quare Cesennia teste marito?
Bis quingenta dedit; tanti vocat ille pudicam,
Nec Veneris pharetris macer est aut lampade fervet:
Inde faces ardent; veniunt a dote sagittae.

vocab. propr. Sed idcirco e marg. *forsan* irrepsit. — *Liciseae* 24. *Lycissae* 47. 48. 64. 85. *Licissae* 11—17. 19. 23. 25. 45. *Lucisce* 12. *Lycisae* 61.

124—126. v. Excurs.

128. *quoad et potuit* 24. *sed* pro *et* 10. 11. 15. 19. 22. 23. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 76. 77. 85. et quidam codd. Paris. — *tandem* 16. *tantum* 11. 46 47. 48. 50. 55. 57. 58.

130. *nondum* 14 15. 19. 22. 46—50. 54—69. 71—74. 85. *sed non* pro *necdum* 45.

131. *Obscenisque* suspicari possis.

133. *Hippomanes carnemque loquar* 11. 16. unde Schurzfl. conj. *Hippomanis carnemne.* Idem tamen recte monet, antiquam lectionem retinendam alteramque e glossa ortam videri. Fortasse haec etiam stupori vel incuriae librariorum debetur.

135. *nimiumque* 16. 22.

136. *Cesennia* 14. 15. 26. 27. 61—63. 65. (Paris. 1512.) 66. 67. 70—74. 82. *Caesennia* 81. et al. Alterutra lectio videtur probanda. Gens certe *Cesennia* nota est e Tac. Ann. XV, 6. (ubi v. Lips.) Cic. Phil. XII, 9. Ioseph. B. Iud. p. 848. et *Caesennia* e Cic. Caecin. 4. et 8 sq. Montfauc. Antiquit. expl. T. V. p. 110 sqq. et Gruteri Inscr. vid. Ryck. et Ernesti ad Tac. Ann. XIV, 29. *Censennia* 3. 11. 20. 21. 75. 76. *Censonia* 2 in interstit. 10. 16. 17 a m. pr. 19. 25. 45—48. 56—60. 65. 85. *Caesonia* 17 a m. sec. 28. 49. 50. 54. 55. 64. 68. 69. Gens *Caesonia* memoratur a Cic. in Pis. 6. in Verr. I, 10. II, 18. ad Att. I, 1. XII, 1. a Tac. Ann. XIV. 29. (ubi v. intpp.) XV, 71. et al. Sed hoc nomen forsan e v. 616. huius Sat. huc translatum est v. ibi not. *Cessennia* 17 a m. sec. *Cessania* 22. *Cesenia* 24.

138. *pharetris Veneris* 10. 11. 12.

Libertas emitur: coram licet innuat atque
Rescribat, vidua est, locuples quae nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugae subeant, et se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes oculique minores;
«Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi:
Iam gravis es nobis et saepe emungeris, exi
Ocius et propera: sicco venit altera naso.»
Interea calet et regnat poscitque maritum
Pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota
Quodque domi non est et habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumae, quo iam mercator Iason
Clausus et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus et Beronices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges

14—17. 19. 21—27. 45—49. 54—60. 64—70. 75. 76. 85. — *est* perperam omissum in 61. 62. 66. 67. — *haud* pro *aut* 19. 23.

139. *veniunt* 21.

143. *Si verum inspicias* 14.

146. 147. absunt a 14. *dicit* 17. 23.

147. *ut saepe emungeris!* non male emeod. Heins. ad Claudian. Cons. I. Stilic. II. 327.

148. abest a 22.

151. *omnes pueros* 19.

152. *sed habet* 14. 22. *quod habet* 15. — *amatur* 22.

153. *Mense quidem Numae* 4. et sic legit Sidon. In 4 reperitur vetus hoc scholion: "Ita Februarius dictus, quem Februo i. e. Plutoni consecravit Numa." Idem vero rex Ianuarium quoque instituit Ianoque consecravit. Sed quis umquam hunc vel illum mensem Numae propterea dixit?

156. *Myrrina* 27. 46. 47. 59. 64. *Mirrina* 23. 24. 45. 60. 65. 85. *Myrina* 48. *Myrrhia* 50. *Murrhina* 74. quod recepi pro *Myrrhina*. Cf. ad 7, 133. — *Berenices* 49. 61. 62. 65. 65—69. 71. 72. 73. 77. quae vulgarior est scriptura. Sed *Beronices* in omnibus fere libris legitur. Sic etiam quibusdam scriptoribus Graecorum *Βερονίκη*, et aliis, ut in numis, *Βερενίκη* dicitur. *Beronicis* 12. 15. 17. 19. 20. 24. 27. 45—47. 85.

159. *sabbata* sic dicta ab hebr. *quievit* ab opere, unde propr. scrib. *sab-*

Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina
(Rara avis in terris nigroque simillima cycno):
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium et numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem victumque Syphacem
In castris, et cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Paean, et tu, Dea, pone sagittas;
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!

batha et σάββαθα pro vulg. σάββατα.

161. *Vllane* 23. Non male, ut haec quoque poëtae, non Postumi, verba sint.

162. *facunda* 22. 85.

163. *sic tactior omni* conj. Markl. v. Comm.

165. *cycno*, non *cygno*, 20. quam scripturam revocavi, quia Graecis κύκνος dicitur.

166. *ferat* 16. 26. non male.

168. *Graccorum* 85. v. ad II, 24.

169. *cum dote* 13. 46. 47. 48. 50. 64.

171. *Cartagine* 22. 85. et *Kartagine* 21. sine adspirat. ut in quibusdam inscriptt. Cicero in Orat. c. 48. *Quin ego ipse*, inquit, *quum scirem, ita maiores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut* pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem *dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium quum exorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Non convenit etiam inter viros doctos scriptura *Carthago* et *Karthago*. In nummis, inscriptt. et marmor. orthographia variat, neque tanta est auctoritas eorum, ut certa scribendi regula inde repeti queat. *K non vera litera, sed quorumdam nominum nota* dicitur Quintil. Inst. Or. I, 4, 9. ubi v. Spalding. Cf. Drakenb. et nos ad Sil. I, 3.

172. *tu Dea pone sagittas* ex emend. Graevii recte, opinor, edidit Hennin. quem sequuti sumus. In libris tum scriptis tum editis legitur *tu depone sagittas*, et pronom. *tu* vulgo ad eamdem deam Dianam refertur, quae ratio admodum dura est. Audi tamen Heineckium: " Egregius profecto locus, ubi subita sententiarum conversio, dum Amphionem loquentem inducit poëta, lectorem mirum in modum afficit, ut eum in optimis Iuvenalis esse statuam. Mallem igitur interpretes eum intactum reliquissent. Hi vero, elegantem loquendi rationem non intelligentes, lectionem optime se habentem sollicitavere. *Tu*

Amphion clamat: sed Paean contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Latonae gente videtur
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.
Quae tanti gravitas, quae forma, ut se tibi semper
Imputet? Huius enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo
Plus aloes, quam mellis habet. Quis deditus autem
Vsque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque die septenis oderit horis?
 Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis.

non referendum ad Dianam, sed ad *Apollinem*, qui praecedit. In his et similibus pronomen *tu* abundat. *Apollinem* autem dum poëta alloquitur, intelligit etiam Dianam, quae una cum illo opus perfecit. Et in his nemo haerebit, qui in memoriam venit illius tantopere decantati Virgiliani Aen. IX, 525. et Siliani III, 222. Mutatio numeri autem in *parce*, *depone* et *configite* multis exemplis probari posset, nisi id iam paene ad fastidium docuissent Critici.„ Quae quum legissem, in memoriam potius mihi rediit decantatum illud: *si tacuisses* cet. et *parturiunt montes* cet. Vt alia taceam, bene novi et ad Sil. l. l. monui, a poëtis aliisque scriptoribus, quum verba ad collegium pluresve coniunctos faciant, saepius unum dignitate priorem compellari, reliquos autem adiecto plur. numero simul innui et comprehendi. Sed talis enallage vel syllepsis numeri aliena est ab h. l., ubi sermo est de fratre et sorore.

175. *Sic tulit* 22. — *gregem* 11. 25. 27. 46—50. 51—69. 71—74. 77. 85. — *ipsamque parentem* 11. 14. 15. 27. 57. 61. 62. 63. 66. 67. et XV codd. Paris. (in VI *ipm* vel *ip3*), quod recepit Ach. probaruntque Schurzfl. et viri docti in edit. Iuven. cum notis Variorum Amst. 1684. ne Amphion se ipse extulisse dicatur. Enimvero verbum *extulit* non referendum ad Amphionem, sed ad *Nioben* (*extulit Niobe greges* cet.), quae liberos ipsumque eorum parentem, qui omnes innoxii luerunt noxam Niobes, extulit, antequam in saxum verteretur. Nugatur Ach. cui nos nugari videmur, et qui h. l. ita interpretatur: *extulit* e terra et telis confodit Paean *greges* cet.

176. *Cum* 20.

177. *Niobe scrofa* 14. Conf. XII, 73. 74.

183. *dies* alii 13. 15. 17. 20. 21. 22. 25. 27. 45. 50. 54. 69. 71. 74. 77. et plurimi codd. Parisiens. e quibus id recepit Ach. *die* 12. 16. 18. 19. 24. 85. *diem* reliqui, etiam 82. *inque die* rectius dicitur pro unoquoque die, quotidie, quam *in diem*; unde nunc recepi. Ita quoque legendum monuit C. Valesius. — *oderis* 22.

184. abest a 13. et 22. *parca* 25. 46. 48. 49. 54. 57. 59. 60. 65. idque

Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Graece,
* Quum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Graece. Dones tamen ista puellis:
Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Graece? Non est hic sermo pudicus
In vetula. Quoties lascivum intervenit illud
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ; Modo sub lodice relictis
Vteris in turba. Quod enim non excitet inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet. Vt tamen omnes
Subsidant pennae, dicas haec mollius Haemo

conj. Lubin. ut sensus sit: quaedam mulier parca quidem est, non sumtuosa, superba et magnifica; sed tamen non toleranda est, quod Graeco utatur sermone, ut blandior videatur. *Quaedam parva loquar* emend. Pontan. ad Macrob. Sat. III, 10. perperam coll. Tibull. II, 6, 11. Vulgata lectio bene se habet.

185. *putet* 11.

188. v. Escurs. ad h. l.

191. *Concumbunt Graece: non est hic sermo pudicus* 22. omissis verbis mediis. Error inde ortus, quod et v. 191. et 193. voc. *Graece* legitur.

194. seq. Olim coniiciebam: *In vetula. toties* cet. Nunc mutavi vulgatam distinctionem: *In vetula, quoties — Ψυχη. modo* cet. etsi ne sic quidem oratio satis placet et bene fluit.

De vocabulorum eroticorum, Ὀφθαλμός, Φῶς, Ψυχή et Ζωή, blanditiis v. Bourdel. ad Heliod. p. 11. Ficoron. in Gemmis p. 39. et Boisson. ad Nicet. VI, 58. p. 287. 288.

195. Graeca verba in primis codd. recte scribuntur, in recentt. corrupta sunt aut plane absunt.

196. *excitat* 11. 15. 16. 18. 19. 23. 24. 27. 45. 49. 54. 61. 62. 63. 66—74. 77.

197. *sit tamen* 19. Locus perplexus, qui valde torsit interpretes. Lucebit, opinor, modo *et* pro *ut* substitueris: *et tamen omnes Subsidant* vel *Subsident pennae, dicas — Carpophoro*: (nam) *facies tua computat annos* vid. Comm. *et tamen omnes Subsident pennae* seu *penes* (super te omnes penes iacebunt) emend. H. Vales. *Attamen* conj. Hein. quod non minus aptum est.

198. *pinnae* 1. Vetus scholion est: » *Subsidant* longa aetate *pinnae*, metaphora, quia vetulae flaccescunt. « Lubinus: » Metaphora, inquit, ab avibus. Ingenii nervi vel pinnae quasi ex superiori loco deorsum vocentur. Possumus etiam *pinnas* h. l. intelligere in cacumine turrium rotundos apices. Quamvis illa, quae suprema sunt, sermone tuo quasi deorsum vo-

Quamquam et Carpophoro; facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa; nec est, quare coenam et mustacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud,
Quod prima pro nocte datur, quum lance beata
Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus; submitte caput cervice parata
Ferre iugum: nullam invenies, quae parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
Vxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil umquam invita donabis coniuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, haec si nolet, emetur.
Haec dabit affectus: ille excludetur amicus
Iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.
Testandi quum sit lenonibus atque lanistis
Libertas et iuris idem contingat arenae;
Non unus tibi rivalis dictabitur heres.
Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi,
Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.

ces." — *dicas hoc* 24. — *Haemo* 14. 17. 18. 27. 45. 47. 57. 64. *Hemo* 15. 16. 19. 20. 21. 23. 24. 58. *Haemo* 46. 48. *Oemo* 56. 59. *Emo* 60. 65. *Aemo* alii etiam Hennin. qui tamen *Haemo* edidit sup. III, 99. ubi v. not.

199. *computet* 12. 16. 22.

205. *Dacius* 15. 16. 20. 24. 25. 56. 57. 58. 66. *Datius* 18. 19. 21. 22. 27. 45. 47. — *sculpto radiat G. auro* 57, *scutilo r. G. auro* e vet. cod. suo legit Pontan. ad Macrob. Sat. III, 10. ubi monet, *scutulum* propr. esse variegatum instar telae aranearum.

206. *ac deditus* 18. Recte forsan. Possis etiam interpungere: *Si tibi (simplicitas uxoria) deditus uni Est animus*, vel cum Iacobs. legere *Si est animus*. Sed v. ad IV, 63.

217. *contingit* 16. 27. 46. 47. 48. 58.

218. *ditabitur* 11 ex rasura, 15. 18. 23. 29. 45. 49.

220. *qui* — *qui* 17. 20.

221. *Nulli* emend. Heins. ad Ovid. Met. VII, 453. — *est* abest a 12 et 16.

O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto:
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
  Imperat ergo viro; sed mox haec regna relinquit
Permutatque domos et flamea conterit: inde
Advolat et spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti
Quinque per auctumnos: titulo res digna sepulcri.
  Desperanda tibi salva concordia socru.
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti;
Illa docet, missis a corruptore tabellis,
Nil rude nec simplex rescribere: decipit illa
Custodes aut aere domat: tunc corpore sano
Advocat Archigenem onerosaque pallia iactat.
Abditus interea latet et secretus adulter,

223. *Sic volo* 19. 27. 28.

225—227. absunt ab 18. *domus* 14. 16. 48. — *flammea* 22. 45—50. 62—64. 65. 68. 69. 71. 72. 73. *flamea*.

226. *Evolat* 20. *Avolat* (a novo marito discedit) 29. 50. 65. 69. et cod. viri docti, quem v. in Miscell. Obss. crit. in Auctores vett. Amst. 1734. Vol. V. T. I. p. 122. — *lecti repetit vestigia spreti* 21. *refugit vestigia* conj. Schrader.

228. *vel* pro *et* 11. 14. 16. 19.

230. Post hunc versum in 16. insertus est alius: *Si fierent comites citius, quam nuberet uxor.* « Non male et satirice admodum, si legeretur *Nec fierent* cet. ut esset sensus: Istiusmodi uxor sibi citius maritos faceret, quam nos amicos. » Ach.

231. *salva est* 16. *est salva.* 27.

233. *libellis* 16.

234. *nil simplex* 19. 22. a m. pr. 23. 24. 25. 27. 46—50. 54—66. 68. 71—74. 77.

236. *Archigenen* recepi e 60. 65. et 68. *Archigenem* alii. Sed quamvis non ignoro, hiatus frequentes esse Iuvenali (v. ad I, 151.), vereor tamen, ne illi sine necessitate ei ab imperitis librariis passim obtrusi sint; et illa vocis forma doctior est.

237. *in terra* 16. 21 a m. pr. — *et secretus* revocavi, tamquam lectionem omnium fere librorum. Languet tamen, quoniam synonyma *abditus* et *secretus* iunguntur. *et securus* 27. 47. 64. non improb. Schurzfl. modo mox vs. seq. *silet*, non *pavet*, legatur. *accersitus* e conj. reposuit Marshall, rectiusque *arcessitus* Henoin. ut mens poëtae sit: Interea dum medicus arcessi fingitur, moechus sub persona medici veniens clanculum intrat atque ita custodes decipit. Sed illas lectio-

Impatiensque morae pavet et praeputia ducit.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulae producere turpem.
Nulla fere causa est, in qua non femina litem
Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsae per se formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratae.
Endromidas Tyrias et femineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros, dignissima prorsus
Florali matrona tuba; nisi si quid in illo
Pectore plus agitat veraeque paratur arenae.
Quem praestare potest mulier galeata pudorem,
Quae fugit a sexu? vires amat. Haec tamen ipsa
Vir nollet fieri; nam quantula nostra voluptas?

nes ex *accersitus* degenerasse, non mihi persuasit Hennin.

238. *pavet* restitui ex 1. (cuius glossa certe est *metuit*) 10. 12. 14. 15. 17—23. 25—26. 45 46. 48. 49. 50 54—69. 71—74. plerisque codd. Paris. et MSS. Nic. Heinsii, qui ad Sil. Ital. XVI, 432 hanc lectionem probat monetque, *pavorem* esse aliquid medium inter spem metumque, et hinc *laetum pavorem* atque *horrorem* dici Stat. Theb. I, 493. Sil. III, 245. XVI, 432. eumque describi a Stat. Theb. VI, 392 seq. 802 seq. Vetus Schol. docet, totum hunc versum in quibusdam codicibus non legi: et lubens eum deleverim propter obscoenitatem, quae tamen ipsa illius rei causa fuisse videtur.

239. *exspectes* 20. 26.

240. *Aut* 13. 14. 21. 22. 25. 27. 46. 50. 54—69. 71—74.

243. *Maudia*, *Mamilia* et *Mamilla* legitur in bonis libris Gell. IV, 14. ubi vid. Gronov.

247. *aut* pro *vel* 12. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. prob. Schurzfl. quum verba quarti ordinis in tertiis personis, etiam extra perfecti contractionem, saepius producantur. Hiatus etiam amat Iuvenalis v. ad I, 151. Nec tamen illi temere ei videntur obtrudendi.

248. *rudibus* pro *sudibus* conj. Lips. Mil. Rom. V, 14. ut nos Sil. VIII, 552.

249. *numeros implet* 19. 45.

252. Possis etiam ita distinguere: *Quem p. p. m. g. pudorem? Quae fugit a sexu, vires amat.*

253. *viros* 16. 24.

254. *tantula* 22. — *vestra voluptas* 11. non improb. Schurzfl. ut sit ἀνθυποφορὰ mulieris galeatae. Sed idem recte praetulit vulgatam lectionem.

Quale decus rerum, si coniugis auctio fiat?
Balteus et manicae et cristae crurisque sinistri
Dimidium tegimen; vel, si diversa movebit
Proelia, tu felix, ocreas vendente puella.
Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias et panniculus bombycinus urit.
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus
Et quanto galeae curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro;
Et ride, scaphium positis quum sumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi caecive Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quae ludia sumserit umquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
  Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior.

255. *Quale decus rerum* cet. interpungere malebant H. Vales. et alii.

256. *manicae, cristae*, 11. 24. *tunicae* pro *manicae* vetus Schol. cuius glossa est haec: *balteus et tunicae* Retiarii scilicet, si personam aut officium eius susceperit. Conf. Comm.

257. vulg. *tegmen*. Conf. Nic. Heins. ad Sil. I, 402. qui tamen ad Virg. Aen. III, 594. et VII, 666. utramque scripturam damnat et ubivis *tegumen* reponendum censet. —. *movebis* 27. 46. 47. 58.

258. *tum* 23. 27. 46—50. 54—60. 64. 65.

259. *Haec* 61. 62. 63. 67. 71. 72 73. prob. Pulmanno, ut sit enallage, ut inf. v. 592. et ap. Terent. in Eun. III, 5, 34. in Andr. IV, 1, 32. in Heautont. IV, 4, 4. et in Phorm. V, 8 (al. 10.), 23. quibus tamen locis meliores libri *Hae* vel *Haeccine* exhibent.

261. *praeferat* 47. 58. 66.

263. Pro *fascia* forte leg. *fuscina*. v. Comm.

265. *caecique* 16. 19. 24. 85. *caecive* 27. 61. 63. *Creteive Metelli* (ut mox *Gurgitis Fabii*) 3. 4. non improb. Nicol. Heins. ad Ovid. Metam. VII, 223. ut innuatur Q. Metellus Creticus Cos. a. 674. qui Cretam expugnavit. Possis etiam suspicari *Calvive Metelli*, h. e. L. Metelli Calvi Cos. a. DCXI. Sed vulgata quoque lectio bene se habet.

267. *gemit* 11. 12. 14. 15. 16. 18. 19. 21—24. 26. 46—50. 54. 55. 59. 60. 64. 65. 85. et codd. Paris. fere omn. — *Asili* 17. 19. 21—24. 27. 45—48. 50. 61. 85. *Asyli* 19. 60—63. 65. 68. 71. 72. 73. 77. *Asilli* 20. *Assili* 18.

270. *Tunc* revocavi ex 10. 13. 17—25. 37. 45—50. 54—69. 71—74. 85. *Tum* 11. 77. *Cum* 14. 15. 16. 26. 70.

Quum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Vberibus semper lacrumis semperque paratis
In statione sua atque exspectantibus illam,
Quo iubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exsorbes; quae scripta et quot lecture tabellas,
Si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae!
Sed iacet in servi complexibus aut equitis. Dic,
Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem:
Haeremus; dic ipsa. Olim convenerat, inquit,

75. 76. 82. et permulti codd. Paris. — *tum orba* 11.

271. *Tunc simulat* 21 a m. sec. 27. 46—49. 58. Non male, si minorem distinctionem posueris in fine versus praec.

271—275. Lucianus dialog. mortuorum XXVII, 7. ὑπὸ δὲ τοῦ τυχόντος παιδισκαρίου καὶ δακρύων ἐπιπλάστων καὶ στεναγμῶν ἑάλως ὁ γενναῖος, et Toxar. c. 15. ἁλώσεσθαι ὑπὸ γυναικὸς καλῆς καὶ πρὸς ἡδονήν τε ὁμιλῆσαι ἐπισταμένης καὶ ἐν καιρῷ δακρῦσαι, καὶ μεταξὺ τῶν λόγων ἐλεεινῶς ὑποστενάξαι.

274. *atque spectantibus* 12. *semper spectantibus* 2. *ac semper spectantibus* 17. *ipsis spectantibus* 29. 45. *ipsisque spectantibus* 26. *atque ipsis spectantibus* 10. 15. 16. 19. 21. 23. 85. *atque illis spectantibus* 18. *atque suis spectantibus* 22. *ipsis exspectantibus* 3. 74. *atque viris spectantibus* c. Mediol. non improb. Ach. *nec non spectantibus* c. Put. quod recepit Ach. qui *spectantibus* pro *exspectantibus* dictum putat. *atque ipsis exspectantibus* 27. 47. 54. 64. et IX codd. Paris *atque iis exspectantibus* 24. *velut exspectantibus* 13. Sed *atque exspectantibus* 5. 14. 20. 25. X codd. Paris. iique antiq. et editt. tantum non omnes. Haec lectio mutata videtur ab iis, qui metro metuebant, nec memores erant multorum in Iuvenali hiatuum. v. sup. ad I, 151. Scabra tamen est oratio. *exspectantibus, illas Quo i. m. m.* conj. H. Vales. ut haec dicta sint pro: quo modo *se* manare velit. Suspicari potius possis, legendum esse *exspectantibus, illa Quo iubeat* cet. Conf. tamen Comm.

276. *tum* 2. 22. *nunc* 16. *Tunc tibi tu* 3. — *labelli* 26. De *curruca* v. Excurs. ad h. l.

279—281. Iudice Weicherto (in C. Valerii Flacci Argonaut. Librum VIII. Misnae 1818.) recentiores poëtae editores, qui contra meliores codices pro *dic, Quintiliane*, scripserunt *hic Q.*, locum vi sua privarunt; et in his repetitionibus notandis probe consideranda est poëtae cuiusvis indoles. Nolim pertinaciter contendere; in locis tamen a viro docto laudatis (Stat. Achill. II, 266 seq. et Claudian. in Rufin. II, 239 seq.) ter, non quater, neque in tam paucis verbis eadem vox repetitur.

280. *dic* pro *hic* 12. 15—25. 27.

Vt faceres tu, quod velles, nec non ego possem
Indulgere mihi: clames licet et mare coelo
Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos a crimine sumunt.
Vnde haec monstra tamen vel quo de fonte, requiris?
Praestabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor somnique breves et vellere Tusco
Vexatae duraeque manus ac proximus Vrbi
Hannibal et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longae pacis mala: saevior armis
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscoena Pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
Divitiae molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quae sint discrimina, nescit;

45—50. 56—69. 71—74. 85. Sed idem verbum iam bis positum est et mox denuo repetitur.

282. *quod tu velles* 16. 85.

285. *Deprehensis* 15. 18. 27. 47. 49. 56. 63. — *animum de crimine sumunt* 85. — *ducunt* 19.

286. *aut quo* 17. *de quo fonte* 15. 19. 25. 27. 46—50. 55. 57—60. 64.

288. *sinebat* 11. 15—23. 25. 27. 45—50. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. 73.

290. *et proximus* 77. 85.

291. *in turre* 11. 25. 50. 56. 57. 59—63. 65—69. 71. 74. 85.

292. *longe* 46. 47.

293. *ulciscimur* 29.

295. *fluxit ad Istros* 19. 20. 25. 49. 56. 57. 59—62. 65. 66. *Histros* 10. 12. 15—18. 26. 45—48. 50. 54. 55. 58. 64. 67—69. 71—74. 85. *Hystros* 13. 21. 24. 27. *Histos* 22. *Instros* 23. *Istos* 9. 75. 76. non improb. Pithoeo si mox, suadente Iac. August. Thuano, reponatur *Rhodon et Mileton*, ut sensus sit, paupertatem Roma excedente fluxisse ad illas civitates, quae ante deliciis et voluptatibus insignes fuerint. Sed *istos* idem Pithoeus et iam ante eum Hieron. Nogarola ap. Parrhas. in Quaes. per Epist. 28. et Balbus ad Valer. Flacc. III, 555. recte, opinor, coniecerunt, idque receptum in 70. et 82.

297. *et* abest ab 25. 27. 46—50. 54—61. 64. 65. 85.

301. *sunt* 16. 21. 22. 85.

Grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet,
Quum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Quum bibitur concha, quum iam vertigine tectum
Ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis.
I nunc et dubita, qua sorbeat aera sanna
Maura, Pudicitiae veterem quum praeterit aram,
Tullia quid dicat notae collactea Maurae.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic
Effigiemque Deae longis siphonibus implent,
Inque vices equitant ac luna teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
Coniugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonae secreta Deae, quum tibia lumbos
Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae crinemque rotant ululantque Priapi
Maenades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quae vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!

302. *Grandiaque a mediis* 16. — *sorbet* pro *mordet* 11. 16.

303. *percussa* 16. 85. — *spument* 75. 76.

304. 305. Απαντα εὐθὺς ἐδόκει μοι περιφέρεσθαι πιόντι καὶ τὸ σπήλαιον αὐτὸ ἀνεστρέφετο, Lucian. dial. marin. II, 2.

305. *exurgit gemma* 85.

307. 308. Hi versus transpositi in omnibus libris, praeter 22 et duos codd. Paris. e quibus nunc ordinem eorum haud dubie verum restitui suadente Ach. Versus 308. plane abest ab 8. (in quo recentior manus eum adscripsit) a tribus codd. Paris. et ab aliis collatis a Pulmanno.

312. *domus adeunt* 85.

314 seq. 335 seq. Τελεταὶ δὲ ἀπόρρητοι καὶ χωρὶς ἀνδρῶν ὕποπτα μυστήρια, Lucian. Amor c. 42.

316. *ululantque Priapi Maenades* 1. 70. 75. 76. 81. 82. *ululante Priapo* 10. 11. 12. 14. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 85. omnesque codd. Paris. quod Britann. exponit: sacerdote Priapi edente sonos et ululatus musicis instrumentis, ne scil. quiritantis vox, per vim stuprum patientis, exaudiatur. *ululantque Priapo* 44. 83. 84. ut conj. Bahrdt, a quo tamen haec lectio eodem sensu capta, quo recepta a nobis. v. Comm. Ita vero malim *ululantque Priapum*, ut *quem ululat Gallus* ap. Martial. V, 42, 3. et *ululare tristia* ap. Lucan. I, 567. unde *ululata Hecate* et *Lucina* dicitur Virg. Aen. IV, 609. et Stat. Theb. III, 158.

Lenonum ancillas posita Laufella corona
Provocat et tollit pendentis praemia coxae.
Ipsa Medullinae fluctum crissantis adorat:
Palmam inter dominas virtus natalibus aequat.
Nil ibi per ludum simulabitur; omnia fient
Ad verum, quibus incendi iam frigidus aevo
Laomedontiades et Nestoris hernia possit.
Tunc prurigo morae impatiens, tunc femina simplex,

320. *Saufeia* 1. 61. 70. 75. 76. 77. 82. Romae fuit *Saufeia* gens notique *Saufeii* e Plin. VII, 53. et Cicer. Rabir. Perd. 7. et Epist. ad Attic. I, 3. II, 8. IV, 6. XIV, 18. XV, 4. XVI, 3. *Laufeia* 50. 61. *Laufera* 17 a m. pr. 20. 22. *Laufela* 14—17 a m. sec. 18. 21. 27. 46. 47. 48. 53. 85. *Laufella* 10. 11. 19. 23. 24. 25. 15. 49. 54—57. 59. 60. 62. 53. 65—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. unde id recepi cum Ach.

Restituenda fortassis lectio *Saufeia*. Nota cl. Boissonade ad Nicetam p. 92. est haec: » Achaintre pro *Saufeia* revocavit lectionem *Laufella* ex omnibus, ait, codd. suis. Equidem inveni in Thuaneo, qui est ex illis, quos suos vocat, *Saufega* (i) cum scholio *matrona*. Rursus ad vers. 322. pro *fluctum* ait rectius forte haberę *frictum* codices suos. Equidem inveni in Thuaneo vetustissimo *fluctum*; quae vox ad subsaltationes atque foedas subagitationes non male detorta illustrari potest Dioscoridis Epigr. 54. in Anthol. Pal. c. 5. Μήποτε γαστροβαρῆ πρὸς σὸν λέχος ἀντιπρόσωπον Παιδογόνῳ κλίνης Κύπριδι τρπόμενος. Μεσσόθι γὰρ μέγα κῦμα, καὶ οὐκ ὀλίγος πόνος ἔσται, Τῆς μὲν ἐρεσσομένης, σοῦ δὲ σαλευομένου. « Haec Achaintrii incuria in conferendis codicibus passim et a Boissonade, et a me notata est.

321. *et tollit* revocavi ex 10. 11. 14—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. *attollit* 70. 75. 76. 77. 82.

322. *Ipse* 27. 46. 49. 57. — *Medullinae* 23. — *fluctum* 1. 75. 82. *frictum* 18. 19 a m. sec. 20. 21 a m. sec. 23. 24. 25. 27. 46—50. 54—74. 76. 77. 85. omnesque codd. Paris. Britann. » *adorat frictum*, quia genibus ad frictum incurvatur. « Farnabius: » γνὺξ ἐπικλινομένη τρίβει λείχει τε. « Inde tribades dictae *frictrices*. v. Comm. ad v. 311. *fructum* 17. 21 a m. pr. 22. 45. *factum* 19 a m. pr. *rictum* (eo sensu, quo apud Martialem aliosque vox illa adhibeatur) omnino legendum putabat C. Valesius. — *crisantis* 1. 17. 21. 22. 23. 46. 47. 48. 64. ut ap. Martial. X, 68, 10.

323. *virus* (h. e. sucus genitalis) pro *virtus* conj. Schrader et Bahrdt, qui ita h. l. exponit: lascivi suci abundantia ei maius videtur bonum, quam nobilitas. Nobis tamen neque conjecturam, neque interpretationem hanc persuasit.

324. *tibi* pro *ibi* 10. 16. 20. 23. 24. 54. 63. 68. 71. 72. 73. — *similabitur* forte scribendum pro *simulabitur*. v. sup. ad II, 3. — *fiunt* 19.

326. *vel Nestoris* 77. — *hirnea* 9. quod vasis potorii genus est.

327. *Tum prurigo* 15. 46. 47. 49.

Et toto pariter repetitus clamor ab antro:
Iam fas est; admitte viros! Iam dormit adulter;
Illa iubet sumto iuvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius. Hic si
Quaeritur et desunt homines, mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.
Atque utinam ritus veteres et publica saltem
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quae psaltria penem
Maiorem, quam sunt duo Caesaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura iubetur,
Quaecumque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numae nigrumque catinum
Et Vaticano fragiles de monte patellas

50. — *tum femina* 27. 60. 63. 65. 68. 71. 72. 73.

328. *It* 48. 55. 57. — *pariter toto* 10. 11. 18. 20. 22. 23. 25. 26. 59—63. 65—69. 71. 72. 73. 78. — *clamor repetitus* 10. 19. 23. 26. 85. *repetitur* 45. 56. 57. 60. 65. 67. 68. 71. 74. *reperitur* 73. *reparatur* 69. 72.

329. *dormitat* pro *iam dormit* 10. 11. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 85. et XXX. codd. Paris. prob. Schurzfl. *si iam dormit* 9 a m. pr. *si dormit* 9 a m. sec. Non male! Sed vulgata forte lectio exquisitior est, et illud *si* ortum videri potest e glossa ac supplendum (unde comma pro puncto posui post *adulter*): nisi potius haec verba sunt aedituae respondentis, vel etiam earumdem feminarum, cum interrog. legenda: *Dormitat adulter?* Ita Ach. *st! dormit adulter?* emend. Voss. ad Catull. p. m. 139. ut *st!* sit silentii nota. Cf. ad I, 161.

330. *iuvenem sumto* 16. 85.

332. *veniat* 11. et duo codd. Paris. rectissime, iudice Schurzfl.

333. *et si absunt* 19. — *illam* 16. 85.

337. *Noverint* 14.

338. *sint* 15. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 56. 60—65. 68—74. 77.

339. *Illic* 27. 45—49. 58. 60.

340. in 7. post. v. 337. legitur, et una cum vs. seq. abest a 16. — *versari* 19.

341. *est* non exstat in 25.

342. *Sed quis* 24. *Ecquis* 25. 57. 60. — *nunc* 45. — *et quis* 77.

343. *Simpuvium*, v. Excurs. ad h. l. — *Numen* 7. — *nigrumve* 2. 3. 10. 11. 14—17. 20—24. 45. 85. Parum interest. *priscumque* legebat Hadr. Iunius Animadv. II, 1.

344. *Aut* 16. 85.

Ausus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram; cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor.
Iamque eadem summis pariter minimisque libido;
Nec melior, silicem pedibus quae conterit atrum,
Quam quae longorum vehitur cervice Syrorum.
Vt spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem et flavam, cui det mandata, puellam.
Haec tamen argenti superest quodcumque paterni
Levibus athletis ac vasa novissima donat.
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit haec posuitque, modum. Tamen utile quid sit
Prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem femina censum;
Ac, velut exhausta recidivus pullulet arca

345. *Claudius* 10. 14—17, 19—24. 27. 45—48. 85. Vetus Schol. haec notavit: „*Clodius* pro *Claudius*: licet nam per communionem, ut *Clodius* et *Claudius*, ut *cotes* et *cautes*, ut *origa* et *auriga*." Hinc Rutgers. Var. Lect. II, 17. colligit, eum *Claudius*, et Valla, eum *lodius* vel *ludius* legisse. Sed monet tantum, veteres etiam *Clodium* dixisse pro *Claudio*, quod vel tironibus notum. Cf. sup. ad II, 36.

347. *custodiat* 45. 60. 85. Forte rectius.

349. *Namque* 17 a m. pr. — *libido est* 77.

350. *pedibus silicem* 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74.

351. *Quamquam* 46. 47.

352. *Oculnia* 10. 14. 15. 17—21. 24. 25. 49. 54—59. 65. 85. *Oculnea* 11. 16. *Oculina* 23. 27. 45—48. 50. 60. 64. *Ocullina* 22. Nota est gens *Ogulnia* e Livio et aliis.

354. abest ab 26. *faveam* pro *flavam* conj. Scalig. ad Prop., Vulcan. et Wouwer. ad Petron. *Favea* s. *fabea* et *abra* in Gloss. vett. dicitur puella, quae dominae in deliciis erat. Sed non adsequor, cur vulgata lectio displiceat, et poëtae obtrudenda sit vox insolita ac forte recentioris originis. — *dat* 85.

357. *domi est* pro *domi* 13. 14. 18. 19 a m. sec. 22. 25. 46. 48. 49. 56. 57. 59—63. 65. 66—69. 71—74. 77.

363. *Et* 85. *Ac* 11. 13. 21—25. 43. 47. 49. 50. 56—60. 61—68. 72. et

Numus et e pleno semper tollatur acervo,
Non umquam reputat, quanti sibi gaudia constent.
  Sunt, quas eunuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectent et desperatio barbae,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida mâtura iuventa
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.
Ergo spectatos ac iussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea; nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina: sed tu iam durum, Postume, iamque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.

XXV codd. Paris. — Hos cum Ach. recepi et v. 365 *reputat* pro vulg. *At reputant*. — *recidivus* pro vulg. *redivivus* restitui ex 15. 27. 46. 47. 48. 50. 61. et quibusdam codd. Paris. tamquam difficiliorem exquisitioremque lectionem, quae ab indoctis librariis passim corrupta est. v. Comm. Festus *redivivum* exponit: ex vetusto renovatum, v. c. aedificium s. lapis. Cf. Ernesti Clav. Cic. Sed ista notio ab h. l. aliena; neque etiam παλίμβιος est *numus*, sed παλιμβλαστής seu παλίμβλαστος, h. e. πάλιν βλαστάνων, iterum quasi *pullulans*.

365. *Nonnumquam* 1. 50. 61. 62. 63. *Non repetunt umquam* 26. *Non reputant numquam* 10. *reputat* 60. 65. *repetent* 13. *repetunt* 1. 7. 12. 14. 16. 17. 20—23. 26. 29. 85. — *sua* pro *sibi* 13. 17. 19—22. 25. 45. 57. 59. 60. 65. 85. *iam* pro *sibi* 27. 46. 47. 48. 50. 58. 61. — Vetus est scholion: *Hic versus in quibusdam non est.* Eum quoque transfigendum obelo et v. 363. *Dat* pro *At* scribendum, vel potius versum 362. ponendum esse post v. 364, suspicabatur Schurzfl.

366. *et mollia* 77. 85.

367. *delectant* 10. 11. 12. 16. 85.

369. *quando* pro *quod iam* conj. Schrade. *calida quod iam* 10. — *et matura* 50. 56. 59—63. 65. 68. 69. 71—74. 77.

370. *pectine magno* 85.

371. *exspectatos* 11. 14—25. 27. 45—47. 49. 50. 54—58. 61—69. 71. 72. 73. 76. 77. 85. et plerique codd. Paris. prob. Ach. et solenni varietate. v. Intpp. Virg. Aen. VI, 687. — *et iussos* 60. 65. 77.

373. *tantum damno* 10. 11. 14—24. 45. 85.

377. *durum iam* 21. — *Postume*, non *Posthume*, 17—22. 85. quos sequutus sum. Cf. sup. ad v. 21.

378. *Tondendum* revocavi ex 14—24. 56. 60. 62. 64. 65. 68. 69. 70.

Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis praetoribus: organa semper
In manibus: densi radiant testudine tota
Sardonyches: crispo numerantur pectine chordae,
Quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc se
Solatur gratoque indulget basia plectro.
Quaedam de numero Lamiarum ac nominis alti
Cum farre et vino Ianum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare et fidibus promittere. Quid faceret plus
Aegrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput; dictataque verba
Pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime Divum,
Respondes his, Iane pater? Magna otia coeli:

72. 77. et omnibus codd. Paris. *Tundendum* in plerisque editt. etiam Hennin.

379. *dura est* 25. 57, 59. 60. 65. quo sensum non mutari putabat Ascens. *nullius fabula durat* emend. Plathner. ut sensus sit: nullius mimi, in theatro cantantis vel persooam suam saltantis et canendo exprimentis, fabulam longam videri illis, quae cantu gaudeant, mulierculis.

382. *crispae* 56. et ita corrig. Plathner. ut indicetur tremor chordarum, dum gradatim pectine pulsentur et veluti numerentur.

383. *Hidymeles* 48. 61. 62. *Hydimiles* 47. 85. *Hidimeles* 20. 45. 46. 48. *Hydimeles* 10. 24. 57. 66. *Hydymeles* 25. 60. *Idimeles* 49. 23. 26. *Hidimenes* 21. 22. — *operam* 24. 25. 27. 46—50. 55. 57—69. 71. 72. 73. 77.

385. *et nominis* 77. 85. *nominis Appi* 4. Non male, quia gens Claudia, in qua Appii fuere, antiquissima nobilissimaque fuit et apte cum *Lamiis* coniungitur. *nominis Aeli*, vel, ut in vetustis numis ac marmoribus frequenter scribitur, *Aili* pro *Aelii*, ingeniose conj. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 305. quia *Lamiae* cognomento *Aelia* gens dicta. Favet ei etiam MS. Scriver. in quo legitur *Alli*. Vulgata tamen lectio h. l. non sollicitanda videtur. v. Comm.

386. *Cum farre* pro *Et farre* restitui ex 40. 41. 44—27. 45—50. 54. 55. 57—59. 71. 72. 73. 77.. 85. *ac vino* 41.

388. *faciat* 49.

392. *Protulit* 40. 46. 48. 49. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. 85. et XI codd. Paris. quod probat, praeter H. Valesium et alios, Dorleans, quia agatur de proferendis voti verbis solennibus. At v. Comm.

Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Haec de comoedis te consulit; illa tragoedum
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, et coetus possit quam ferre virorum
Cumque paludatis ducibus praesente marito
Ipsa loqui recta facie strictisque mamillis.
Haec eadem novit, quid toto fiat in orbe;
Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercae
Et pueri: quis amet, quis diripiatur adulter.
Dicet, quis viduam praegnantem fecerit et quo
Mense; quibus verbis concumbat quaeque, modis quot.
Instantem regi Armenio Parthoque cometen
Prima videt; famam rumoresque illa recentes
Excipit ad portas; quosdam facit. Isse Niphatem

395. *quid* 11. 16. 22. 24. 25. 45—50. 51—69. 71—74. 85.

396. *comedo.* 24.

397. *fiat* 14. — *aruspex* 21. 22. 64. Cf. ad II, 121.

398. *potius cantet* 22.

399. *posset quae* 17. 23. 45. *quae posset* 14. 22. *quae possit* 18. 26. *possit perferre* 19 a m. pr. *quam ferre* pro *quae ferre* recepi ex 10. 24. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. et plerisque codd. Paris.

401. *Illa* 16. 85. — *siccisque mamillis* 1—4. 14. 17. 20. 21. 22. 29. et XV codd. Paris. h. e. sine lacte materno. Vtraque lectio explicari videtur vet. scholio: *adhuc nudis* (quae vox in cod. Schurzfl. additur) *exstantibus, vel sine sudore.* C. Valesii nota est haec: Pro *strictisque* omnino legendum *rectisque*, i. e. stantibus, ut nudatas intelligi oporteat, quae elegans allusio est, vel *exertisque* scil. e sinu, quod unum idemque est cum *rectis*.

Strictis mamillis, ut τοὺς ἀμόρφως προπεπτωκότας μαζοὺς ἀεὶ περιφέρουσι δεσμώτας in Luciani Amor. c. 41.

402. *fiet* 15. 16. 18. *toto quid fiat* 21. *tota — urbe* 27. 47. 85.

403. *Senones* pro *Seres* legisse vet. Schol., cuius nota est, *Galliarum gentes aut Scythae*, vel sic iterum utramque exposuisse lectionem, suspicabatur Schurzfl. — *Thraces quid* 16. 85.

404. *diripiatur* 1. 15. 16. 26. 61. 63. 70. 75. 82. *decipiatur* scil. ab ea, quam amat, 10. 12. 13. 14. 17—25. 27. 45—50. 54—60. 62. 64—69. 71—74. 76. 77. 85. et XVI codd. Paris. prob. Ach. Non male! Sed illa lectio videtur praeferenda, nec tam facile pro hac, quam haec pro illa, ab indoctis librariis substitui poterat.

406. *concumbant* 24. *concumbunt* 25. 48. 56. 57. 59. 60. 65.

407. *Armeniae* 77. — *cometem* 60. 65. *cometam* 19. 21. 77.

409. *a portis* 21. Vulgaris inter-

In populos magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras;
Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.
  Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quod
Vicinos humiles rapere et concidere loris
Exorata solet. Nam si latratibus alti
Rumpuntur somni; Fustes huc ocius, inquit,
Afferte; atque illis dominum iubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit; conchas et castra moveri
Nocte iubet; magno gaudet sudare tumultu,
Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristae digitos impressit aliptes
Ac summum dominae femur exclamare coëgit.
Convivae miseri interea somnoque fameque
Vrguentur: tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter

punctio est: *quosdam facit isse Niphatem In populos.* Quam bene emendarunt Dusaulx et Ach.

410. *simul* pro *illic* 21.

411. *valles* pro *terras* 21.

413. *hoc vitium* 77. *vitium est magis* 21. — *quam quod* 10. 11. 13. 14. 17. 19—25. 27. 29. 45. 47. 50. 54—58. 60—69. 71—74. 77. et plurimi codd. Paris. quae lectio Schurzfl. et Ach. visa est vera, et a nobis nunc recepta. *quam quae* (h. e. quam vitium eius mulieris quae) quidam codd. et edd. recent. *quam quo* emend. Schrader.

414. *Vicinos homines* 16.

*415. *Exhortata* 29. 49. *Exornata* conj. Scriver.

416. *Rumpantur* 16.

417. *ferire* 14. 16.

418. *teterrima visu* 11. prob. Schurz. ut duo supina, *occursu* et *visu*, coniungantur. — In omnibus fere editt., etiam Hennin., post *canem* colon positum.

419. *spondas* pro *conchas* conj. Schrader.

421. *Dum* emend. Schrader.

Similiter Lucianus in Lexiphane c. 5. ὁ δὲ μολυβδαίνας χερμαδίους ἀράγδην ἔχων ἐχειροβόλει.

422. *Calidus* 47. *aut cristae* 85. *christae* conj. Plathner et alii, ut unguentum sit; quod tamen Graece non χρίστη, quae vox nihili est, sed χρίσμα dicitur: nisi forte poëta hoc verbum effinxisse censendus est. — *impellit aliptes* 22.

424. *interea miseri* 16.

Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit et loto terram ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tamquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit. Ergo maritus
Nauseat atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quae, quum discumbere coepit,

428. *rapidam* 45. 60. 65. — *vomitum* pro *orexim* 22. ex interpret.

Ducere h. l. et XII, 9. pro *bibere*, ut ἕλκειν et *trahere pocula* v. Boisson. ad Eunap. p 293. et ad Nicetam p. 236.

429. *Cum* 20. 22. — *reddit* 17 a m. sec. 19. — *et loto terram* 1. 9. 11. 12. 17. 70. 75. 76. 77. 82. *et luto terram* 15. et XXVII codd. Paris. teste ac prob. Ach. *et terram luto* 10. 18—21. 23—25. 27. 45—50. 54—69. 71. 73. 85. *Luto* antique dictum pro *lavato*, *lauto*, *loto*, ut *cludere* pro *claudere*. Cave intelligas oletum vel sordes et excrementa, nam de vomitu agitur, et leges metricae repugnant, nisi forte reponendum *atque luto terram*, vel *terramque luto*. Illud exstat in 21 a m. sec. et 22. hoc in 14. 17. aliisque libris, quos vidit Pithoeus, qui comparavit verba Salv. IV. ad Eccl. Cath. *Natant tricliniorum redundantium pavimenta, vino Falerno nobili lutum faciunt, mensae coram toreumata mero ingiter madent.* — *ad terram luteo* 26. *et terram luteo* 46. 74. prob. Pulmanno, qui perperam dicit hanc synizesin esse, ut inf. X, 133. *et terram lato* 72. *epoto* pro *et loto* conj. Schrader. Plathnerus vero ita legendum h. l. distinguendumque putabat: *Tandem illa venit rubicundula totum Oenophorum sitiens: plena quod funditur urna Admotum pedibus*, h. e. vinum crudum s. crucium, insuave, quod servi bibunt, admotumque pedibus domini, ad quos servi coenitant (v. Isidor. III, 20. et Senec. de constant. sap. c. 15. pr.), *de eo sextarius alter Ducitur, ante cibum rabidam facturus orexin* (nam vinum crucium sumebant Romani, si appetitus excitandi causa vomere vellent, quod etiam Seneca taxat Cons. ad Helvid. c. 9.), *Dum redit et terram luto ferit intestino*, h. e. flavo, propter bilem, quo sensu *lutum* dicitur Virg. Ecl. IV, 44. et Tibull. I, 8. 52.

430. *aut lata* restitui ex 7. 10. 11. 14. 15. 17—21. 23—27. 45—50. 54—69. 71—74. 85. et omnibus fere codd. Paris. *aut lauta* 16. *ut lata* 2?. *aurata* 12. 70. 75—77. 82. Sed ita deest copula verborum, et aptior est h. l. *lata* h. e. ampla *pelvis*, vomitione repleta. Heineckio tamen lectio *aurata* aptior videtur et vel ob ipsam copulae ellipsin restituenda. v. ad IV, 63. *abluta* conj. Schurzfl. quum literae *V* et *B* frequenter a librariis permutentur: quod vereor ut multis arrideat, quia modo vox *loto* praecessit. — *Falerno Pelvis olet* 10. 18. 19. 27. 45—50. 51—57. 60—67. 85. Verbum *olere* et quarto et sexto casui iungitur

432. *vomit* oenophorum, ut πίθους ὅλους παρ' ἐμοὶ πολλάκις ἐμημεκὼς in Luciani Timone c. 45.

433. *opertis* 15. 23. 21.

Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elissae,
Committit vates et comparat; inde Maronem
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet; nec causidicus, nec praeco loquatur,
Altera nec mulier; verborum tanta cadit vis!
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Iam nemo tubas, nemo aera fatiget:
Vna laboranti poterit succurrere lunae.
  Imponit finem sapiens et rebus honestis.
Nam quae docta nimis cupit et facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Caedere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato

435. *Vergilium* 60—62. 65. 71. 72. 73. 85. De qua nominis scriptura v. Heyne in vita Virgilii per annos digesta p. CLXXXIII edit. sec. — *Elissae* recepi ex 10. 17. 18. 20. 21. 22. 25. 27. 46. 47. 48. 54. 56—60. 64. 65. et optimis codd. Paris. *Elisae* 11. 12. 14. 15. 16. 19. 23. 26. 49. 50. 55. 61. 62. 63. 65—77. 82. *Elysae* 85. *Elyssae* 24. 45. Sed Graece Ἔλισσα dicitur, eamque scripturam optimi scriptorum Rom. codices confirmant et origo nominis.

437. *alia ex parte* 11. 16. prob. Schurzfl.

438. *rhetores omnes* 10.

439. *iacet* 21. 22. — *loquetur* 14. 15. 17. 18. 19 a m. sec. 20. 21. 46—49. 64. et XII codd. Paris. Rectius forsan; Ach.

441. Pro altero *tot* legitur *aut* in 16. *ac* in 10. 14. 15. 17. 21—24. 45. *et* in 25. 27. 46—50. 54—63. 65—69. 71. 72. 73. 77.

442. Hic versus abest a 57. et post v. 443. legitur in 47. et 85. *atque aera* pro *nemo aera* 11. 12. 14—27. 45—50. 58—69. 71. 72. 73. 77. 85. et plurimi codd. Paris. — *fatigat* 14. 18 a m. pr.

443. *Luna l. p. s. rannae* 47. (*ramae* in Ven. 1487.) — *potuit* 85.

445. *Nam quia* 17. *Nam si docta* 25. 27. 46—49. 54—60. 64. 65. 77.

446. *substringere* malebat Scaliger. Sed vulgata lectio bene se habet.

449. *haud* pro *aut* 15. — *curvum* 2. 3. 10. 11. 12. 14—22. 24. 26. 28. 45. 49. 75. 76. 81. 82. Sed *curtum* 23. 25. 27. 46. 47. 48. 50. 54—74. 77. et dimidia pars codd. Paris. prob. Graevio et Heins. ad Ovid. Fast. II, 408. ubi hanc vocem in multis veterum scriptorum locis restituit. vid. Comm.

449. 450. et VII, 193. *Torquere* et *iaculari*, ut ὃς παρ' ἡμῶν τὰ τοξεύματα, ὡς φῄς, λαβὼν καθ' ἡμῶν ἐτόξευες in Luciani Piscat. c. 6.

Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes;
Sed quaedam ex libris et non intelligat. Odi
Hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem,
Servata semper lege et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicae castigat amicae
Verba. Soloecismum liceat fecisse marito.
  Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Quum virides gemmas collo circumdedit et quum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
  Interea foeda aspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppaeana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad moechum veniet lota cute. Quando videri
Vult formosa domi? moechis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,

451. *intelligit* 25. 27. 46—50. 58. 61. 66.

453. *ac* pro *et* 15. *at* 85.

459. *extensis* 7. 10. 11. 14—21. 27. 29. 45—50. 54. 55. 56. 59—65. 68. 69. 71—74. 85. et omnes codd. Paris. ut inf. XII, 5. — *magno* 7. 29. — *committit* 7. 14. 17. 21. 22. 29.

460. *nil* 68.

461. seq. Cf. Luciani Amor. c. 38. 39.

464. *Ad moechumque venit lota cute* 46. *veniunt lota cute* 13. 27. 46—49. 54. 57. 58. 64. 85. et plurimi codd. Paris. *veniet luto* 62. 68. 69. 71. 72. 73. *veniet lota cute* 25. 50. 56. 59. 60. 61. 63. 65. 66. 67. 74. 77. et quidam codd. Paris. quos nunc secutus sum cum Ach. *lota veniunt cute* nonnulli MSS. et editt. etiam Heun. Doctior quidem est et solennis personarum permutatio, sed h. l. parum placet, ubi tot verba in sing num. iunguntur. — Hunc vero versum et duos seqq. semper putavi alieno loco a librariis positos esse, et post v. 470. legendos. Nunc video, ordinem verborum displicuisse etiam Gonsal. ad Petron. p. m. 81. 82. (ed. Burm. T. II. p. 121.) et Dusaulx, qui tamen vss. 461. 465. 466. post v. 473. ponendos censebant. At illa ratione singula melius, opinor, cohaerent, et mens poëtae planius percipitur.

466. *Emitur his* 46—50. 54. 55. 57. 58. 61—64. 66. 67. 68. 71. 73. 85.

468. *illo tunc lacte* 10. 16. 19. 23.

Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quae mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus coctaeque siliginis offas
Accipit et madidae, facies dicetur, an ulcus?
  Est pretium curae, penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Aversus iacuit, periit libraria, ponunt
Cosmetae tunicas, tarde venisse Liburnus
Dicitur et poenas alieni pendere somni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt, quae tortoribus annua praestent.
Verberat atque obiter faciem linit; audit amicas
Aut latum pictae vestis considerat aurum,
Et caedit; longi relegit transversa diurni,

24. 27. 47. 54. 57. 58. 64. 85. Coof. ad I, 151.

473. *madidae facies* mutata distinctione recepi ex 11. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 25. 27. 28. 45—50. 56—69. 71—74. 77. ut siligo dicatur *madida* lacte asinioo. *Accipit, et facies madidae* (mulieris, pane madido oblitae et unguentis delibutae) *dicetur* cel. 12—16. 20. 24. 26. 54. 55. 71. 75. 76. 82. Sic importunum certe est *et*, si vel pro *etiam* dictum acceperis. — *dicatur* 22. 28. 77.

474. *Est operae pretium* 10. 11. 14—25. 27. 45—50. 54. 55. 57—60. 62. 61—69. 71 72. 73. 77. 85. et multi codd. Paris. prob. Schurzfleisch. et Ach. Ille tamen malebat *Est operae, curas penitus cognoscere*, et vetus Scholion ita legendum putabat: *Est operae*, operae pretium est. Sic est *operae* (scil. pretium) dixere Liv. IV, 8. XXI, 9. Pers. VI, 9. et Plaut. Cas. V, 2. 5. Sed ita non cohaerent reliqua verba poëtae: neque assequor, cur vox *curae* minus quam *operae* (quae vulgaris formula est) placeat, et vetus Scholion (*Est pretium curae*, operae pretium est) mutandum sit. Vox *operae*, non *pretium*, ex glossa irrepsit, et deinde *pretium* a librariis post *operae* positum est, ut metro caverent. Exemplum autem huius locutionis laudavit Hein. ex Plin. Ep. VIII, 6. *Postea mihi visum est pretium curae, ipsum senatus consultum quaerere*; ubi eadem est lectionis varietas.

475. *agitentve* 77,

476. *Adversus* 11. 21. 26. 85. contra mentem poëtae. *pueri tibialia posuit, Cosmetae tunicas*, sc. ut vapulent, conj. H. Vales.

478. *ac* pro *et* 15.

479. *flagellis* pro *flagello* revocavi ex 10. 11. 12. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnibus codd. Paris.

480. *praestant* 11.

483. Versus hic post v. 484. legitur in 11. 12. et, quia idem principium

Et caedit, donec lassis caedentibus EXI
Intonet horrendum, iam cognitione peracta.
Praefectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari et properat iamque exspectatur in hortis
Aut apud Isiacae potius sacraria lenae;
Disponit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humero Psecas infelix nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quaenam est hic culpa puellae,
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera laevum
Extendit pectitque comas et volvit in orbem.
Est in consilio matrona admotaque lanis

habet uterque, excidit e 17. v. ad II, 24. *Adsidue* pro *Et caedit* coniec. Schrader.. *Et caedens* 16. 18. 20. 22—27. 46. 48. 49. 54—69. 71—74. 77. et plerique codd. Paris. *cedens* 47. 85. *caedet* 10. — *repetit* ed. Marshall, nescio qua auctoritate. — *transsumta* 12. *transacta diurni* 25. 27. 46—49. 54—63. 65—69. 71—74. 77. 85. et multi codd. Paris. probb. Ach. et al. Ita dici putant rationes diei transactae. *dici* 67.

485. *Intonat* 16. 25—27. 46—50. 54—67. 71—74. 77—85. — *parata* pro *peracta* 71. et alter cod. Schegkii.

486. *Praefectura domus* 1. 12. 14. 15. 16.28. 31 b. 44. (v. Voss. Gramm. II, 19.) 49. 54. 55. 69. 71. 72. 74—77. et cod. Schegkii, quem vide in Prooem. 5. *Profectura domo* 10. 11. 17—20. 23. 25. 27. 32. 45—18. 50. 56—68. 71. 73. 85. et multi codd. Paris. contra metri leges, unde *Processura domo* emend. Schurzfl. et Ferrettus. v. Voss. l. l. *domo* 11. 17—27. 32. 45—48. 50. 56—68. 71. 73. et alter cod. Schegk.

488. *et* abest ab 23. 24.

490. *Disponit* 1. 12. 58. 59. 70. 75. 76. 77. 82. *Componit* 10. 11. 14—27. 45—50. 54—57. 60—69. 71—74. 85. Nil interest.

490 seq. Conf. Luciani Amor. c. 39. et 40.

491. *Nuda humero* 1. 10. 11. 12. 14. 20. 21. 22. 24. 54. 55. 70. 75. 76. 82. *Nuda humeros* 15—19. 23. 25. 26. 27. 45—50. 56—69. 71—74. 77. 85 et XIX codd. Paris. unde recepit Ach. Coniicere possis *nudo humero* ob seq. *nudis mamillis* aut *nuda humerum*. — *Phecas* 18 a m. pr. 19. 21 a m. pr. 24. 26. 32. 46. 56. 85.

494. *non* pro *quaenam* 16. 85. — *hic est* 23. *est* non exstat in 21. 24. *haec culpa* 45.

496. *plectitque comas* (h. e. complicat et concinnat in annulos) malebat Ruben. Elect. II, 27 et *flectitque comas* Almelov. ut *comam in gradus frangere* ap. Quintil. *cogere nodo comam* ap. Senec. et *flexilis coma* ap. Val. Flacc.

497. *concilio* 85. v. ad 473. — *ma-*

Emerita quae cessat acu; sententia prima
Huius erit; post hanc aetate atque arte minores
Censebunt, tamquam famae discrimen agatur
Aut animae: tanta est quaerendi cura decoris!
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput; Andromachen a fronte videbis;
Post minor est: credas aliam. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium breviorque videtur
Virgine Pygmaea, nullis adiuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta!
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tamquam vicina marito.
Hoc solo propior, quod amicos coniugis odit

terna pro *matrona* 14. 17. 70. 75. 76. ut sit nutrix a matre data. *amotaque* vetus cod. Cadurc. teste Pith. et 85. *materna amotaque lanis* omnino legendum putabat H. Vales. hoc sensu: quae matris lanipendia et ornatrix fuit, sed nunc est *emerita*, veterana, et *cessat*.

498. *cesset* 14.

501. *Atque* 16. 85. — *tanti* 10. 15. 22—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. et XIII codd. Paris. — *quaerendi est* 22. *Tanti anquirendi est cura decoris* MS. liber Schegkii prob Grangaeo, qui et inf. XIV, 223. recte, opinor, legi existimabat, *quae terraque marique Anquirenda putes*, quemadmodum Stewechius ad Veget. infra XIV, 238. *divitias anquirere*, quod probabat Plathner tamquam efficacius. Hae lectiones omnino arridere possunt: nam *anquirere* est circum circa, ubivis quaerere; idemque verbum etiam significat investigare, inquirere, cognoscere in indicio, quae notio h. l. aptissima. Malim tamen *Tanta anquirendi* vel *inquirendi cura* vel *est cura decoris*. At vulgatam non sollicitandam censet Hein. quum *quaerere* saepissime sit *cum cura, magno labore, studio quaerere*, de quo v. Burm. ad Petron. c. 19.

504. *aliam credas* 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. — *cito* pro *cedo* conj. Schrader.

506. *subnixa cothurnis* 77. *adiuncta cothurnis* vetus liber Sciopp. qui in Veris. IV, 10. id multo elegantius esse iudicat confertque verba Cicer. *quis meum generum alligavit gladio?*

507. *in oscula* 77.

508. *interea cura* 15. 16. 27. 46—50 54. 55. 57. 58. 64.

509. *vicina marito* 10. 12. 14. 15. 18. 19. 23—27. 46—50. 54—61. 63—69. 74. 77. et XIV codd. Paris. ex quibus hanc lectionem nunc substitui cum Ach. pro vulg. *vicina mariti*.

vicina marito. Boisson. ad Nicet. V, 297. p. 271. "Sic Longus III. p. 77. 20. ἦν δέ τις αὐτῷ γείτων, III. p.92,67. νέος εἰμὶ καὶ γείτων ὑμῖν ἄμεμπτος, Nicetas l. l. σατράπης αὐτῷ ei VI, 99. αἰχμάλωτος Κρατύλῳ.„

Et servos, gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonae matrisque Deum chorus intrat et ingens
Semivir, obscoeno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa
Iam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia et Phrygia vestitur bucca tiara.
Grande sonat metuique iubet Septembris et Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Vt, quidquid subiti et magni discriminis instat,
In tunicas eat et totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,

511. Nimis abrupta est oratio et unus forte alterque versus excidit culpa librariorum. Verba enim *gravis est rationibus* ne copula quidem reliquis iunguntur, et in extrema huius versus parte repente, sine ulla transitus nota, progreditur Iuvenalis ad aliud argumentum, quodque copiosissime omnium, usque ad vers. 592, pertractatur.

514. *rupta* restitui pro *rapta* ex 25. 27. 46—50. 51—69. 71—74. 77. probante Plathnero, qui tamen quoad sensum ad *genitalia* hanc vocem referendam putabat, non ad *testam* Samiam, quae acuta fuerit. Sed illa notio iam verbo *secuit* exprimitur, e *rupta* s. fracta *testa* etiam acuta esse potest. *fracta* malebat Ramir. ad Martial. III, 81. quod tamen synon. est. *rubra* (sc. Samia) conj. H. Vales.

517. *aut Austri* 16. — *Grande sonat*, forsan grandes ore edit sonos, grandi voce exclamat, more magorum, ut ap. Lucian. Νεκυομ. c. 9. ὁ δὲ μάγος δᾷδα καιομένην ἔχων οὐκ ἔτ' ἠρεμαίᾳ τῇ φωνῇ, παμμέγεθες δὲ, ὡς οἷός τε ἦν, ἀνακραγὼν, δαίμονάς τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐριννύας κ. τ. λ.

519. *xerampelinas* 1. 10—14. 17. 25—28. al. *xerampellinas* 15. *xerapellinas* 23. 45. 60. 65. *xerapelinas* 18. 56. 59. *serapellinas* 16. 19. 24. *serapelinas* 20. 21. *serampelinas* 22. *xylampelinas*, h. e. vestes xylinas s. lineas ampelini coloris, adversante metro conj. Britann. coll. Plin. XIX, 1. — *veteres* 1. 10. 11. 12. 14. 15. 19—22. 25. 26. 31 a. 48. 49. 54—57. 59—63. 65—73. 75—77. 82. 85. et pleri que codd. Paris. *vestes* 16. 17. 18. 23. 24. 27. 28. 45. 46. 47. 50. 58. 64. 74. Non male: nam Archigallum novarum magis, quam veterum vestium fuisse cupidum, quis dubitet? At *veteres* ad modestiam petentis referri potest. — *illi* 22. 24. *donaverit igni* (ut VII, 25. *donare Veneris marito*) indubie legendum putabat H. Valesius. Pulmannus quoque monet, ita legisse Canterum Nov. lectt. III, 6. ubi hanc notam frustra quaeres. Eo tamen respicere videtur nota Voss. ad Catull. p. 168. " Male vulgo haec corrigunt, ac si moris fuisset istis Cybeles sa-

Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida iusserit Io,
Ibit ad Aegypti finem calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in aedem
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius dominae se voce moneri.
En animam et mentem, cum qua Dî nocte loquantur!
Ergo hic praecipuum summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus et grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.

cerdolibus, vestes matronarum *igni* cremare lustrationis gratia.,,

523. *Ter matutino Tiberi mergetur*, ut ap. Lucian. Νεκυομ. c. 7. ὁ μάγος μετὰ τὴν ἐπῳδὴν τρὶς ἄν μου πρὸς τὸ πρόσωπον ἀποπτύσας, — περὶ μέσας νύκτας ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμὸν ἀγαγὼν ἐκάθηρε τέ με καὶ ἀπέμαξε.

524. *Verticibus* 17. 45. 85. recte forsan pro *vorticibus*, quae antiqua est scriptura, ut *vorsus*, *vortere* cet. Falsum certe est, *verticem* dici cuiusvis rei summitatem, κορυφὴν, *vorticem* vero aquam fluvii omnemque aliam rem in orbem actam, δίνην s. δῖνον. Quintil. Inst. Orat. VIII, 2. 7. *Vertex*, inquit, *est contorta in se aqua vel quidquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum pars est summa capitis; et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum*. Idem tamen memorat I, 7, 25. Scipionem Afric. primum fuisse, qui pro *vortice* dixerit *verticem*. Cf. Intpp. Virg. Aen. I, 117. VII, 31. 567. Heins. ad Valer. Fl. VIII, 332. et Cellar. Orthograph. Lat. T. II. p. 85. ed. Harles. — *tumidum* 20. 46—49. 57. 58. 77. — *abluat* 16. 22. 85. *abluit* 54. 58.

Nota Weicherti ad C. Valerii Flacci Argonaut. librum VIII. Misnae 1818. p. 33. 34. est haec: "Scripturam *vortex* antiquioribus, *vertex* recentioribus, Ovidio et qui post eum vixerunt, vindico: in multis enim verbis observare licet, graviorem et sonantiorem eorum pronuntiationem et scripturam transiisse in leniorem suavioremque, atque principem in poëtis et antesignanum esse Ovidium.,,

527. *fines* 26. — *calidasque* 7. 10. 12. 14—22. 24. 25. 27. 29. 45—50. 54—67. 69. 71—74. 85.

528. *in aede* 61. 62. 66. 67. 68. 71. 74.

530. *moveri* 16. 24. 45. 46. 48. 49. 57.

531. *loquuntur* 12. 18. 22. 24. 25. 46—50. 54—60. 62. 65—69. 71—74. 85.

533. *lanigero* 1. 9. 11. 12. 14—24. 27. 45. 85. paucissimi codd. Paris. et duo Pithoei, qui id male probabat. Vetus scholion est: "*lanigero*; sic enim symmystae, quando Osirim quaerunt.,,

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur violato poena cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens;
Illius lacrumae meditataque murmura praestant,
Vt veniam culpae non abnuat, ansere magno
Scilicet et tenui popano corruptus, Osiris.
Quum dedit ille locum, cophino foenoque relicto
Arcanam Iudaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum et magna sacerdos
Arboris ac summi fida internuntia coeli.
Implet et illa manum, sed parcius: aere minuto
Qualiacumque voles Iudaei somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidae pulmone columbae
Tractato, Armenius vel Commagenus haruspex;
Pectora pullorum rimatur et exta catelli,
Interdum et pueri: faciet, quod deferat ipse.

537. *caduceo* 11. 12. 14—20. 23. 24. 25. 27. 45—48. 56. 58. 60—63. 65—69. 71. 72. 73. 85. cod. Pontani, multi codd. Paris. et libri Pulmanni, probb. Autumno, Mancin. et aliis, ut Anubis designetur, qui, ut Mercurius, laeva manu caduceum gerat. Male et contra metrum!

539. *lacrimis* 10. 12. 14—26. 85. *lachrymis* 11. 45. 46. 47. 49. 50. 54—58. 64. 68. 71. 73. 74. 76. — *praestent* 60. 65.

Murmura etiam magica memorantur, ut in Luciani Νεκυομ. c. 7. *ὁ μάγος τὴν ἐπῳδὴν ὑποτονθορύσας*.

540. *culpae veniam* 22.

545. *et summi* 18. 22. 77.

547. Hennin. et alii post *vendunt*, et v. 550. post *tractato* colon ponunt, ut verba *Spondet Amatorem — Tractato* ad praecedd. et Iudaeos referantur. Sed Iudaei h. l. sunt somniorum interpretes, et verba *calidae pulmone columbae tractato* ad haruspicem potius spectant, adeoque cum seqq. iungenda videntur.

550. *Comagenus* 18. 21. 22. 25. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 57. 58. 60. 61. 63—67. ut in plerisque libris Plinii et Taciti. Sed Graecis Κομμαγήνη dici solet.

551. *rimatur et* pro *rimabitur* restitui ex 10. 11. 14—27. 45—50. 51—69. 71—74. 85. et omnibus codd. Paris. Ita certe oratio fit concinnior, copula non omissa. Conf. tamen ad IV, 63. — *catellae* 45. Conf. ad v. 654. *exta catelli Interdum, et pueri* interpungendum putabat C. Vales. propter locum Pausaniae, de quo v. Comm.

Chaldaeis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Praecipuus tamen est horum, qui saepius exsul,
Cuius amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit et formidatus Othoni.
Inde fides arti, sonuit si dextera ferro
Laevaque, si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit et parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericae lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat et patruos; an sit victurus adulter
Post ipsam? quid enim maius dare numina possunt?
Haec tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo laeta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quae dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,

554. *Astronomus* 77. — *credet* 46. 47. 49. 50. 55. 64. *credunt* 85. — *de fonte* 77. *a fronte* 1. 11. 12. 14. 15. 16. 21. 22. 45. 62. 67. 68. 69. 71. 73. 74. 85. quod mireris etiam placuisse Schurzfl. qui exponit: a cornibus, h. e. ex ipso ore. Alii haec verba eo spectare putant, quod Iupiter Hammon nutu et signis responsa dederit, non verbis, ut Apollo Delphicus. Plathnerus credebat, a poëta exotico huic Iovi cornua exprobrari arietina.

558. 559. Ili versus alia manu additi sunt in 8. et in duobus codd. Paris. non exstant.

559. *formidandus* 6. 15.

560. *arti* pro *artis* revocavi ex 10. 17. 20. 21. 22. 25. 26. 27. 46—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. 77. Cf. Ovid. A. A. III, 791. Post *ferrum* interpungunt alii, etiam Hennin.

561. *in* abest ab 22. 15. et *si* ab 85.

562. *indamnatus* 12. 16. 17. 19. 21. 22. 85.

564. *latuisse* pro *caruisse* conj. Schrader.

568. *dare maius* 25. 46—49. 54—56. 58. 59. 60. 64. 65.

569. *Haec eadem novit* emend. Schrader, audacter et invita Minerva. — *minatur* 23. 25. 27. 45—49. 54—60. 65. 85.

571. *Quis* 16. 21. 22. 45. — *menses* 4. 59. 60. 65. — *damno* 10. 15. 25. 27. 46. 47. 48. 50. 54—63. 65—68. 71—74. 77.

In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas; quae nullum consulit, et iam
Consulitur: quae, castra viro patriamve petente,
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari quum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit, spatium lustrabit utrimque
Metarum, et sortes ducet; frontemque manumque
Praebebit vati crebrum poppysma roganti.
Divitibus responsa dabunt Phryx augur et Indus
Conductus, dabit astrorum mundique peritus

573. *seu* 21. 65. — *sucida* 17. 18. *sucina* rectius scribitur. v. ad V, 24.

575. *patriamve* ex emend. H. Vales. recepi pro vulg. *patriamque*. Sic librarii corruperunt loca innumera. — *petenti* 14. 16.

579. *colliria* 17—20. *collicia* 16. *coliria* 27. 48. *colyria* 45. 47. et ita scribendum putabat Grangaeus quoniam vocis origo deducenda sit ἀπὸ τοῦ κωλύειν τὸν ῥοῦν, i. e. a prohibenda fluxione, non ἀπὸ τοῦ κολλᾷν. Neutra etymologia videtur probanda, et κολλύριον dictus forte globulus balsaminus a κολλύρᾳ, specie panis, forsan ovata.

580. *capiendi — cibi* 49. 55.

581. *Petosiris* restitui ex 10. 18. 19. 54. 64. 85. nam Πετόσιρις dicitur Suidae, Plinio, Firmico et aliis: unde tamen suspiceris, syllabam penultimam brevem esse. *Petosyris* editt. tantum non omnes, etiam Hennin.

582—584. Hos versus Bahrdt et alii iungunt cum antecedd. in quibus tamen de muliere agitur, *quae nullum consulit et consulitur*. Equidem malim versus 585. 586. et 587. ante v. 582. legere, ne poëta v. 588 seq. redeat ad plebeias s. pauperes mulieres et eadem fere repetat. — *utrumque* 10. 11. 14—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. 85. et omnes codd. Paris. e quibus illud recte forsan recepit Ach.

583. Hic versus post v. 590. legitur in 85. et *ducit* pro *ducet*.

584. Olim coniiciebam *crebrum ad poppysma roganti*. Sed legendum potius cum Manso *crebrum p. sonanti*.

585. *dabit* 19. 21. 22. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. *responsa feret* 10. 12. 17. 18. 45. — *ac* 10. 12. 45. *Phryx augur et inde* (e Phrygia) *Conductus* cet. 1. 10. 11. 12. 14. 16. 17. 20. 21. 22. 24. 25. 27. 47. 49. 54. 55. 58. 61. 62. 63. 65—69. 71—77. et dimidia pars codd. Paris. sed recent., non improbante Schurzfl. quod mireris. *aut inde* 85.

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
Quae nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto.
  Hae tamen et partus subeunt discrimen et omnes
Nutricis tolerant fortuna urguente labores;
Sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quae steriles facit atque homines in ventre necandos
Conducit! Gaude, infelix, atque ipse bibendum
Porrige, quidquid erit: nam si distendere vellet
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Aethiopis fortasse pater; mox decolor heres
Impleret tabulas, numquam tibi mane videndus.
  Transeo suppositos, et gaudia votaque saepe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso

587. *Atque aliis* 60. 65. 85. — *fulmina* 19.

589. *annum* pro *aurum* male conj. Voss. ad Catull. p. 304. ubi haec adnotavit: " *Longum annum* vocat, quem longum et taediosum faciat frigus. Hanc emend. confirmant sequentia, ubi muliercula ista quaerit, num rectius factura sit, si caupone relicto nubat negotiatori sagario, qui nempe frigus arceat. Sic Martial. X, 5. *Decembrem* vocat *longum*, quem triste frigus extendat.,, Nos potius cum Ach. *nullis* pro vulg. *nudis* substituimus ex emend. Salmasii et Iuvencii. v. Comm.

592. *Haec* 63. 74. v. sup. ad v. 259.

596. *sterilem* 14. 15. 16. 20. 25. 49. 56. 57. 60. 65. — *et quae* pro *atque* 22. et ita emend. Lubin. ut duae, venefica ac nutrix, veneficam *conducens*, notentur. Sed non cepit vim verbi *conducit*. v. Comm.

601. et 656. *mane numquam videndus*, quemadmodum simiis mane conspectis homines metuere, tamquam ὑπὸ πονηρῷ τῷ πρώτῳ καὶ δυσφήμῳ κληδονίσματι, Lucianus dicit ἀποφρ. c. 17. Idem Amor. c. 39. Εἰ γοῦν ἀπὸ τῆς νυκτέρου κοίτης πρὸς ὄρθρον ἂν ἴδοι τις ἀνισταμένας γυναῖκας, αἰσχίω νομίσει θηρίων (turpiores eas putabit esse bestiis, scil. similis) τῶν πρωΐας ὥρας ὀνομασθῆναι δυσκληδονίστων.

602. *semper* pro *saepe* 29. solenni varietate, de qua v. Schrader. Emendatt. p. 14.

603. *delata* pro *decepta* 10. 15. 45.

604. *Pontifices alios* 47. Praestiterit *altos* h. e. maximos. Restitui

Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus: hos fovet omnes*
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis
Secretumque sibi mimum parat. Hos amat, his se
Ingerit utque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est;
Inde animi caligo et magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
Infudit. Quae non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta et fracta compage ruebant,

tamen vulgarem distinct. post *Pontifices*: poëtam enim *Pontifices Salios* dixisse pro Salios summos sacerdotes, quis sibi persuadeat? Omissio copulae *et* dura quidem est, sed in Iuvenale saepius conoquenda. v. ad IV, 63.

606. *blandis* pro *nudis* 77. — Vox *omnes* vel *omnis* aliena ab h. l. videtur: nam non *omnibus* expositis infantibus contingit tam felicibus esse, ut in nobiles recipiantur familias, sed plerique fame pereunt. Praestiterit *alis*. Ex notis Ach. nunc cognovi, eamdem vocem displicuisse Marklando et Dusaulx, eosque maluisse *ulnis*, brachiis.

607. *nunc* 60. — *porriget* 47. 64.

608. *hic se* 46. 48. 56. 59. v. sup. ad III, 39, 10.

609. *atque suos* 11. 12. 15. 16. 18—20. 23. 24. 25. 27. 45—50. 57—63. 65—69. 71—73. et XXXIII codd. Paris. quos secutus est Ach. — *semper* pro *ridens* 7. 11. 12. 14—24. 26. 45. 49. Haud probo; etsi nec verbum *ridens* satis placet, quia modo praecessit *arridens* et *secretum sibi mimum parat*. Displicuit etiam Schurzfleischio, qui suspicabatur, in ant. exemplari fuisse: *utque suos ...... producit alumnos*, et librarios pro lubitu hanc lacunam explevisse.

611. *mentem valeat* 16. 22. *valeant* 25. 49. 54. 56. 57. 59. 60. 61. 63. 65. 66. 67.

613. *animi caligo*, inscitia, stupor et vecordia, ut σκότος et σκοτίζεσθαι.

614. Post hunc versum tres spurii: *Semper aquam portes rimosa ad dolia; semper Istud onus subeas, ipsis manantibus urnis, Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti*, inseruntur in 1. (in quo legitur *Quod rabidum*) 31 a 41. 49. (in quo *rostro* pro *nostro*) et 57. (in quo *rostro Phalari* exstat) nec non in cod. Alexandr. et duobus aliis Paris. A Iuvenalis ingenio non valde abhorrent iudice Ach.

617. *Infundit* 47. 48. 58. 85.

Non aliter, quam si fecisset Iuno maritum
Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinae
Boletus: siquidem unius praecordia pressit
Ille senis tremulumque caput descendere iussit
In coelum et longam manantia labra salivam.
Haec poscit ferrum atque ignes, haec potio torquet:
Haec lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equae! tanti una venefica constat!
Oderunt natos de pellice; nemo repugnet,
Nemo vetet: iam iam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas et nulli credite mensae.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,

620. *fuit* pro *erit* 19.

622. *descendere suasit* 46. 47. 48. 58. 64. 85.

623. *longam manantia labra salivam* pro *longa manantia labra saliva* restitui ex 10. 11. 14. 15. 23—27. 45—50. 54—67. 69. 71—74. 77. 85. et XXV codd. Paris. quoniam illa lectio et doctior est, et maiori auctoritate firmatur, in hac autem tot ὁμοιοτέλευτα aures offendunt. Cf. inf. ad XV, 136. et inpr. Heins. ad Ovid. Met. VI, 312. ubi multis exemplis docet, verba *manare*, *flere*, *pluere*, *stillare*, *rorare* et similia nunc quarto casui, nunc sexto iungi.

624. 625. transpositi in 17.

625. *mistos* 68. 71. 72. 73.

626. *quantum* 12. 45. *quantum venefica* 85. Vulgo male distinguitur: *Tanti partus equae, quanti una venefica constat?* vel *constat.* Sed quocumque modo interpunguntur haec verba, parum placent, et semper putavi, poëtam scripsisse: *Tanti partus equae! tanti una venefica constat!* In qua repetitione voc. *tanti* magna vis inest, ut sup. v. 595. (qui locus similis est) et inf. VII, 31. Nunc video ita legi in 50. et 64. atque ita iam h. l. emendasse Brit. Ascens. Rigalt. Prat. et Schurzfl.

627. *nemo repugnat* 16. 85. *nemo recusat*, *Nemo vetat* 77. Sed ipsa vel dubitatio vel optatio longe venustior est.

629. *quis* 46. 48. 59. 60. 65.

632. 633. a secunda manu additi sunt in 8. et vel omissi in VI codd. Paris. vel a recentiori manu adscripti. Eosdem a pluribus codd. abesse, monent vet. Schol. et Valla. Nec tamen ab h. l. et poëtae ingenio abhorrent. — *Sordeat* 11. unde *Sorbeat* conj. Schurzfl. sed male: nam verbum *mordeat* ad cibos venenatos, et *praegustet* ad *pocula* veneno ferventia spectat. — *illa*, *quae peperit*, noverca, cui proprii sunt liberi, qui ut heredes fiant *amplioris rei* familiaris *privignorum* et *pupillorum*, quorum parentes mortui sunt et noverca tan-

Quae peperit: timidus praegustet pocula pappas.
  Fingimus haec, altum Satira sumente cothurnum
Scilicet, et finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis coeloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia: Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quae deprensa patent: facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos una saevissima vipera coena?
Tune duos? Septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva
Dicitur et Procne: nil contra conor; et illae
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter numos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum et rabie iecur incendente feruntur
Praecipites; ut saxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
  Illam ego non tulerim, quae computat, et scelus ingens

tum superest, *venenum maternum*, a noverca, iis miscetur. Ita recte sententiam poëtae cepit ill. C. de Haugwitz.

633. *tumidus* 11. 46. 48. 49. 77. — *pappas* restitui ex 23. 49. 64. Est Gr. πάππας. *papas* in reliquis libris.

635. *Scilicet egressi et finem* 10. 17. 18. 21. 22. 45. 46. 48. *Scilicet egressi finem* 11. 14. 15. 16. 19. 20. 24—27. 47. 49. 50. 54—60. 64. 65. 85. multo aptius et recte, iudice Schurzfl. qui et v. 637. post *Latino* interrog. notam vulgo poni probabat. Ego minorem distinct. post *cothurnum* delevi.

640. *deprehensa* 15. 27. 63. 64. — *tantum* pro *tamen* conj. Guietus.

641. 642. transpositi in 22.

642. *septem si* 27.

643. *Credatur* 16. — *magicis* pro *tragicis* inepte 4. 14. 16. 21. 26. — *de Colchide torva* 10—24. 27. 45—50. 54. 55. 56. 59—65. 68—71. 73. 74. 85. et plurimi codd. Paris. e quibus hanc lectionem nunc revocavi cum Ach. *torvae* 72. *terra* 77. et paucissimi codd. Paris. *saeva* 1. 25. 26. 58. 66. 67. 75—77. 81. 82. et quidam codd. Paris. quod glossam redolet.

644. *Progne* 13. 17—25. 57. 58. 60. 64—67. 85. sed Gr. Πρόκνη dicitur.

648. *et rabie* restitui ex 14—25. 45. 56. 57. 59—61. 63 65. 66. 67. 74. Copulam *et* eiecerunt Hennin. et alii. Tum certe post *sexum*, non post *monstris* maior distinctio ponenda videtur. — v. sup. ad I, 45.

Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, et, similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellae.
Occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae
Mane: Clytaemnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetae;
Sed tamen et ferro, si praegustabit Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

654. *cupiant* 12. 14. 17. 18. 20—23. 25. 27. 45—48. 56—74. 85. et plurimi codd. Paris. e quibus illud restitui nunc cum Ach. *cupiunt* 15. 16. 49. *cuperent* 77. *cupient* reliqui et quidam codd. Paris. — *catelli* 21. 22. 26. 27. 47. 48. 58. 85. Cf. ad v. 551.

655. 656. Vulgaris verborum distinctio in omnibus libris est: *Occurrent multae t. B. a. Eriphylae: Mane Clytaemnestram nullus non vicus habebit: Hoc tantum* cet. Qua servata vocab. *Mane,* nisi me omnia fallunt, plane ineptum est; quod interpretes vel non sensisse, vel dissimulasse mireris. Hinc conieceram olim *Paene,* quod tamen languet. Postea vidi, non lectionem sollicitandam esse, sed interpunctionem, ut egregia exoriatur sententia. v. Comm. — *Occurrunt* 18. 27. 47. 48. 58. — *tibi multae* 46—59. 54. 58. 64. 85.

656. *Clitemnestram*, *Clitemnaestram*, *Clytemnestram* et *Clytemnaestram* scripsere ceteri editores praeter Ach. Sed dicitur Κλυταιμνήστρα. — v. sup. ad VI, 601.

657. *differt* 16.

658. *Invisam* 7. 13. 19—22. 24. 29. — *et vacuam* 16. — *laeva dextraque* 25. 27. 46—50. 54—65. 68. 71. 72. 73. 85.

660. *praegustavit* 70. *praegustaret* 10. 13—27. 45—50. 54—67. 74. 77. 85. et sic Ach. cuius nota est: "Hanc lect. ex codd. Paris. revocavi. Pauci *praegustavit*: quidam, sed pauciores, *praegustavit*. Dusaulx solus legit *praegustavit*; non male, sed sine auctoritate."

D. IVNII IVVENALIS

AQVINATIS

SATIRARVM

LIBER TERTIVS.

SATIRA VII.

ARGVMENTVM.

Artes et studia foventur tantum a Caesare, a reliquis vero proceribus ita contemnuntur, ut iam doctissimi celeberrimique viri ad vilia quaeque ministeria paupertate adigantur. v. 1—29. *Nobiles enim divitesque Romani* poëtas *admirantur tantum ac laudant, vel carmen sibi oblatum carmine rependunt et ruinosas quidem recitantibus aedes, non vero subsellia quoque aliasque impensas suppeditant.* 30—47. *Nihilo secius multi ad versus faciendos gloriae cupiditate impelluntur, quum tamen mens, nisi expers sit curarum, non facile numine quasi afflari sensusque excelsiores concipere, neque praestantissimi poëtae, si desint Maecenates, vitam sustentare possint.* 48—97. *Non fructuosior nunc est labor* historicorum, *etsi plus temporis, olei ac chartae poscat.* 98—105. *Neque maiora ex ingenti vocis laterumque contentione praemia ac commoda redundant in* causidicos, patronos causarum, *et* iureconsultos, *qui praeterea, ut plebem, hominum ingenia ex cultu et magnificentia aestimantem, alliciant, se divites esse simulant ac nobiles, et ita aere alieno obruuntur.* 106—149. *Omnium tamen ingratissimus est labor et merces vilissima* rhetorum *atque* grammaticorum. *Illi enim continuis puerorum eadem recinentium declamationibus excarnificantur, et, si pueri iuvenesque obtusi ingenii nihil in literis proficiunt, soli in culpa esse dicuntur, nec, ut olim praeceptores, a discipulis coli atque amari, sed derideri vel adeo caedi solent, a parentibus vero, qui magnam vulgo in aedificia et epulas impensam et nullam fere in educationem institutionemque liberorum faciunt, exiguam laboris molestissimi mercedem capiunt: unde perrarum est locupletis rhetoris, qualis Quintilianus fuit, exemplum.* 150—214. *Hi vero,* grammatici, *a quibus non multiplex tantum et perfecta eruditio, sed summa quoque discipulorum cura exigitur, non tantum nihilo plus praemii ferunt, sed etiam parte mercedulae fraudantur eamque vix sine lite obtinent.* 215—243.

Excellentissima Satira, cuius lectio maxime commendanda est iis, qui rem literariam scholasticamque fovere et possunt et debent. Quae enim Iuvenalis de misera studiorum studiosorumque conditione disputavit, ad nostra quoque tempora transferri possunt fere singula; et quam multi haec iam surdis cecinerunt auribus? Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones! *Conditio tamen illa non melior, sed multo peior facta est dominante Napoleone, qui nos* magnae nationi *inseruerat; et nihilo secius felicitatem illorum temporum et Galliae, ter quaterque beatae,* nutriculae causidicorum *bonarumque artium, miris laudibus praedicat Achaintre, novissimus Iuvenalis editor. Nos quidem Galliae non invidemus sua bona neque doctis eius viris Fortunam, quae, teste illo panegyrista, eos sequitur. Idem vero ad finem Sat. haec adnotavit:* „ *Si inter vivos adhuc esset Iuvenalis, grammatici quanto miseriores ipsi viderentur, quibus quatuor vel quinque per menses franci Gallici per annum pro mercede dantur! Attamen, ut vera dicam, et tardius surgunt, quam tempore ipsius, et maturius cubant, et celerius officio funguntur suo.* „

Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camenas
Respexit, quum iam celebres notique poëtae
Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos
Tentarent, nec foedum alii, nec turpe putarent
Praecones fieri, quum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machaerae,
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus, oenophorum, tripodas, armaria, cistas,

1. *Est spes* 60. 65. — *tantum est* 10. 11. 16.

3. *noti celebresque* 11. 14—22. 24. 49. 55. 77.

8. *arca* pro *umbra* 10. 12. 14—17. 18—27. 45—50. 54—69. 71—74. et XXXIII codd. Paris. prob. Grang. ut sensus sit: si componis, ut ait ille, *carmina nullos referentia numos.* Sed nostra lectio exquisitior est et venustior, illa scioli scholastici acumen sapit.

9. *victum nomenque* 16. 21. — *Machaetae* 48. *Macerae* 21. 22.

11. *tripodas* pro *tripodes* revocavi ex 20. 23. 24. — *ripides* pro *tripodes* cod. Thuan. teste Boissonade ad Herodiani Partitt. p. 118. qui hanc lectionem, ne memoratam quidem a nupero editore (Achaintre), omnino recipiendam iudicat, quia plus habeat satiricae venae quam altera. Eadem lectio a me olim in aliquot codd. reperta est et forsan recipienda.

Alcyonem Pacci, Thebas et Terea Fausti.
Hoc satius, quam si dicas sub iudice, Vidi,
Quod non vidisti. Faciant equites Asiani,
Quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes: circumspicit et stimulat vos,
Materiamque sibi Ducis indulgentia quaerit.
Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Praesidia, atque ideo croceae membrana tabellae
Impletur, lignorum aliquid posce ocius, et, quae
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito,
Aut claude et positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos vigilataque proelia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,

Ριπίς, ῥιπὴ et ῥιπίδιον flabellum, unde ῥιπίζειν (al. ψαινύζειν, καταψύχειν), *flabarii* et *flabelliferae*.

12. v. Excurs. ad h. l.

13. *Haec* 11. 45.

15. *et* abest ab 46. 47. 48. Prima syll. voc. *Bithyni* anceps est, ut multae aliae, h. l. brevis, at longa inf. X, 162. *Britani* 19.

16. *Gallica* conj. quidam, quod perperam probavit Rigalt. coll. Gloss. antt. *Galliculae*, τροχάδες.

18. *post haec* 16. 21. 22. 24.

20. *Huc agite* quidam, non improb. Lubino, ut sensus sit: huc vos ad Imperatorem unum, vestrum patronum, conferte, et laborem impendite studiis. — *O* abest ab 27. 47. 48. 58. — *nos* 14. 17. 18. 19 a m. sec. 21. 22. 23. 27. 45. 46. 47. 58.

22. *exspectanda* pro *spectanda* restitui ex 10. 11. 14—19 a m. sec. 20—25. 45. 50. 55. 56. 57. 60—63. 65—69. 71—77. 81.

23. *crocea not. tabella* 75. *crocea membrana tabella* 75. conf. Casaub. ad Pers. III, 10.

24. *ocyus* vulgo scribitur. Sed est Gr. ὠκίων, ὤκιστος, ὤκιστα.

25. *Conscribis* 7. 10. 12. 14. 16—19 a m. sec. 20 a m. pr. 22. 23. 24. 45. et multi codd. Paris. sed interpretamentum seu glossam redolet.

26. *cludo* al. Cf. ad III, 19.

28. *sella* malebat Vales. in Valesianis p. 181. ubi monet, honestiores olim Romae in lectulis, tenuiores in sellis sedentes scripsisse. Sed Romanos olim omnes scripsisse et legisse iacentes in lectulo lucubratorio (*Studierbett*), nec nisi docentes sedisse in hemicyclio, iam monuere Visconti ad Pio-Clementin. T. III. p. 18. et Bottiger in Sabina p. 29. 30. ed. pr.

Vt dignus venias hederis et imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit iam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Vt pueri Iunonis avem. Sed defluit aetas
Et pelagi patiens et cassidis atque ligonis.
Taedia tunc subeunt animos, tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus.
  Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum et Apollinis aede relicta.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos; aut, si dulcedine famae
Succensus recites, maculosas commodat aedes:

30. *didicit nam* 13. 22. 23. 25. 27. 46—50. 55—60. 64. 65. 69. *nam. didicit* 16· *didicit nunc* 24.

32. *si defluit aetas* conj. Schrader.

34. *nunc subeunt* 13. 20. 22. *nunc—nunc* 17.

35. *ac nuda* 24.

36. *nunc* pro *tunc* revocavi ex 14—20. 25. 27. 45—50. 56—63. 65—74. 77. *Adspice nunc artes* malebat Schrader.

37. Alii maiorem distinct. ponunt post *colis* verbaque *et Musarum et A. ae. r.* cum seqq. iungunt.

38. *facis* et *cedis* malebat H. Vales.

39. *et si* quidam codd. et edd. recentt. *sed si* 16. *at si* 15. 24 a m. sec. 24. 25. 45. 49. 50. 54—57. 59—63. 65—69. 71—74. tres codd. Hafn. et XX Paris. quos secutus est Ach. *aut si* 10. 17—20. 22. 23. 27. 46 47. 48. 58. 64. tres codd. Hafn. et quidam Paris. e quibus hanc lect. nunc restitui pro vulg. *et si*.

40. *Incensus* 24. *Contentus* 23. — *recitet* perperam, ni fallor, emend. Lindenbrog. et Schrader. — *Maculonus* 10. 11. 17—24 a m. sec. 25. 27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 73. et quinque codd. Hafn. *Maculonis* 12. 14. 15. 16. 24 a m. pr. 26. 56. 70. 74—77. 82. Vetus scholion est: *alii sordidas aedes; alii pictas.* Ad quam glossam Schurzfl. bene haec notavit: "*Maculatas* forte legit, si recte emendatus est. Pithoeus edidit, *Alii sordibus dixit, alii pictas.* Possis etiam *illitas sordibus*. Emblema vermiculatum alii, puto, ceperunt *maculas*, et exposuerunt *pictas*. Cf. Casaub. ad Theophr. p. 173." Sed *maculosas* ingeniose emendavit Heinrich, cuius annotatio est: "Aliena ab re vulgata, et *Maculonis*, quia patronus hic noster *commodat*, ad recitandum, honoris causa, concedit, aedes suas ipsius, non conducit alienas; et *Maculonus*, nam quum praecesserit *Ipse*, quo *iste*, *quem colis*, satis signatus videri debet, ipsum fautoris nomen tam sero positum aliquid inepti habet: nolo dicere, plane esse inauditum hunc hominem. Auget multo magis dubitationem memorabile scholion, quod aperte demonstrat, olim hic, ante omnes, puta, qui hodie exstant, libros longe diversam lectio-

Haec longe ferrata domus servire iubetur,
In qua sollicitas imitatur ianua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis et magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constent,
Et quae conducto pendent anabathra tigillo,
Quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sulcos
Ducimus et litus sterili versamus aratro.
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes et aegro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta,
Hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus silvarum aptusque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare sub antro

nem fuisse. Priora eius verba integritati sic restituenda: *alii sordidas textis* sc. aranearum, nisi hoc vocincuria obliteratum est. Itaque lectum antiquitus fuit *maculosas.* ,, Hoc recepi, tamquam longe praestantius vulgato, quamvis non undique tutum videri possit ab omni dubitatione. v. Comm.

41. abest ab 11. *Ac* 10. 14. 15. 17 —25. 27. 45—50. 54—69. 71—74.

45. *constant* 11—22. 24.

46. *anabatra* 17. 19. 21. 22. 49. *anabetra* 75. *anabaethra* 76. *anabethra* legit Vales. in Valesianis p. 208. Sed Gr. ἀνάβαθρα dicuntur, et recte Schol. vetus,. cuius glossa ad hoc verbum, non ad *subsellia* spectat: A Graeco tractum, i. e. subsellia, super quae altius sedeatur, gradus superiores scansiles. ,,

49. *sterilique in pulvere sulcos Ducimus et litus tenui versamus aratro* 11. quae lectio valde arridebat Schurzfl. qui allusum putabat ad Virgilianum *in tenui labor* Georg. IV, 6. — *tenui* pro *sterili* 27. 46—50. 54. 55. 57. 58. 61—67. 71—74. *sterili littus* 15.

51. *insatiabile* 13. 24.

52. *cacoethos* legendum putabat Ascens. — *et in aegro* 19. *atque aegro* 19. *aegroque* 11. 12. 13. 18. 21. 23. 24. 45. *aegre* reponendum esse non dubitabat Graev. ut sensus esset: difficulter et vix umquam scribendi carmina cupiditas expellitur. Sed vulgata lectio haud dubie praestat. — v. sup. ad 1, 45.

56. *nescio* 27. 46—49. 51—58. 64.

Pierio thyrsumve potest contingere sana
Paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, quum dicit Horatius, Euoe!
Quis locus ingenio, nisi quum se carmine solo
Vexant et dominis Cirrhae Nysaeque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?
Magnae mentis opus nec de lodice paranda
Attonitae, currus et equos faciesque Deorum
Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer et tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. Poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus.

non improb. Maittariu, ut syll. *ne* corripiatur ante literam *s* liquescentem, vel antipodia admittatur.

60. *thyrsumque* 1. 18. 23 a m. sec. 45.—*sana* plerique libri, quos sequutus sum, 10. 11. 15. 17. 19—27. 45—50. 54—69. 71—74. plerique optimique codd. Paris. forte et vetus Schol. qui ita h. l. interpretatur: "insanire pauper non potest aut moveri ad scribendum, quia familiaribus rebus consulere cogitur: dicunt nam, nisi insanum, poëtam esse non posse.„ *saeva* 7. 14. 16. 18. 21 ad marg. 29. prava, sed facili aberratione. *moesta* 12. 13. 70. 75. 76. 77. 82. et quidam codd. Paris. quae indocti hominis emendatio esse videtur.

62. De voe. *Euoe* v. Excurs. ad h l.

64. *Nisae Cyrraeque* 21. *Cyrrhae* in plerisque codd. et edd. etiam Hennin. et *Nisaeque* in quibusdam legitur. Sed Κίῤῥα et Νῦσα dicuntur.

65. *Pectora nostra* (ut *nos* sup. v. 48.) 7. 10. 14. 15. 16. 19. 23. 24 a m. sec. 25. 26. 45. 49. 50. 54—69. 71—74. 77. et plerique codd. Paris. e quibus nunc hanc lect. substitui cum Ach. etsi bene etiam habet vulg. *vestra*, ut Iuvenalis poëtas alloquatur. — *voces* pro *curas* 27. 46. 47. 48.

68. *confundit* 15. *confudit* 11. 16. —*Erinnis*, *Erinis*, *Erynnus* al. Sed Ερινύς dicitur.

69. *deest* 10. 11. 14—18 a m. sec. 19. 20. 22. 23. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et plerique codd. Paris. Emendatio scholasticorum, metro timentium.

70. *hydrae* 77.

71. *bucina* 17. 20. 21. 22. quae scriptura rectior est, sed in optimis codd. non reperitur.

72. *Rubeus* 16. *Rubienus* 24. *Rabienus Lappa* conj. Dorleans, ut designetur poëta quidam, qui propter amarulentum ingenium *Rabienus*, et *Lappa* ob mordacitatem dictus sit.—*Lapa* 46. 47.

73. *albeolos* 2. *albiolos* 3. 5. 14—25. 27. 45—49. 54—66. 72. 77. et X

Non habet infelix Numitor, quod mittat amico :
Quintillae quod donet, habet; nec defuit illi,
Vnde emeret multa pascendum carne leonem
Iam domitum: constat leviori belua sumtu
Nimirum, et capiunt plus intestina poëtae.
Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano tenuique Saleio
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam fecit quum Statius urbem
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur; sed, quum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille et militiae multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?

codd. Paris. Illud Valla, hoc Mancinellus et Lubinus probarunt. Ille interpretatur tabulas lusorias, hi vero tabulas scriptorias, easque *albas* s. *albeas*, h. e. gypsatas. Neutra lectio probanda, et utraque orta ex vulgari permutatione literarum *V* et *B*, de qua v. ad Sil. VIII, 473. et 543. — *pignorat* 27. 48

77. *belua* 17. 19. 60. 64. Vulgo *bellua*. v. ad IV, 121.

78. *cupiunt* 14.

79. *iaceat fama* 26. *taceat* 11. 12. 23 a m. pr. 24.

80. v. Excurs. ad h. l.

81. *tantalibet* 11. — *est* non exstat in 12. 16. 20. *nisi gloria tantum* 20.

83. *fecit quum* recepi ex 14. 15. 17. 18. 19. 46. 47. 48. 50. 58. 61—68. 71—77. *cum fecit* 10. 12. 20. 21. 23 —27. 45. 49. 54—57. 60. 70. *cum facit* 16. *facit cum* 22.

85. *Allicit* laudavit Heins. ad Ovid. ex Ponto III, 35. sed haud dubie memoriae vitio.

87. *ni* 21. 22. *Paridine vendat* 11. vitiose pro *Paridi ni v.* — *Agavem* 64.

88. *honores* 15. — *largitus* emend. Schrader, offensus omissione copulae *et*, quam potius excidisse post *Semestri* vel, quod Iacobs putat, post *honorem*, suspicari possis. Vid. tamen ad IV, 63.

89. *militiae multis largitur honorem Semestrem, vatum* cet. emend. Ruben. Sed exquisitior vulgata lectio. Vt dignitas Tribunorum semestris fuit, ita et insigne.

91. *Bareas* 10. 11. 14—25. 27. 45.

Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Maecenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis,
Pallere et vinum toto nescire Decembri.
  Vester porro labor fecundior, historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis atque olei plus;
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, et multa crescit damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus iubet atque operum lex.
Quae tamen inde seges? terrae quis fructus apertae?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.
  Dic igitur, quid causidicis civilia praestent
Officia et magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant, sed tunc, quum creditor audit,

—50. 54—69. 74. 77. et Sueton. in vita Iuven. quos sequutus sum, quia cum *Camerinos* iungitur. *Baream* 70. 75. 76. 82.—*cwa* malebat Schrader.

92. *Philomena* 18. 19. 21—24. 27. 45—49. 55.

91. *Moecenas* et *Mecoenas* al. v. ad I, 66.

95. *Cocta* 17—20. 22. 23. 24. 45. 46. 48. 59. 64. 62.

96. *nunc utile multis Pallere* cet. 67. 68. 71. 73. 77. et ed. Raphel. a. 1600. quod vulgo explicatur: nunc studiorum utilitas omnis huc redit, ut *palleas*, curis conficiaris et vino abstineas vel in ipso Decembri, in quo Saturnalium tempore omnes, etiam continentissimi, genio indulgere solent: vel, nunc discendum, sive utilissimum est, esurire et abstinere vino. H. Valesius exponit: *nunc utile multis*, poëtis scilicet, etiam optimis, aquam bibere hyeme ineunte ac frigore saeviente.

97. *toto vinum* 10. 12. 13. 16. 18. 24. 45.

99. *petitur plus* 56. 59. 60. 65.—*aut olei* 16. —*Petit hoc* Lemaire. T.

101. *Talibus* 20.—*multum* 21. *multa crescit* pro *crescit multa* recepi ex 11. 23. 24. quia gratius est auribus.

102. *operis* 77.

105. *ignavum est quod* 22.—*tecto* pro *lecto* 10. 12. 14—20. 23—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et cod. Put. a m. sec. Non male; sed nostra lectio et concinnior est (nam notio *tecti* vel aedium iam continetur voce *umbra*), et admodum probabilis fit ex locis simil. Horatii et Ovidii.

106. *praestant* 10. 12—17 a m. pr. 18. 19. 21. 22. 24. 27. 45. 47. 48. 51. 55. et pars maxima codd. Paris.

108. *tum* 11.—Οἶον ἦν τὸ μέγα.

Praecipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet, hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernae.
Consedere Duces: surgis tu pallidus Aiax
Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Iudice. Rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmae.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas

κεκραγέναι καὶ ὀχληρὸν εἶναι καὶ θρασύν; Οὐ τοῖς δικαιολογοῦσι (causidicis) μόνοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς εὐχομένοις τοῦτο χρήσιμον, Lucianus in Timone c. 11.

109. Plathner emend. *si tetigit latus*, admonuit, ut *tangere cubitu* ap. Cicer., *acrior ille* scil. pragmaticus, causidicorum quasi posticus et suggestor.

112. *verum* 60. 65. Non male! *Ipsi magna sonant—verum deprendere messem* cet. sed nullus inde ad eos fructus redundat. At *veram* maiorem habet vim.—*deprehendere* 12. 15.

114. *solium* (i. e. cathedram Lacernae grammatici aut rhetoris recitaturi) emend. H. Valesius. *russati* vel *Russati* in omnibus legitur libris, et scriptis et editis, nisi quod *rus sati* vel *Sati* divisim exhibent 11. 14. 15. 16. 21—24. 30. (in cuius marg. notatur, *Sati* esse nom. propr. aurigae) 33. et quidam codd. Paris. prob. Grangaeo et Calder. Ille coll. III, 231. *rus lacertae* dici putabat rus, in quo reponatur lacerta, adeoque brevissimum: hic ita interpretatur h. l. "non conferas omnes villas, sed unum tantum rus, atque id breve (nam *lacerta* est brevis mensura terrae sup. III, 231.) *Attici Sati* Equitis Rom. qui eloquentiam in foro numquam exercuit.„ Sed quis sibi persuadeat, poëtam *rus lacertae Sati*, et hoc sensu dixisse? Nec probabilior aliorum sententia, qui rus s. villam divitis Romani, cui *Sato Lacertae* nomen fuerit, significari credunt. Perperam quoque *rus Sisapone lacertae* conj. Beroald. in lib. Adnott. ut sensus sit, *rus lacertae* h. e. exiguum, non in Italia, sed in provincia, et quidem longinqua (nam *Sisapo* opp. Hispaniae Baeticae), tantumdem valere, quantum patrimonia centum causidicorum.—*Lacernae* 1. 12. 14. 15. 16. 70. 75. 76. *Lacertae* 10. 11. 17—25. 27. 30. 93. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes fere codd. Paris. quae lectio nata forte ex III, 231. ad marg. scripto.

115. Sic in Luciani Piscat. c. 24. Καθίσατε δ' οὖν· σὺ δ', ὦ Διόγενες, λέγε.

116. *dubia de l.* 16.

117. *Rumpe tensum iecur*, ut in Luciani Επισκοπ. c. 21. πόθεν οὖν ἂν ἐκεῖνοι δυνηθεῖεν ἀκοῦσαι, ἣν καὶ σὺ κεκραγὼς διαῤῥαγῇς;

119. *vatis pretium* 16. *premium* 21 a m. pr.—*ficus* pro *siccus* MS. ant.

Pelamydum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi,
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenae.
  Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex foedere pragmaticorum.
Aemilio dabitur, quantum licet, et melius nos
Egimus: huius enim stat currus aeneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus et statua meditatur proelia lusca.

Canteri, prob. Scriverio, qui *ficus* etiam causidicis olim dooo fuisse datas monet coll. Martiali IV, 46, 10.

120. v. Excurs. ad b. l.

121. *Tiburi* 17 a m. sec.

122. Nonnulli verba, *si quater egisti*, ad praecedd. referunt, et post *egisti* διαστίζουσι. Non male! Vox *quater* etiam ad qustuor muouscula, modo memorata, spectare potest.

123. *Tibi* pro *Inde* conj. Schrader —*in foedera* 16. 64. *in foedere* 10. 11. 12. 14. 15. 17. 19—24. 27. 45—50. 54. 55. 56. 59—63. 65. 68. 69. 71—74. 77. Bahrdt colon ponit post *partes*, et puoctum post *pragmaticorum* positum tollit, ut h. l. sententia sit: Si contigit aureus unus, ille non integer datur causidico, sed dividitur: nam Aemilio pro conducta pragmaticorum opera, quantum *petit* sive postulat, dandum est.

124. *petit* pro *licet* 11. 17 a m. sec. 24. 45. *petet* 7. 10. 14—17 a m. pr. 18—23. 25. 26. 27. 46—50 54—69. 71—74. 76. et plerique codd. Paris. e quibus illud restituit Ach. Vetus Schol. "Qui boc, loquit, pacto quintas acciperet, io pretium consiliatorum (f. consultorum) clientum.„ Hinc Schurzfl. suspicabatur, eum non male legisse, *Aemilio dabitur quintum, ut petet,* boc sensu: Tu quater egisti et vix unum extorsisti aureum, quum pauper sis: venit Aemilius, nobilis causidicus; ille quintum agit, nec satis bene, non certe tam bene, quam tu egeras, et accipit, quantumcunique poscet, quia scilicet tria nomina habet. Idem tamen Schurzfl. lectionem *quantum petit* vel *petet* probabat, et illud *quantum licet* Satirici credebat menti disconvenire. Ego potius vix dubito, quin hoc, tamquam difficilius nec minus aptum, omoioo a poëta, illud vero a manu emendatoris profectum sit. v. Comm. Pro *et* malim fere *ut*, h. e. quamvis, vel ut ut, quomodocumque, de quo vid. Gronov. Obss. III, 6. *Aemilio dabitur, quantum licet* (vid. Comm.), *ut*, quamvis, *nos*, pauperes causidici ac patroni, *melius egimus*, peroravimus causas: *huius enim stat* cet. An potius, puncto post *licet* posito, legendum *at*, et mox *enim* dictum pro *enimvero*? Hoc probavit Ach.

125. Manso haec adootavit: "*Si* forte excidit ante *Egimus*, ut sensus sit: Aemilio dabitur merces, quantam per leges licet, utpote patrono nobiliori ex maiorum insignibus clariori, *etsi* nos melius causam diximus.„—*aheneus* 25. 49. 57. 60—63. 65—68. 71. 72. 73. v. sup. ad III, 285. *albi* suspicari possis: currui

Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet et vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum iuvenes longo premit assere Medos,
Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit
Causidicum; vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, et facie maioris vivere census.
Sed finem impensae non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos

enim triumphali quatuor iungebantur albi equi. Sed epitheton *alti* exquisitius est. v. Comm.

129. *Matho deiicit* conj. Lubin. et Manso. Sed v. Comm.

132. *Moesos* non male emend. Lips. Epist. Quaest. IV, 25. quoniam Medi et Parthi a Romanis non subacti, et lecticarii plerumque fuerint robustissimi servi ex Moesia vel Syria. Huic coniecturae favet alius Iuvenalis locus infra IX, 142 seq. ubi v. not. Pro *Moesis* facile substitui poterant *Medi*, quoniam hi librariis notiores erant, et diphthongi raro leguntur in antiquis codd. Sed vulgata etiam lectio defendi potest. Nam *Media* tam lato poëtis sensu dicitur, ut Assyriam quoque aliasque Asiae regiones complectatur. Praeterea *Medi* vel *Maedi* etiam Thraciae populus. Ad *Medos* vero utrum *iuvenes*, an *pueros* referas, nil interest.

133. *Emturos* 49. 55. 61. 62 63. 67. 71. 73. *Emturus puero crystallina, murrhina, villas* leg. Rigalt. Cf. VI, 155. 156.—*murrina, myrrhina, myrrina, mirrhina, mirrina* et *mirina* al. v. sup. ad VI, 156.

135. *Attamen* 45.—*illis est* 14. *est ipsis* 12- 16. 45. *hoc ipsis est* 25. 27. 46—50. 54—63. 65—69. 71—74. 77.

138. *finem non servat impensae* 12. Versum parenthesi includendum putabat Schrader.

139. *Vt redeant veteres* (h. e. quamvis in vitam redeant veteres illi iique summi oratores Romanorum, Crassus, Hortensius, Antonius, Cicero et alii) pro *Fidimus eloquio* 10. 11. 13—21 a m. pr. 22—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et dimidia pars codd. Paris. Quae lectio, si non vera, certe profecta est ab ingenio non indocti hominis, explentis lacunam codicis sui. Nostra tamen lectio etiam bene se habet (cf. ad v. 150.), et firmatur auctoritate Prisciani. Heinrich et h. l. et VIII, 7. (quem versum non obelo confodiendum putat, sed diversa examinandum trutina) nec non VIII, 147. 151. et 167. (quibus locis diversae in libris scripturae reperiuntur, *Lateranus* et *Damasippus*) ipsius poëtae, scripta sua in autographo retractantis eorumque novam quandam διασκευὴν instituentis post primam recitationem, operam haud obscure sibi videtur animadvertere.

Nunc dederit numos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit haec primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quam Cossus agebat,
Quam Basilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te
Gallia vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguae.
Declamare doces? O ferrea pectora Vecti,
Quum perimit saevos classis numerosa tyrannos!
Nam quæcumque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Proferet atque eadem cantabit versibus isdem.

141. *hoc* 10. 11. 22. 25. 27. 45—50. 56—65. 68. 71—74. 77.

142. *an post te sella* 2. 3. 4. 11. 18. 21. 25—27. 57. 58. 70. 75. 76. *post te an sit sella* 5. 27. 46. 47. 48. 50. 55. 56. 59—69. 71—74. *post te sit sella* 49. 54. *sit post te sella* 10. *an posita sella* 12. 14. 15. 17. 19. *posita an sit sella* 22. 45. et cod. vet. Rittershus. prob. Sciopp. Verisim. IV, 10. *posita est an sella* 13. 20. 21.

143. *Antepedes* fuere qui mallent. v. Comm.

144. *Cossus* 10. 11. 14. 15. 17—25. 27. 45—50. 51—69. 71—74. 77. et omnes fere codd. Paris. quos sequutus sum. *Gallus* 70. 75. 76. 82. —*habebat* pro *agebat* 21.

146. *flentem Basilo* 10. 25. 27. 45—50. 54—69. 71. 72. 73. 77.—*deducere* 10—25. 27. 45—50. 54—58 60. 61 65.

147. *feret* 16. 21.

149. *imponere* 10. 11. 17—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. Sed *ponere praemia* docte dicitur, ut Gr. τιθέναι ἄεθλα, pro proponere, statuere, constituere.

150. *Vecti* 14—25. 27. 45—50. 55—58. 60. 61. 63. 64. 65. 67—69. 71—74. ut in optimis libris Plin. XXIX, 1. Hinc *Vecti* scripsimus, ut secundus sit casus, non quintus. *Vectii* 62. 66. *Victi* 59. *Vetti* vel *Vetti* in reliquis, etiam Hennin. et Ach.— In omnibus, quotquot vidi, libris ita distinguitur. *Declamare doces, O ferrea pectora Vecti, Quum* cet. vel *D. doces, O f. p. Vetti; Quum* cet. Sed poëta, ni fallor, eodem orationis colore usus est, quo sup. v. 139. *Fidimus eloquio? Ciceroni nemo* cet. Ita et exquisitior vividiorque est dictio, et melius cohaerent, quae sequuntur. Rei gravitatem et permotionem animi declarant interrogatio et responsio addita eaque exclamatione expressa. *Declamare doces?* Rhetor es? vel rhetorem te esse profiteris aut gloriaris? *O ferrea* sint necesse est *pectora Vectii, quum* cet.

153. *Proferet* revocavi ex 23 a m.

Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color et quod sit causae genus atque ubi summa
Quaestio, quae veniant diversae forte sagittae,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod laeva in parte mamillae
Nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet;
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat Vrbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.

sec. 24. 25. 27. 47. 50. 54—58. 60—68. 71—74. 77. et omnibus codd. Paris. *Proferat* 16. *Perferet* alii, etiam Hennin. quod ab h. l. alienum, certe minus aptum videtur, neque explicatum ab iis, quibus probatur. —*vocibus* 16.

154. *Cambre* vel *cambre* 1. 2. 3. 5. 10. 11—20. 23. 24. 27. 45—49. 55. 69. 70. omnes MSS. Paris. et codex Pincier. cuius v. Parerg. IV, 5. Hanc lect. defenderunt Calder. et Scoppa Collect. II, 2. p. 66. ut h. l. designetur inscriptio declamationis de *Cambro*, Scytharum rege, cuius meminit Diodorus, vel de *Cambria* s. Cambro-Britannia (hod. *Wales*), vel de oppido in Troade aut vico ad radices Gauri montis. Haec etiam Pithoeo arrisisse mireris. Exagitat ea Politian. Miscell. c. 33.

155. *Qui* 73.—*aut quid* 45.—*aut ubi* 26. 45.

156. *diversae parte* 49. *adversa parte* 16. *diversa parte* 10. 11. 15. 18—22. 25. 27. 29. 45—48. 50. 54—74. 77. *diversa e parte* 7. 14. 17. *diversa a parte* 24. Recte, opinor, et sic quoque emend. Lindenbr. Sed *diversae sagittae* exquisitius forsan dictae pro: quae a diversa vel adversa parte veniunt.

157. *Scire* 50. 61. 62. 63. 65—68. 71—74. 77.—*volunt* 10—28. 45—50. 51—69. 71—74. 77. Vtrumque probavit Lindenbrog. at *velint* exquisitius est.—*reddere nemo* 23.

159. *papillae* suspicari possis coll. loco Plinii, in Comm. laudato, et quia Fulgentius Mythol. II, 9. legit *si laeva parte papillae*, nisi hic memoriter locum laudavit, quod Hein. auspicatur. Sed nil interest.

161. *Quoque* 20.—*durus* (h. e. cuius nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, ut utar verbis Livii XXI, 4.) suspicari possis coll. Horat. Od. 11, 12, 2. ubi v. interpp. Sed epitheto *dirus* major h. l. vis inest, ut ap. Horat. Od. III, 6, 36. et IV, 4, 42. ad quae loca v. Mitscherl.—Post *implet* et *cohortes* v. 161. vulgo puncta ponuntur. Ego post *implet* distinctionem reposui minorem. Neque tamen magnopere repugnarem, si maior ei substitueretur, sublato puncto post *cohortes*, ut apodosis esset: *quantum vis stipulare* cet.

Quantum vis stipulare, et protenus accipe, quod do,
Vt toties illum pater audiat. Haec alii sex
Vel plures uno conclamant ore Sophistae,
Et veras agitant lites, raptore relicto;
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quae iam veteres sanant mortaria caecos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, et vitae diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe haec merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.

Balnea sexcentis et pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit. Anne serenum
Exspectet spargatque luto iumenta recenti?
Hic potius: namque hic mundae nitet ungula mulae.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat et algentem rapiat coenatio solem.
Quanticumque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condat.
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,

166. *Ast alii sex Et plures* 10. 11. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. unde haec recepit Ach.—Forte leg. *Ast alii sex Et plures* cet.

167 *cum clamant* 27. 46. 47. 50. 58. *declamant* 45.

175. *Latissima* 11. *laetissima* emend. Schurzfl. ut εἰρωνικῶς dictum sit pro: haec merces tanta est, ut de ea accepta laetandum sit. Immo, uberrima, largissima, ut *laeta flumina*, *segetes* cet. apud Virg. et al. Non male, quoniam mox *lautorum* sequitur.

179. *Vectetur* 24.

180. *Exspectent spargantque* 15. *spargatve* praestiterit.

185. *Componet* 15. *Componit* 14. 18. 20. 21 a m sec. 22. 25. 46. 48. 49. 51. 56. 57. 59—63. 65—69. 71—74. 77. et multi codd. Paris sed recentt.—*veniat* 58.—*condet* 18. *docet* 45. *condat* h. e. faciat (a *condere*, non condire), 15. 19. 24 27. 47. 58. 64. et optimi codd. Paris. unde illud nunc pro vulg. *condidit* substitui cum Ach. Dura certe h. l. est modorum variatio.

Vt multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. Vnde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix et pulcer et acer;
Felix et sapiens et nobilis et generosus
Appositam nigrae lunam subtexit alutae:
Felix, orator quoque maximus et iaculator;
Et, si perfrixit, cantat bene. Distat enim, quae
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.
Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae,
Sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenae,
Nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.
Di, maiorum umbris tenuem et sine pondere terram,
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
Qui praeceptorem sancti voluere parentis

191. *est nobilis* 11.

193. *ioculator* 7. 47. 48. 84.—v. sup. ad VI, 449. 450.

194. *Etsi* una voce scribendum crediderim, ut sensus sit: quamvis sit raucus, tamen bene declamat. — *discat* 16. *dictat* 84. non improb. Schradero.

195. *accipiant* 27. 47. 48. 54. 58. 64. 66.

196. *ex matre* 11.

197. *fies de consule rhetor*, et v. 198. *fies de rhetore consul* 10. 16. 21. 25. 46. 48. 49. 55. 56. 57. 59.

197. 198. Conf. sup. ad III, 39, 40.

199. *an* 19. 20. 22. 45. — *aliquid* 47. 48. 58.

201. *triumphos* recepi ex 11. 12. 14—22. 24. 25. 27. 45—50. 55—69. 71—74. 77. *triumphum* 70. 75. 76. 82.

202. *colvo* 11. Mendum h. l. latere suspicabatur Schurzfl.

205. *Carinatis* 45—47. 50. 56. 60. 65. 74.

206. *ausae donare* 22. — *cui ferre* conj. Schrader.

Esse loco..... Metuens virgae iam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: et cui non tunc
Eliceret risum citharoedi cauda magistri?
Sed Rufum atque alios caedit sua quaeque iuventus,
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi doctique Palaemonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc,
Quodcunque est (minus est autem, quam rhetoris aera),
Discipuli custos praemordet Acoenonoëtus,
Et, qui dispensat, franget sibi. Cede, Palaemon,
Et patere inde aliquid decrescere, non aliter, quam
Institor hibernae tegetis niveique cadurci,
Dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro;
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, quum totus decolor esset
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quae cognitione tribuni
Non egeat. Sed vos saevas imponite leges,
Vt praeceptori verborum regula constet,

210. *magnus Achilles* 22.

212. Quidam pro signo interrog. perperam ponunt punctum, ut *cui* ad Achillem referatur.

213. *Ruffum* 25. 27. 47. 49. 57. 58. 61—68. 71. 73. 77. *Rutum* 23. — *quemque* 11. 14—17. 20. 21. 22. 72.

215. *Enceladi* restitui ex 11. 17. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. *Encheladi* 10. 14. 15. 16. 18. 20—24. 45. *Hencheladi* 19. *Celadi* 70. 75. 76. 82. Quod tamen ex his nominibus Grammatico et quidem celebri fuerit, non constat.

217. *minor* 21. — *certe* pro *autem* 22. *multo* pro *autem* 26.

218. v. Excurs. ad h. l.

219. *franget* 11. 14. 17—20. 23. 25. 26. 27. 46. 47. 48. 57. 58. 59. et XV codd. Paris. Restitui illud nunc cum Ach. pro vulg. *frangit*.

222—224. absunt a 19. *ne pereat* 10 20. 21. 22. 60. 65. — *umbra* pro *hora* 7. quae vera forte lectio est, certe elegantior.

223. *sedebat* 10, 11. 12. 14—18. 20—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77.

225. *ne pereat* 10.

229. *leges imponite saevas* 16. 19. *scaevas* 49.

Vt legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitosque suos; ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Vt si quis cera vultum facit: exigite ut sit
Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum
Observare manus oculosque in fine trementes.
Haec, inquit, cures, et, quum se verterit annus,

233. *Cum* 20. — *plebi balnea* 60. 65. In *thermis balneisque* ita delectabantur viri nobiles et opulenti, arcessitis hominibus doctis; ill. C. de Haugwitz.

234. *patriam nomenque* 45.

235. *Anchemoli* recepi ex 25. 27. 46. 47. 48. 50. 56—60. 64. 65. 77. Serv. et plerisque libris Virg. Aen. X, 389. v. Comm. *Archemoli* 45 a m. sec. *Anthenoris* 16. *Archemori* in reliquis libris.

236. *Siculis* 75. *Siculi* 76. prob. C. Vales.

238. *in cera* 15. *cerae* Casaub. ad Pers. V, 40.

240. 241. Valla et alii monent, hos versus non legi in codd. suis et spurios esse. Exstant tamen in 8. omnibusque libris ab Ach. et me collatis. Laudantur etiam a Servio ad Virg. Ecl. III, 8. et propter obscenitatem haud dubie a monachis quibusdam deleti sunt.

241. *patrantes* pro *trementes* conj. Durantius Casellius Var. Lect. I, 9. et alii coll. Pers. I, 18. ubi v. vet. Schol. et Casaub. Sed vulgata lectio non est sollicitanda.

242. *curas*, *et* 10. 12. 14—22. 24. 26. 27. 45—49. 54. 55. 58. 61. 65. 66. 70. *curas*, *sed* 23. *cura*, *sed* 82. *cures*, *et* 11. 25. 50. 56. 57. 59—63. 65. 67. 68. 69. 71—77. Hos sequutus sum: semper tamen, fateor, mihi displicuit *inquit*, propter praec. plur. *vos imponite* cet. v. 229. et *exigite* v. 237. Nunc video Schurzfleisch. bene haec adnotasse: " *At vos*, *Haec cura*: *sed quum* cet. in Cod. meo. Recte; vel saltem *Inquitis*, *haec cura*. Sed prior lectio elegantior est et plane satirica, utpote qua obiectioni praeceptorum, *Non est leve* cet., nihil aliud respondere finguntur parentes, quam *Hoc cura*, de mercede videlicet non sollicitus: *sed quum* annus praeterlapsus est et magistri salaria repetunt, indignabundos ait eosdem dicere, *Accipe aurum* cet.,, Recte, opinor; et facile ex illa lectione, *At vos*, *Haec cura*: *sed quum* cet. reliquae nasci poterant. *Inquitis* enim vel *inquit* glossa fuit, verbis *At vos* adscripta, quae deinde in textum irrepsit, extrusis illis verbis. Illa vero, *victori populus quod postulat*, videntur poëtae ipsius verba esse et

Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

parenthesi includenda. H. Valesius legendum putabat *Haec*, *inquam*, *cures*, ut poëta alloquatur grammatices professorem, vel potius *Haec*, *inquis*, *curas*, i. e. haec omnia curas, inquis, aut respondes mihi, grammatice.

SATIRA VIII.

ARGVMENTVM

Quid refert, nobilem esse et originem a summis ducere viris, si male vivitur, noctisque tempus extrahitur alea et epulis? v. 1—12. *Quo iure maiorum gloria insolentius se iactat, qui avaritia et mollitie labem ei adspergit?* 13—18. *Sola nobilitas est virtus; et qui animi bonis morumque probitate excellit, vir patriae utilis, is profecto, quodcumque illi sit nomen ac genus, dignus est, qui in nobilium referatur numerum et de quo, tamquam raro cive, rei publicae gratulemur.* 19—30. *Qui vero praeter titulos nihil habet, quo gloriari possit, non re vera generosus est, quamvis speciosum ferat nomen, quod turpibus quoque rebus eoque indignis per ludum nonnumquam et iocum damus.* 30—38. *Nemo potius stolidior eo, qui, quum nihil ipse praeclari fecerit, cur vere nobilis sit censendus, natalium splendore inflatur hominesque obscuro loco ortos campano supercilia despicit.* 39—46. *Horum enim multi sunt utilissimi rei publicae cives, qui vel de iure respondent ipsasque indocti nobilis causas agunt, vel operam in re militari praestant: at ille, qua est ignavia et stupiditate, a trunco seu statua non differt, nisi quod vivit et spirat.* 46—55. *In brutis quoque animalibus non genus spectatur, sed virtus, et generosus appellatur equus, qui alios cursu superat; qui vero degener est et ignavus, vili pretio redariis venditur aut molitoribus.* 56—67. *Quodsi igitur admiratione et laude nostra dignus videri cupis, operam da, ut ipse egregiis eam facinoribus merearis, neque omnia debeas maioribus, vel totus ex eorum gloria pendeas, similis tecta, quod subductis columnis corruit, vel viti, quae, nisi ulmo alligatur, humi iacet et marcescit* 68—78. *Esto bonus miles, tutor, iudex; et, si vel tyrannus tormentorum metu falsum tibi testimonium extorquere conabitur, cave ne vitam praeferas virtuti bonaeque conscientiae, quibus amissis ne dignus quidem es, qui vivas.* 79—86. *Provinciam si aliquando obtinueris, cogita, quaeso, quae praemia te maneant, si bene, quae poenae, si male eam administraveris, neque avaros imitare praesides, qui provincialibus olim omne, quo abundabant, aurum, argentum, ebur et marmor per vim eripuere, et nunc ne viliores quidem res atque ad vitam sustentandam necessarias iis relinquunt.* 87—112. *Impune quidem diripies imbelles et luxu effeminatas gentes; sed cave saltem, ne magnam bellicosis iniuriam facias, quibus auro argentoque spoliatis arma*

certe supersunt. 112—126. *Si neque tu ipse, neque uxor et comites tui quidquam rapiunt vel pecunia corrumpuntur, facile patiar, te originem tuam, a quocumque velis, repetere: si vero libidinose socios et crudeliter tractas, eo notiora omnibus et manifestiora sunt flagitia tua, quo illustriore loco natus es.* 127—141. *Quare vero nobilitatem tuam praedicas, si sceleribus eam polluis?* 142—145. *Lateranus, quum consul esset, noctu et summo magistratu deposito medio die aurigabat frequentabatque popinas, ubi ab unguentariis, cauponibus et scortis blande excipiebatur, versabaturque cum sicariis, nautis, latronibus, carnificibus et fabris: quae flagitia pueris et adolescentibus condonanda sunt, non viris, nedum summo loco natis; qui tamen id sibi licere putant, vel adeo laudi ducunt, quod in vilissimae conditionis hominibus damnant poenaque dignum censent.* 145—182. *Turpiora etiam his committunt nobiles et, consumtis per luxum opibus, alii operam scenae addicunt mimorumque agunt partes, alii ad ipsas gladiatorum artes descendunt, et nunc quidem sponte, non, ut olim, coacti a Nerone citharoedo.* 183—199. *Quin eo impudentiae progrediuntur, ut in arena ab omnibus cognosci cupiant et hinc Retiarii esse velint; qui soli ex gladiatoribus nudo vultu pugnant.* 200—210. *Vera nobilitas a virtute, non a titulis et generosa stirpe pendet, nec quisquam dubitabit, Senecam, virum ignobilem, sed bonum, praeferre Neroni Imperatori, qui matrem, uxores, sororem, fratrem aliosque propinquos occidit, in theatris cantavit et Troica scripsit.* 211—230. *Catilina et Cethegus nobilissimi fuere viri, sed patriae perdendae consilium inierunt, quam interitu vindicavit Cicero consul, novus homo, qui pacis artibus plus gloriae, quam Octavius victoria Actiaca et Philippica adeptus est, primusque decreto Senatus* Patris patriae *cognomen accepit.* 231—244. *Marius, alius Arpinas, qui mercenarius olim arator alieni agri et miles gregarius fuit, vicit Cimbros praesensque a re publica periculum propulsavit, adiuvante quidem Catulo, viro nobilissimo, qui tamen non triumphasset, nisi ignobilis collega, duobus sibi oblatis triumphis, uno contentus fuisset.* 245—253. *Decii, plebeii et humili familia geniti homines, pro patria se devoverunt, et haec piacula, propter personarum dignitatem, averruncandae Deorum irae suffecere* 254—258. *Servius, captiva natus, regnum adeptus est et bonorum regum ultimus fuit.* 259—260. *Filii contra Bruti, primi consulis, cum aliis adolescentibus nobilibus de patria eiectis regibus prodenda coniuraverunt, et servus rem ad Patres detulit.* 261—268. *Praestat itaque humili loco natum esse et virtutibus excellere, quam maiorum gloriam vitiis flagitiisque contaminare.* 269—271. *Quicumque vero vel antiquissima stirpe orti sunt, ab ignobilibus certe aut sceleratis adeo hominibus genus ducunt.* 282—275.

Satira nobilissima et perfectissimis poëtae nostri carminibus adnumeranda. Ea praeclare docuit, veram nobilitatem non veteri prosapia et multis imaginibus, sed virtutibus magnisque in rem publicam meritis contineri; idque exemplis exquisitissimis illustravit. Simile argumentum tractavit Horatius Sat. I, 6. sed ratione longe diversa. Quid intersit inter Horatium et Iuvenalem, iam bene ostendit Koenig de Sat. Rom. p. 71. his verbis: « Apud illum omnia sermonis naturalis filo procedunt, unumquodque sponte nasci ex antecedentibus, aut sine studio oblatum videtur, nihilque fere nisi turbato omnium ordine potest omitti: hic primum minus circumspecte vitium a fronte aggreditur, deinde in vitiis et opprobriis nobilitatis undique colligendis desudat eaque, ut hiatum qui-

dem non animadvertas ullum, aliqua ratione inter se consociat et copulat; apparent tamen, ut in opere composito et nondum dolato, partes earumque commissurae, nullaque adeo cum toto cohaeret, ut non aut alium locum obtinere, aut omnino abesse possit. Hoc materiae parandae et coacervandae nimio, quod declamandi consuetudini tribui potest, studio omisso, in partibus exprimendis mira est Iuvenalis sollertia, ut in hac re vel cum Horatio certamen ei non fuisset perhorrescendum. » — *Scripta est haec Satira post mortem Neronis, in quem v.* 193. *et* 211—230. *acerbius invehitur poeta, quod eo vivo non ausus esset facere. Conf. sup. I,* 169. 170. *Praestantissima eius versio est Germanica Denisii* (Iuvenal an Ponticus vom wahren Adel, übersetzt unde erlaäutert vom Denis. *Wien u. Leipzig* 1796.), *quam cum illa conferri cupio. Boileau Despreaux hanc satiram fere ad verbum expressit Sat. V, sed longe Iuvenali est inferior; Ach.*

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri pictosque ostendere vultus
Maiorum et stantes in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
* Corvinum, posthac multa contingere virga

1. *Schemata* perperam emend. Alciat. de verb. signif. lib. IV. et Parerg. II, 30. probb. Voss. Inst. Or. V, 1. et Grang.

2. *pictos* 11.13. 17—22. 24. 15.

4. *dividuos*, h. e. fissos, malebat Nicol. Heins. — *humerosque minorem Corvinum* 8. 9. 14. 70. 75. 76. 82. et IX codd. Paris. *nasuque minorem Corvinum* 26. *nasumque minorem Corvinum* 7. 29. *nasumque minorem Corvini* 10. 11. 12. 15—25. 27. 15—50. 51—69. 71—74. 77. et XXVI. MSS. Paris. Male! nam *naso carentem* mox sequitur. *humeroque minorem Corvinum* reposuit Prat. offensus forte plurali *humeros*. Sed is pro sing. positus, ambiguitatis quoque vitandae causa, et doctior est, ut et quartus casus. v. Comm.

5. *Gallum* 29.

6. *Qui* 50.

7. Hic versus legitur in 1. 8. 9. 14. 37. 43. 70. 75—77. et XXVIII MSS. Paris. sed abest ab 10—13. 15 —27. 31 b. 45—50. 51—69. 71—74. et VII codd. Paris. Primus eum revocavit Lipsius, qui in Epist. Quaest. IV, 15. monet, illum non de trivio esse et ad rem aptissimum. Conf. ad VII, 139. Mea qualicumque sententia nullum fere verbum non in eo suspectum est: unde asterisco a me notatus et eiectus ab Ach. *Corvinum* modo memoraverat poëta; vocab. autem *posthac* alienum est ab h.

Fumosos Equitum cum Dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus et Euganea quantumvis mollior agna;
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum:
Praecedant ipsas illi te Consule virgas.

l., ne dicam ineptum; praelerea pro *contingere*, quod non nisi in 1. exstat el glossam redolet, in reliquis libris legitur *deducere*, ex quo commodam haud facile elicies sententiam; denique hoc versu deleto nihil est, quod desideretur vel nos offendat.

8. *Famosus* 24. *Famosos* 10—13. 15—23. 25. 27. 28. 45—49. 54—60. 65. et plerique codd. Paris. Mancinellus exponit illustres, Ascensius gloriosos et optimae famae, pessime Calderinus infames. Sed vulgata lectio longe melior.

11. *Ante matutinos—ortus* 21 a m. pr. 26. et multi codd. Paris. adversante metro. *Ante Numantinos—ortus* 12. 15—25. 27. 45—49. 55—59. 61. 62. 63. 65. 66. 67. 71. 73. et plerique codd. Paris. probb. Valla et Mancin. *ortu* 68. 69. sed puncto post *pernox* posito, non post *Numantinos*.

14. *cupidus sit* 16. 27. 47.

17. *traducit* 1. 14. 15. 47. 50. 61—76. et cod. Pul. *producit* 2. 5. 7. 10 11. 16—19. 23—26. 29. 45. 46. 48. 49. 55—60. 65. 77. et codd. Paris. fere omnes. *perducit* 12. *producat* 15. 20. 21. 22.

18. *ostendit* pro *funestat* 21.

20. *est sola* 27. 46. 47. 48. 54. 60. 65. prob. Maittario, ut nihil duabus vocibus *sola* et *unica* intersit praeter copulam.

21. *Paulus et Cossus et Drusus* 11. *aut Cossus, aut Drusus* 17. utrumque contra metrum. *vel Drusus, vel Cossus* 16. — *moribus es tu* (h. e. si tu es moribus Paulus cet.) legendum putabat H. Vales.

23. *Procedant* 27. 46. 47. 48. quod ab h. l. alienum est, etsi de solenni Consulum pompa adhibetur, qua primo initi magistratus die ex aedibus suis in Capitolium deducebantur; unde et dictae processiones Catholicorum Romanensium. Cf. sup. ad I, 39. in Comm.

Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi
Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris?
Agnosco procerem. Salve, Gaetulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine! rarus
Civis et egregius patriae contingis ovanti.
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et praeclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Aethiopem cycnum, pravam extortamque puellam
Europen: canibus pigris scabieque vetusta
Levibus et siccae lambentibus ora lucernae
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli
Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tamquam

24. *Prima tibi debes animi bona* conj. H. Vales. ut poëta sine interruptione loquatur, non vero v. 21—28. Virtus loquens inducatur, et v. 29. seq. poëta suo nomine.

26. *Getulice* vulgo male scribitur. Nam Γαιτοῦλοι dicuntur, a quibus devictis cognomen accepit Lentulus.

27. *quorumve* non male conj. Schrader. Sed v. ad IV, 63.

31. *est* pro *et* 60. 65.

33. *cygnum* 17. 18. 19. 60. v. ad VI, 165.—*pravam* 16. 17. 20. 23. 33.

34. *Europam* 10. 15. 16. *Europem* 18. 19. 20.

35. *Levibus*, non *Laevibus*, 60. 64. Recte. v. ad II, 12.

36. *tigris*, *pardus*, *leo* 25. 56. 57. 59. 60. 64. 65. Suspicari possis, *et* post *leo* inserendum esse ex 22 et 45. vel *seu* pro *si* leg. cum Schradero. Conf. tamen ad IV, 63.

37. *fremit* 11. 17. 20. 21. 25. 27. 46—48. 50. 54—69. 71—74. 77. et multi codd. Paris.—*in terra* 17.

38. *metuas* 16. 27. 47. 48. 58. — *ne sis tu* 11. *ne tu sic* (eadem irrisione, similiter per risum) vel *ne sic tu* scil. sis aut dicaris, non male emend. Iunius. Illud etiam conj. Schrader et recepit Prat. — *ac Camerinus* malebat Schrader.

39. *Hic* 71.—*est* non exstat in 48.

40. *Blande* restitui ex 1. 10. 11. 12. 15—24. 26. 27. 28. 45—49. 54. 55. 70. 75—77. et plurimis MSS. Paris. *Blance* 58. *Plance* 25. 50. 56. 57. 59—69. 71—74. *Plaute* reposuere Grang. et Hennin. ex emend. Lips. ad Tacit. Ann. XIII, 19. ubi conf. Ryckius, qui eam in dubium vocavit. In locis tamen Taciti, quos in Comm. laudavi, libri tantum non omnes patri dant *Blandi*, et filio

Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Vt te conciperet, quae sanguine fulget Iuli,
Non quae ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis;
Ast ego Cecropides. Vivas et originis huius
Gaudia longa feras; tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.
Hic petit Euphraten iuvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius; at tu
Nil nisi Cecropides truncoque simillimus Hermae.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
  Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet et exsultat rauco victoria Circo.

Plauti cognomen. — *tumens* 57. 59. — *Drusorum sanguine* 40. 44. 47. 49. 20. 23. 25. 26. 27. 45—50. 54—67. 71. 72. 73. et XXV codd. Paris.

43. *sub aëre* 41. 46. 49. 24. 27. 45—50. 55. 58. 61—64. 66. 67. 69. 71—74. quod Britann. et Farnab. interpretantur: sub dio, Flavius autem Coniect. c. 43. in atrio, ubi mulieres olim textrinam exercebant.

46. Εὐγενέστερον τοῦ Κέκροπος ἢ Κόδρου dixit Lucianus in Timone c. 23.

47. *gente* pro *plebe* 29.

48. *invenias* 46.

49. *venit et de* 12. 23. 45. — *gente* pro *plebe* 4. 7. 16. 47. 49—22. 26. Vtrumque forsan rectius, indice etiam Schradero. Vulgo distinguitur: *indocti, veniet* cet. prob. Hein. v. ad IV, 63. — *togatus* emend. Scriver.

51. *Britanni* pro *Batavi* in quibusdam libris, nescio quibus, teste ac prob. Bahrdt. Id omnino arridere potest propter rationem, in Comm. memoratam, et propter victorias, ab Agricola, summo illius aevi duce, ex Britannis relatas. Sed vulgata quoque lectio non plane spernenda est et omnium, quod sciam, librorum auctoritate firmatur.

57. *putat* 40. 45—47. 27.

58. *cui facili* 42. *facili qui* 46. 47. 48. *facilis cui* ed. Pral. ut sensus sit: qui velocitate sua multas facile victorias parat. Sed vulgata lectio exquisitior, nec *palma* h. l. victoria est.

Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis:
Sed venale pecus Corythae posteritas et
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Vmbrarum: dominos pretiis mutare iubentur
Exiguis, tritoque trahunt epiredia collo
Segnipedes dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores,
Quos illis damus et dedimus, quibus omnia debes.
Haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
Tradit et inflatum plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa

62. *Corithae* 17. 18. 19. 25. 27. 48. 56. 57. 59—70. 74. 77. *Choritae* 20. *Corinthe* 11. 58. *Corythae* plerique exhibent libri, et vulgo putant, id equae generosissimae nomen esse, inditum ei vel a *Corytho* monte (hod. *Monte Corvo*), ubi enutrita sit, vel a *Corytho*, Etruriae oppido, quod et *Cortona* vocatur. v. Heyne Exc. ad Virg. Aen. III, 170. Sed ita potius leg. *Corythi* vel, quia duae priores syll. h. l. producuntur, *Cortonae*, de cuius tamen generosis equis haud quidquam legere memini. *Coryfe* 1. vel ex emend. Schurzfl. *Coryfaei* Vet. Schol. est: "*Coryfeorum* (vel *Coryphaeorum*) equorum in Achaia prima nobilitas fuit.„

63. *Arpini* 20. *Harpinnae* conj. Farnab. quod est nomen equi curulis Oenomai ap. Lycophr.

64. *Nil tibi* 45. 60. 65.—*gloria nulla est* 13. 16.

65. *dominos mutare*, ut μεταβάλλειν τοὺς δεσπότας in Luciani Επισκοπ. c. 20.

66. *trito et ducunt* 24. et *trito d.* 13. *tritoque* 10. 12. 14. 15. 19. 25. 26. 46. 47. 48. 50. 54—59. 71—74. 77. *trahunt* 15. 25. 46. 48. 50. 56. 59—69. 71—74. 77. Vtrumque recepi, ut oratio lenius fluat. *trito ducunt* 16. 17. 18. 20—23. 45. 49. 70. 75. 76. 82. prob. Hein. Cf. ad IV, 63. *ducuntur* 47. 58. *vehunt* 26.—*epiredia* rectius, quam *epirrhedia* et *epirhedia*, scriptum in 17—20. 23—25. 27. 46—48. 57. 58. 61—63. 66. 67. 71. 72. 74. 76. nam Romani, ut verbis Quintil. Inst. Or. I. 5. 58. utar, *fecere hanc vocem ex utraque aliena, ἐπὶ Graeca et reda* (v. ad III, 10.) *Gallica*.

68. *privum* conj. Salmas. ad Solin. p. 61.

69. *possis* 24.—*inscribere* 77.

70. *ac* 10. 12. 14—17. 19—24. 45. *aut* 18.—*dabimus* pro *dedimus* legendum putabant Markland. et Dusaulx.

71. *vobis* 48. *stemma* pro *fama* conj. Iacobs.

73. *sensus ferme* 15. 23.

Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futurae
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famae,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. Ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aëno.
Exspectata diu tandem provinoia quum te
Rectorem accipiet, pone irae frena modumque,
Pone et avaritiae; miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,

75. *sic tu ut* 19. *si tu nihil* 13. 20. 22. *nil* 45.

84. *causam* 26.

85. *tantum* vel *secum* pro *centum* conj. Schrader.

86. *toto Cosmi* 24—*aheno* 25. 27. 46. 47. 49. 57. 58. 60—69. 71—74. v. ad III, 285.

90. *videns* aut *vide* (considera eos esse) legendum putabat H. Vales.— *rerum* 75.—*exsucta* 1. 12. 17. 70. 75—77. 82. et pauci quidem, sed optimi codd. Paris. *exusta* 3. 5. 18. 24. 27. 46. 47. 48. 58. *exuta* 2. 10. 13. 15. 16. 20. 21. 22. 29. 45. *exausta* 14. 19. 23. *exhausta* 25. 26. 49. 50. 54—57. 59—69. 71—74. Sed nostra lectio exquisitior est, haec glossa videtur.— Οἱ δὲ τὰ ὀστᾶ γυμνώσαντες ἀκριβῶς καὶ περιτραγόντες, εἴ τις μυελός ἐνῆν, ἐκμυζήσαντες καὶ τοῦτον εὖ μάλα ἐπιμελῶς, ᾤχοντο, αὖον αὐτὸν καὶ τὰς ῥίζας ὑποτετμημένον ἀπολιπόντες, Lucianus in Timone c. 8.

93. *Numitor* 1. 12. 21—24. 47. 58. 70. 75. 76. 77. 82. *Tutor* 11. 14—20. 25. 26. 45. 46. 48—50. 54—57. 59—69. 71—74. et X codd. Paris. quos secutus est Ach. Quaenam lectio praeferenda sit, non constat; et neutrs forsan probanda est. Romanarum certe rerum scriptores, quod sciam, neque Numitoris, neque Tutoris mentionem faciunt, qui Ciliciae praefuerit: Iulius certe Tutor, Trevir, de quo nonnulli h. l. cogitarunt,

Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futurae
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famae,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. Ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aëno.
Exspectata diu tandem provinoia quum te
Rectorem accipiet, pone irae frena modumque,
Pone et avaritiae; miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,

75. *sic tu ut* 19. *si tu nihil* 13. 20. 22. *nil* 45.

84. *causam* 26.

85. *tantum* vel *secum* pro *centum* conj. Schrader.

86. *toto Cosmi* 24—*aheno* 25. 27. 46. 47. 49. 57. 58. 60—69. 71—74. v. ad III, 285.

90. *videns* aut *vide* (considera eos esse) legendum putabat H. Vales.— *rerum* 75.—*exsucta* 1. 12. 17. 70. 75 —77. 82. et pauci quidem, sed optimi codd. Paris. *exusta* 3. 5. 18. 24. 27. 46. 47. 48. 58. *exuta* 2. 10. 13. 15. 16. 20. 21. 22. 29. 45. *exausta* 14. 19. 23. *exhausta* 25. 26. 49. 50. 54—57. 59—69. 71—74. Sed nostra lectio exquisitior est, haec glossa videtur.— Οἱ δὲ τὰ ὀστᾶ γυμνώσαντες ἀκριβῶς καὶ περιτραγόντες, εἴ τις μυελὸς ἐνῆν, ἐκμυζήσαντες καὶ τοῦτον εὖ μάλα ἐπιμελῶς, ᾤχοντο, αὖον αὐτὸν καὶ τὰς ῥίζας ὑποτετμημένον ἀπολιπόντες, Lucianus in Timone c. 8.

93. *Numitor* 1. 12. 21—24. 47. 58. 70. 75. 76. 77. 82. *Tutor* 11. 14—20. 25. 26. 45. 46. 48—50. 54—57. 59—69. 71—74. et X codd. Paris. quos secutus est Ach. Quaenam lectio praeferenda sit, non constat; et neutra forsan probanda est. Romanarum certe rerum scriptores, quod sciam, neque Numitoris, neque Tutoris mentionem faciunt, qui Ciliciae praefuerit: Iulius certe Tutor, Trevir, de quo nonnulli h. l. cogitarunt,

Piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Quum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Praeconem, Chaerippe, tuis circumspice pannis,
Iamque tace. Furor est, post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus et modo victis.
Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
Numorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor: rarae sine Mentore mensae.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos.

ripae Rheni, non Ciliciae, a Vitellio Imp. praefectus. v. Tac. Hist. IV, 55. *Sutor* 10. *Tuto* 65. *tutor* conj. Plathner, ut disignetur tutor provincialis, qui in municipiis fuerit, quod Romae tribunus pl.

95. *eripiet* 19 a pr. m.—*Nacta* 19. 23. 24. 49. 50. 58. 64. *Nata* 18. 21. 45. 46. 61.—*relinquit* 16. 61.

96. Hic versus ante v. 95. legitur in 7. 10. 12. 14. 17—27. 45—49. 54. —60. 65. et omnibus fere codd. Paris. *Praetorem Chaerippe* cet. male emend. Plathner hoc sensu: Praetorem, licet illum adspicias in pannis tibi ereptis praesidentem, accusare supersede.

97. *pendere* 47. 48. 58.

98. *nec* 14—20. 23. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74.

101 *et Spartana* 23.—*Choa* 17. 19 —22. 24. 27. 45—48. 50. 58. 64.

104. *Polycleti multus labor*, πόνος, multa opera labore perfecta.

105. Vera forte lectio *Dolabellae atque* cet. quumque librarii ignorarent, tres Dolabellas fuisse praesides direptoresque provinciarum, ab aliis repositum *Dolabella e.* (est) *atque*; ab aliis *Dolabella atque*: nam *est* non exstat in 9. 10. 14—20. 23. 24. 26. 27. prob. Plathnero. De quo hiatu v. sup. ad I, 151. *Inde Dolabellas atque hinc* emend. Scaliger. Interpunctio post *Verres* ve retineri potest (v. Comm.), vel tolli: *hinc Antonius*, *inde* (propterea, vel ex his et illis terris) *S. Verres referebant* cet. Manso conj. *Inde Dolabellae statuae*; *hinc Antonius*, *inde Sacrilegus Verres referebant* cet. Sed ὁμοιοτέλευτα in verbis *inde Dolabellae statuae* aures offendunt, neque permutatio illa lectionum tam facilis est, quam illi videtur.

107. *Occulta et spolia* 50. 64. 74. Sed syll. finalis, per se brevis, sequentibus duabus tribusve consonis, modo corripitur, modo producitur. v. sup. ad VI, 109. Hiatus quoque Iuvenali frequentes. v. ad I, 151.

Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripiatur agello;
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in aedicula Deus unicus: haec etenim sunt
Pro summis; nam sunt haec maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthon:
Despicias merito. Quid resinata iuventus
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant urbem Circo scenaeque vacantem.
Quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
Quum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus et miseris. Tollas licet omne, quod usquam est
Auri atque argenti; scutum gladiumque relinques
Et iacula et galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia: verum

108. *iuga parva* 16. 19. 26.—*boum et grex* 27. 46. 47. 48. 50. 59—69. 71. 72. 73.—*equorum* 18.

109. *eripietur* 10. 11. 14. 16—20. 23. 25. 26. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. omnesque codd. Paris. quod restituit Ach. Sed *eripiatur* est exquisitius. *eripiuntur* 22. 24.

110. *signum est* 16.

111. 112. Versus forte spurii. v. Comm.

112. *despicies* 59.

113. *imbellis* 22.—*Corinthon* pro vulg. *Corinthum* recepi ex 14—17. 20. 21. 45. 49. 60. 65. quae doctior scriptura ipsi poëtae, non librariis tribuenda videtur. *Corithon* 19. 22. *Corynthon* 24.

114. *Despicies* 19.—*quid resinata* 2. 10. 11. 12. 14—21. 23. 26. 27. 47. 48. 54. 58. 70. 74—77. 81. 82. Recte! *quid enim resinata* 22. 45. 46, 50. 61—69. 71. 72. 73. *nam quid resinata* 24. 25. 49. 55. 56. 57. 59. 60. 65. Non defuere, qui alterutrum probarent, decepti prava lectione Martial. III, 67, 2. Sed syll. priores voc. *resina* producantur ubivis. Hinc Raderus ad Martial. l. c. emend. *nec resinata.*

117. *Illyricique latus* legit N. Heins. ad Ovid. Her. XII, 27.—*et* abest a 16.—*istis* 21. *ipsis* 20.

118. *Qui saturant turbam*, h. e. plebem Romanam, corrig. Dorleans.—*circis* 14. 17. 20. 21.

123. *relinques* pro *relinquens* restitui ex 11. 14—21. 24. 27. 45—50. 54. 55. 56. 59—63. 65. 68. 71—74. 76.

124. *iacula* 12. 14—20. 25. 45—50. 57—63. 65—69. 71. 72. 73.

125. *verum est. Credite* cet. 75. 76.

Credite me vobis folium recitare Sibyllae.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conventus et cuncta per oppida curvis
Vnguibus ire parat numos raptura Celaeno:
Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipsumque Promethea ponas:
De quocumque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas claramque facem praeferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quae fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
   Praeter maiorum cineres atque ossa volucri

82. Ego *verum Credite* revocavi ex 10—27. 45—50. 54—74. 77.

126. *recitasse* 22. 24. 28.

129. *nec cuncta* 25. 27. 45. 46. 48—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. *ne cuncta* 47.

130. *parat* 13—24. 27. 45—50. 59—65. 68. 71. 72. 73. 77.—Η Χαρικλεία, ἡ πολλοὺς ἤδη νέους ἐκτραχηλίσασα,—οὐκ ἀνῆκεν ἐκ τῶν ὀνύχων, ἀλλὰ περιέχουσα πανταχόθεν καὶ διαπείρασα cet. Lucian. Toxaris c. 14.

131. *Tum* 11. 14. 17. 18. 21. 22. 45. *Tu* 20—*a Pico numeres genus*, ut ap. Theocrit. XVII, 27. Ἀμφότεροι δ' ἀριθμεῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα.

132. *delectent* 13.—*Titanida turbam* vel *pubem* conj. Schrader coll. Virg. Aen. VI, 580.

133. *pones* 25. 46—49. 51—60. 65. *pingas* 10. 13. 14. 17. 20. 21 a m. pr. 22.

135. *ambitus* 7. 10—27. 29. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et plerique codd. Paris. quod recepit Ach. ob gratiorem auribus sonum, et quia aptior h. l. sit *ambitus*, Gall. *intrigue*, *cabale*.

141. *quanto, qui peccat, maior habetur* 10.

Carpento rapitur pinguis Damasippus, et ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul:
Nocte quidem: sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Quum fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet et occursum numquam trepidabit amici
Iam senis, ac virga prior adnuet, atque maniplos
Solvet et infundet iumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas torvumque iuvencum
More Numae caedit Iovis ante altaria, iurat
Solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas.
Sed quum pervigiles placet instaurare popinas,
Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae,

147. De *Damasippo* vid. Excurs. ad h. l.

148. *stringet* 11. *stringit* 15. 16. 21. 22—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74.

152. *nusquam* 10. 14. 15. 21. 22. 23. 26. 46—50. 54. 55. 56. 59. 60. 62. 65—69. 71—74.

153. *hac virga* 19. *et virga* 22.—*annuit* 16. *innuet* 18. 46. 48. 49. 56. 60—63. 65. 68. 71—74. 77. *innuit* 25. 57. 66. 67. *iuvet* 59.

155. *furvumque* et *probumque* quidam.—*iumentum* 16.

157. *Eponam* 1. 70. 75. 76. 81. 82. Cf. Turneb. Advers. XXIV, 4. et Comm. *Hippo* 2. 50. 64. 74. *Hipponam* 61. *Hypponam* 23 a m. sec. *Hipponam* 12. 49. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73. Non male; sed metri leges adversantur. Hinc vox *Solam* eiecta videtur ex 16. 61. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73. ex aliis vero altera litera *p*. Inde *Hiponam* 18. 25. 55. 56. 57. 59. 60. 65. *Hyponam* 10. 15. 16. 27. 45—48. 54. 58. *Yponam* 14. 17. 19—24. Quae lectiones etiam in MSS. Paris. reperiuntur. *Hippo* vel *Hippona* memoratur in rariss. nummo ap. Seguin. select. numism. p. 12. et diversa forte numina fuere *Epona* atque *Hippona*, e quibus illa asinis praefuit (dicta ab ἐπὶ et ὄνος), haec vero equis, τοῖς ἵπποις.

159. 160. in 22. et 23. ita coaluere: *Obvius adsiduo Syrophaenix incola portae*. Error inde natus, quod voc. *Syrophaenix* bis legitur. v. sup. ad II, 24.—*unctus* pro *udus* 16. 44. v. Heins. ad Ovid. A. A. I, 76. et Fast. V, 340.—*Assyrio* pro *adsiduo* conj. Dorleans, quod etiam C. Valesio nobisque in mentem venit. Optimum amomum fuit Armenium, quod poëtis *Assyrium* dicitur. Conf. auctores in Comm. laudatos et quae diximus ad Sil. Ital. IX, 402. Sed verba *Assyrio* et *Syrophoenix* male iunguntur, nec est, quod displiceat *adsiduo*, h. e. adsidue.

160. abest ab 18. *curret* 12. 15. 17. 18. in marg. 19. 24.—*Porta Idumaea*, Romana, sic dicta, quod Vespasianus et Titus devictis Iudaeis eam ingressi

Hospitis affectu dominum regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpae dicet mihi, fecimus et nos
Haec iuvenes. Esto. Desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes.
Quaedam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices inscriptaque lintea vadit,
Maturus bello, Armeniae Syriaeque tuendis
Amnibus et Rheno atque Istro. Praestare Neronem
Securum valet haec aetas. Mitte Ostia, Caesar,
Mitte; sed in magna legatum quaere popina.
Invenies aliquo cum percussore iacentem,
Permixtum nautis et furibus ac fugitivis,
Inter carnifices et fabros sandapilarum
Et resupinati cessantia tympana Galli.
Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.
At vos, Troiugenae, vobis ignoscitis; et, quae

sunt triumphantes; C. de Haugwitz.

163. *dicit* 12. 14. 26. 45.

166. *resecantur* 10. 11. 13. 14. 15. 20. 26. et XIV codd. Paris.

168. *balnea* pro *lintea* 26.

170. Post *Istro* nulla distinctio reperitur in edd. quibusdam, etiam Hennin, et Bipont.

171. *Hostia* 17—24. 27. 45—50. 59. 61—64. 68. 71. 72. 73. 77.

172. *togatum* 56. 59.

174. *Permixtum* 17—24. 27. 48. 59—61. 64. *Permistum* in reliquis. Sed illa scriptura rectior.—*aut furibus, aut fugitivis* 10. 11. 14. 15. 17. 19—22. 25. 45—50. 54—60. 62. 64—69. 71—74. *ac furibus et f.* 18. *et furibus et f.* 23.

175. *flabros sandapilarum* male emend. Vulcan. h. e. nondum magistros artis, quoniam in Gloss. Isidori *flabri* dicantur *fabulosi*. Vetus scholion h. l. est: " Si *sandaliorum*, sutores ac per hoc abiectae sortis homines: si *sardaudfallos*, infamis hominis nomen est: si *sandapilarum*, lectorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro eiiciuntur.,,

177. *ubi* 45. 46. 48. 50. 56. 57. 59—63. 65—69. 71—74. 77. *tibi* 18. 19.

179. *facies* 14—17. 23.

180. *mittes* 16.

Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo foedis adeoque pudendis
Vtimur exemplis, ut non peiora supersint?
Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me dignus vera cruce: nec tamen ipsi
Ignoscas populo; populi frons durior huius,
Qui sedet et spectat triscurria patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,
* Nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:

182. *Volusos* 18. 24. 27. 45—49. 57. 58. 77. *Volsos* 75. 76. *Volscos* 43—*Brutosque* 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77.

187. *Velox* maiore litera initiali scripsere Farnab. et alii. Sed *Lentulo* cuidam hoc cognomen fuisse, legere haud memini, et sic locus languet. Poëta non facile nomen alicuius cum cognomine memorabit, sed potius epitheton, eius naturae moribusque aptum, cuius tamen vis ac potestas in Satiris saepe dubia est et incerta, quoniam non satis cognitam habemus personam, quae eo insignitur.—*et iam* 46. 47. 49.

188. *ne tamen* 25. 59.

189. *durior illo* 25.

190. De voc. *triscurria* v. Excurs. ad h. l.

191. *Planipedesque* 60. 65.—v. sup. ad I, 3.

192. *vulnera vendant* 26.

194. *celsi* recepi e 60. 65. v. Comm. *Celsi* in libris tantum non omnibus legitur. De *Celso* Praetore v. Comm. ad VI, 245. Totum tamen versum suspicor eiiciendum tamquam insititium. Primum enim admodum languet, quoniam eadem sententia in vs. praec. inest; deinde verbum *vendere* in v. 192—194. ter reperitur; denique Claudius Imp. iam Praetores vetuerat edere gladiatoria munera, eaque Quaestoribus iniunxerat pro stratura viarum, unde h. l. saltem *Quaestoris* pro *Praetoris* refingendum videri possit: neque huius instituti mutationem factam legimus, nisi tempore Commeni, quod colligas ex Lampridio Alex. 43. ubi *presente* (f. *praesidente*) *Praetore Commodiano saepissime gladiatorem pugnasse* memorat. *Nec dubitant celsi praetores cernere ludis* emend. Iacobs, qui monet, ita tolli verbum *vendere*, ter repetitum, et periodum gravi sententia terminari; turpissimum enim esse, etiam praetores in illis ludis *cernere* h. e. decernere, de quo v. Hessel. ad Enn. p. 100.

195. *Fige* 24. 57. 59.—*hinc atque*

Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharoedo Principe, mimus
Nobilis: haec ultra, quid erit nisi ludus? Et illud
Dedecus Vrbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce supina
(Damnat enim tales habitus; sed damnat et odit);
Nec galea frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit et tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicae, de faucibus aurea quum se
Porrigat et longo iactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor.
   Libera si dentur populo suffragia, quis tam

inde 16. 24. *hinc atque hinc* 10. 19. 21. a m. sec. *atque hic* 22.—*poni* pro *pone* legendum esse dudum putavi, et nunc video idem sentire Cl. Sterke.

197. *Corithi* 18. *Chorinthi* 11. Alias lectiones notavit Pontanus Analect. II, 11. *Corinthi* nunc dedi pro *Corinthi* suadente Heinr.

199. *hic ultra* 59. 60. 65. 77.—*ludio* pro *ludus* scribendum, vel *ludum* pro *ludio* positum (ut sup. VI, 82.), perperam existimabat Ascensius.—*et illud* restitui ex 10. 16. 20. 21 a m. sec. 27. 47. 64. 74. *et illuc* 17 a m. pr. In reliquis libris *et illic*, h. e. etiam in arena: quod durius est et minus aptum. v. Comm.

200. *myrmillonis* et *mirmyllonis* alii scribunt. Mirmillo a *μόρμυρος* vel *μορμυρίων*; piscis genere, quod insigne in galea gerebat, dictus putatur Salmas. ad Solin. p. 213. et Gronov. in Epist. ad Ant. Clement. annexis libro de Sestert. p. 698.

201. *pugnare aut* 16. *aut pugnantem* 10. 11. 14. 15. 17. 19—22. 26. 45.—*et falce* 77.

202. *et damnat et odit* 10. 11. 12. 14—27. 45- 50. 56—63. 65—69. 71—74. et XIII codd. Paris. quos secutus est Ach. Totus vero versus interpolationem redolet.

203. *galea frontem* 10. 11. 12. 17. 19. 20. 22. 25. 26. 27. 45—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. 73. 77. et plerique codd. Paris. e quibus id revocavi cum Ach. *frontem abscondit galea* 21. Vulgo legitur *galeam faciem.*

204. *vibrata* 11. 12. 14—27. 45—50. 56—63. 65—69. 71—74. et plerique codd. Paris. quod restituit Ach.

205. *Nequiquam* scribendum putabant praeter Festum Broekhus. et alii ad Prop. II, 4, 5.

207. *Cedamus* 50. 64. prob. Brit.

Perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni?
Cuius supplicio non debuit una parari
Simia nec serpens unus nec culeus unus.
Par Agamemnonidae crimen; sed causa facit rem
Dissimilem: quippe ille Deis auctoribus ultor
Patris erat caesi media inter pocula; sed nec
Electrae iugulo se polluit aut Spartani
Sanguine coniugii, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena numquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit?
Haec opera atque hae sunt generosi Principis artes,
Gaudentis foedo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui Graiaeque apium meruisse coronae.
Maiorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domitî longum tu pone Thyestae
Syrma vel Antigones seu personam Menalippes,
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi

cuius interpretatio vix cuiquam arridebit.

208. *longe* 11. 14. 22.

214. *non serpens* 77.—*non culeus* et *culleus* alii.

220. *certavit horestes* 45.

221. *Verginius* scripsi pro *Virginius*, quoniam ita non modo in 14. 16. 17. 21. 22. 50. 62. et quibusdam codd. Paris. sed etiam in Inscriptt. optimisque exemplaribus auctorum, quos in Comm. laudavi, legitur.

223. *tam in saeva* 11.

224. *haec sunt* 17. 18. 19. 50. 61. 62. 63. 71. 72. 73.

225. *saltu* pro *cantu* recepi ex 10. 11. 12. 14. 15. 17. 19. 20. 21 a m. pr. 22—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnibus fere codd. Paris. *cantu* 1. et edd. recentt. *Cantus* vero Neroniani modo iam mentio facta v. 220.

229. *Sirma aut* 12.—*Antigones* 10. 11. 12. 14. 15. 17—27. 45. 46. 47. 49. 50. 54—58. 60—69. 71—74. unde hanc scripturam nunc pro vulg. *Antigonae* revocavi. *Antigonis* 16. *Antigoni* 77. *Antiopes* Gronov. ad Gell. V, 11 extr. nescio utrum auctoritate librorum, an lapsu memoriae.—*tu* pro *seu* 12. 14—18. 20. 21. 22. 24. 45. 49.—*Menalippi* 1. 11. 26. Vetus schol. est: *Menalippus* est, qui Tydeum occidit. Is *Melanippus* dicitur aliis, v. c. Apollod. III, 6. 8.

231. *Quis—quidquam* 45. 50. 61—69. 71—74. 77. *Qui* 49.

Inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos
Nocturna et flammas domibus templisque parastis,
Vt Bracatorum pueri Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat Consul vexillaque vestra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Praesidium attonitis et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.
  Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro;
Nodosam post haec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum
Excipit, et solus trepidantem protegit Vrbem.
Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque vola-
Qui numquam attigerant maiora cadavera, corvi, (bant,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
  Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen et pro
Omnibus auxiliis atque omni pube Latina

232. *Inveniat* 14.

233. *flammam templis domibusque* 41—*paratis* 22.

235. *deceat* pro *liceat* 26.

236. *nostra* 21.

239. *in omni monte* 1..75. prob. Rigalt. Vetus scholion est: "*monte*, quia in montibus condita est Roma. Legitur et *in omni ponte*, propter Molvium (Milvium), ubi Catilinae coniurati et Allobroges deprehensi sunt."

240. *inter* 26.

241. *ac* pro *et* 12. 14—24. 45—*nec L.* 24.

242. *attulit* 15. 21. 22. 26.

245. *in* abest a 20.

247. *posthac* 15. 24.

256. *plebe* pro *pube* 11. 17. 20. 21. 22. 24. 25. 27. 29. 46—48. 50. 54. 58. 61—69. 71—74.

Sufficiunt Dis infernis Terraeque parenti :
Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis.
  Ancilla natus trabeam et diadema Quirini
Et fasces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus iuvenes ipsius Consulis et quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quae
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad Patres produxit crimina servus
Matronis lugendus? at illos verbera iustis
Afficiunt poenis et legum prima securis.
  Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitae similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

258. *erant* pro *enim* 16—*qui* 10. 16. 17 a m. sec. 18—24. 26. 45. 46. 47. 49. 50. 54. 55. 60. 62. 65. 68. 69. 71—73. 77. (receptum novissime a cl. *Lemaire*).—*istis* 22.

263. *decebat* 77.

264. *Mutius* 17. 18. 19. 21. 23. 24. 45—50. 58. 60. 64—67. Sed Graeci eum appellant Μούκιον Σκαιόλαν.

265. *finem* 25. 27. 46. 47. 49. 50. 54—60. 64. 65.

266. *producit* 61. *conduxit* 11. 19. *eduxit* 2. 3. 6. 7. 14—18. 20. 22. 23. 24. 29. et XI codd. Paris. *deduxit* 21. *cum duxit* 45. Schurzfleisch. suspicabatur, in prisco aliquo cod. primam syll. fuisse detritam, quam deinde librarii pro lubitu commenti sint.

268. Haec verba forsan a librariis transposita et in hunc ordinem redigenda: *at illos verbera iustis Afficiunt legum poenis et prima securis*, h. e. primum in libera republ. adversus reos adhibita.

274. *Maiorum quisquis primus* 10. 19. 20. 21. *Quisquis maiorum primus* 16.

275. *aut aliud* 25. 46. 48. 49. 57. 59. 60. 65.

SATIRA IX.

ARGVMENTVM

Naevolum paediconem tristi vultu obvium poëta percontatur, quae sit moestitiae ipsius, rugarum ac maciei causa, et utrum vitae genus mutaverit. v. 1—26. Ille respondet, hoc vitae institutum aliis quidem fuisse perutile, se vero, praeter tenuia quaedam munera, nihil inde fructus percepisse, quod et necessitati durissimae fati tribuendum sit, et avaritiae Virronis aliorumque divitum cinaedorum, qui levissima quaeque dona ac beneficia, in draucos collata, iis exprobrent, et gratis operam sibi ab illis cupiant praestari, quamvis deformes sint et hisce clientibus suis omnem coniugii felicitatem et iura parentum legatorumque capiendorum debeant. 27—90. *Poëta miseratur sortem Naevoli, isque rogat, ut occulta ipsi credita reticeat, quoniam pathici odia prosequantur eum, a quo timeant libidines suas evulgari, et vel necem illi machinentur.* 90—101. *Iuvenalis contra monet, ab eo, qui plures servos habeat, nihil, ne noctu quidem, clam posse perpetrari, et recte vivendum esse, cum alias ob causas, tum praecipue, ut contemnere liceat linguam mancipiorum, quae quidem pessima eorum pars sit.* 102—122. *Hoc consilium salutare quidem esse fatetur Naevolus, sed nunc rationibus suis parum conducere post consumtum iam aetatis robur et spes deceptas.* 123—129. *Poëta eum meliora sperare iubet, quum stante Roma numquam defuturi sint homines molles ac cinaedi.* 130—134. *At Naevolus spem, inde concipiendam, felicibus tantum propositam esse dicit, non sibi, quem Fatum velit tenui victu contentum esse, et in cuius vota Fortuna sit surda.* 135—150.

Satira haec lepidissimis plena salibus, sed et obscoenissimis, totaque dramatica est; quae quidem carminis forma argumento quam maxime congruit pluribusque facetiis immiscendis occasionem praebet. Naevolus vero draucus non solum poëtae turpissimum vitae suae genus aperte exponit, sed etiam Virronem pathicum (v. 40—90.) *ingratissimi insimulat animi, quippe qui pro summis beneficiis laboribusque nulla fere rependat praemia. Ita utrumque hominum genus, et paedicones et cinaedi, acerrime exagitantur.*

Scire velim, quare toties mihi, Naevole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat

2. *Occurris* 11. — *seu* 60.
3. *vultu est* 19. — *deprehensus* 15. 19. 45. 47.

Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram praestare paratus
Circuit et fatuos non invenit. Vnde repente
Tot rugae? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva ioco mordente facetus
Et salibus vehemens intra pomoeria natis.
Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccae
Silva comae, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci:
Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.
Quid macies aegri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in aegro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies. Igitur flexisse videris
Propositum, et vitae contrarius ire priori.

4. *Navola* 20. *Rabula* 1. — Ροδόπας τινάς ap. Lucian. de Saltat. c. 2.

9. *unde repente Tot rugas* elegantius et haud dubie recte, iudice Heins. ad Ovid. Her. Ep. XII, 84. ubi hunc loquendi modum pluribus exemplis firmavit.

11. *inter* 24.

12. *horrida siccae Silva comae*, αὐχμέοι κίκιννοι ap. Theocrit. XIV, 4.

14. *Brustia praestabat calidi circum fascia visci* 8. *Bruccia p c. tibi fascia visci* 9 a m. sec. *Bruccida* cel. 9 a m. pr. *Bruttia praestabat calida tibi fascea visci* post v. 11. et *Praestabat calidi circumlita fascia visci* post v. 14. legitur in cod. Putean. Hinc *Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci* 70. 76. 82. ex probabili emend. Salmasii. *Praestabat calidi tibi Bruscia f.* v. 75. Pithoeus *Bruscia* sive *fascia* sive *ascia* ex brusco (de quo v. Plin. XVI, 16.) scribendum arbitrabatur, sed nihil pro comperto affirmare audebat. *Praestabat calidi circumlita fascia visci* 10—12. 14—27. 45. 55. 57. 59. 60. 65. 77. et omnes codd. Paris. praeter Put. e quibus has lectiones revocavit Ach. *Praestabit calidi circumlita fascia visci* 46—50. 54 58. 61—69. 71—73. — Lucianus in Alex. 5. Pseudom. c. 21. τοῦτο τὸ κολλύριον σκευαστόν ἐστιν ἐκ πίττης Βρυττίας καὶ ἀσφάλτου καὶ κηροῦ καὶ μαστίχης.

17. *Torquet* 15. 23. et MS. Cantabrig. v. Wakef. ad Lucret. III, 930.

18. *deprehendas* 14. 15. 17. 19. 24. 45. 50. Ita et v. 19.

Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis et Ganymeden,
Pacis et advectae secreta palatia Matris
Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio moechus celebrare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.—
Vtile et hoc multis vitae genus: at mihi nullum
Inde operae pretium. Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togae, duri crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum venaeque secundae.
Fata regunt homines: fatum est et partibus illis,
Quas sinus abscondit. Nam si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello

22. *Ganymedis* sc. fanum 13. et ita corrig. Valla et Flavius Coniect. c. 72. At Ganymedi templum fuisse Romae, haud legere memini. *Ganymeden* pro *Ganymedem* recepi ex 17. Plerique interpretes et Heins. ad Ovid. Met. IV, 46. iungunt *Ganymedem Pacis*, putantque ita dici Pacis templum, quod in eo Ganymedes sive eius simulacrum fuerit, quod colligunt ex prava lectione Martial. VII, 73, 4. *Sive cupis pace, seu Ganymede coli.* In melioribus ibi libris legitur: *Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.*

23. *avectae* 21. *adductae* 19 a m. pr. — *sacrata* malebat Lubinus, *secreta salacia* (obscena vel ad libidinem stimulantia) legendum censebat H. Vales. Recte, opinor.

25. *Ausidio* 73. *Vrsidio* conj. H. Vales. coll. VI, 42. — *celebrare* (h. e. frequentare, frequenter invisere) revocavi ex 11. 17—27. 29. 45—50. 56—63. 65—69. 71—74. 77. 81. omnibusque MSS. Paris. prob. Heins. ad Ovid. Met. IV, 46. ubi monet, ita in scriptis compluribus legi, quos inspexerit. *scelerare* 8. 54. 64. 70. 75. 76. 82. Sed illud tam satirico poëtae, quam amico congruentius est.

26. *Quod taceo atque etiam* 25. *Quod taceo atque ipsos* 10. 11. 12. 14—24. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. 81. et plerique optimique codd. Paris. quod revocarunt Lubinus et Ach. tamquam magis satiricum, quia contineat παράλειψιν seu reticentiam maioris argumenti, et poëta sic dicat vel maxime, quod profiteatur se tacere velle.

28. *quandoque* 16.

29. *duri crassique solocis* ingeniose conj. H. Valesius. *Solox* est crassa scil. laua (v. Fest.), et substantive dicitur ap. Tertull. de pall. 4.

32. *in* pro *et* 11. 13. 15. 16. 23. 24. 49. 50. 55. 61. 62. 63. 68. 69. 71—74. 77.

33. *cessent* 10. 12—15. 17. 20. 22. 45.

35. *Viro* 27. 46. 47. 64. *Virrho* 17.

Viderit, et blandae assidue densaeque tabellae
Sollicitent: Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus?—
Haec tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
(Computat ac cevet!) Ponatur calculus, adsint
Cum tabula pueri: numera sestertia quinque
Omnibus in rebus; numerentur deinde labores.—
An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum atque illic hesternae occurrere coenae?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum! Sed tu sane tenerum et puerum te
Et pulcrum et dignum cyatho coeloque putabas.
Vos humili asseculae, vos indulgebitis umquam
Cultori, iam nec morbo donare parati?
En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, et strata positus longaque cathedra
Munera femineis tractat secreta Calendis!

36. abest a 24. *blande assiduae* 14. 15. *blande assidueque* malebat Ascens. qui etiam male *tabellas* putabat esse mensas sive convivia. — *pictaeque tabellae* 20.

37. v. Excurs. ad h. l.

40. v. Excurs. ad h. l.

43. *promtum* 4. — *in tua* pro *intra* 16. Versus 43. et 44. non Iuvenalis esse, sed impuri cuiusdam nebulonis, suspicabantur Valla et alii. Sed quamvis obscoenitas nimis ad vivum quasi resecetur, aptissima tamen talis pictura h. l. et ingenio Naevoli est; nimisque severus Scaliger, qui Poëtic. III, 9. ob talem impuritatem pudicis lectione Iuvenalis omnino abstinendum censebat.

44. *atque illine externae occurrere coenae*, i. e. et eo se quaestu tueri, nec aliena quadra opus habere, conj. H. Valesius.

46. *Non dominum* 17. 20. 45. — *tener* 11. 14. 16—19. 23. 24. 27. 45. 47. 50. 58. 61—69. 71—74. et plerique codd. Paris. unde illud restituit Ach. *et tenerum puerum* 46. 48. *et tenerum et puerum* 49. 55. *puerum et tenerum* 77.

47. *Et dignum et pulcrum* 21. *Te pulcrum* 11. Non male!

48. *asseclae* vel *adseclae* 15. 16. 17 a m. pr. 18. 19. 21. 24. 25. 45—50. 55. 57—60. 64—67. Nil interest. — *non indulgebitis* 16. *nil indulgebitis* 20.

49. *nec iam* 21. 22. 27.

53. *tractat* egregius cod. Pul. quod bene conj. Brit., Grang. et C. Vales. quodque nunc pro vulg. *tractat*

Dic, passer, cui tot montes, tot praedia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet
Suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Iugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans,
Cum matre et casulis et collusore catello,
Cymbala pulsantis legatum fiet amici?
Improbus es, quum poscis, ais: sed pensio clamat,
Posce; sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Vlixes.
Alter emendus erit; namque hic non sufficit: ambo
Pascendi. Quid agam bruma? spirante quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri
Et pedibus? durate atque exspectate cicadas?

recepi cum Ach. v. Comm. Heinecke acribendum censet *tradas*, hoc sensu: postulat, ut calendis femineis venias iuxtaque eum in cathedra sedens tradas munera secreta. Sed neque emendatio haec, neque interpretatio multis arridebit. Praestitisset saltem: *et cui strata posito—tradas* cet. Mireris tamen, non plures intpp. haesisse in vulg. lectione, quae, si quid video, plane inepta est.

54. *cui praedia* 10. 11. 12. 14. 21. 22. et quidam codd. Paris. quos secutus est Ach. *et praedia* 15.

55. *Appula* pro *Apula* recepi ex 18. 19. 23. 24. 46. 47. 49. 50. 60. 62. 64. 65. 68. 69. 71. 72. 73. ut metro consulatur. v. Excurs. ad Sat. IV, 24—27. extr. — *inter* 25. 48. 56. 57. 59. 60. 65.

56. *Tripholinus* 27. 48. 59. 60. 65.

60—62. v. Excurs. ad h. l.

63. *ais* semper legendum putavi, et nunc recepi ex 14. 15. 17. 18. 21 et VIII codd. Paris. (Alex., Mazarin., Pithoei, Fauchetii, Senatorio et tribus aliis). In reliquis *ait* scil. Virro s. cinaedus. Sed haec ellipsis dura est, et inde a v. 54. Naevolus inducitur colloquens cum Virrone vel cinaedo. — *pusio* pro *pensio* legisse videtur Heins. ad Ovid. Met. III, 454. Non male! Cf. sup. VI, 34. 35.

65. *postquam* emendat Grang. ut sensus sit: Tam alte me appellat, quam alte vociferabatur *Polyphemi lata acies*, h. e. Polyphemus, postquam ei inebriato Vlysses evasit: de cuius Cyclopis clamore v. Virg. Aen. III, 672 seq. — *Vlixes* recepi ex 17. 18. 19. 21—24. vid. Heins. et Heyne ad Virg. Ecl. VIII, 70. *Vlyxes* 20. 27. 46. 47. 49. 58. Vulgo *Vlysses*.

68. *puerorum Aquilone D.* 1. c. Put. et edd. recent. *servorum mense*

Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus ista modis, quam saepe rogaris
Et quae pollicitus: fugientem saepe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, et iam
Signabat: tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Testis mihi lectulus et tu,
Ad quem pervenit lecti sonus et dominae vox.
Instabile ac dirimi coeptum et iam paene solutum
Coniugium in multis domibus servavit adulter!
Quo te circumagas? quae prima aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum
Quod tibi filiolus, quod filia nascitur ex me?
Tollis enim et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
Iam pater es: dedimus, quod famae opponere possis:
Iura parentis habes; propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.

Decembri 10. 11. 12. 14—17 a m. sec. 18—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et ed. Ach. forte e glossa. Vulgo ita interpungitur: *Quid agam bruma spirante? quid, oro, Quid dicam s. p. Aquilone* flante s. spirante in *Decembri Et pedibus?* Quae durae sunt ellipses. Nos distinctionem nunc mutavimus, quo omnis difficultas sublata videtur.

69. *aspectate* 47. 48. 64.

70. *dissimiles* pro *dissimules* 16. 18—24. v. ad II, 3.—*ut ommittas* 15. *et mittas* 23.

76. *haec* 25. 27. 45—50. 55—63. 65—69. 71—74 *ergo* 46. 47. 48. pro ego.

79. *et dirimi* 22. — *iam fere solutum* 24.

80. *servabit* 10. 13. 17 a m. sec. 19.

82. *et* pro *ac* 23. *aut* 24.

83. *aut filia* 17—20. 45. *quod filia* ex 11. et duobus MSS. Paris. nunc pro vulg. *vel filia* substitui tamquam venustius aptiusque ad augendum beneficium. Favent etiam huic lectioni verba seqq. *spargere argumenta viri*, de quibus v. Comm.

84. *libris auctorum* 7. 11. 20—24. 29. *titulis actorum adspergere*, vel *tabulis actorum spargere* legebat Serv. ad Virg. Ge. II, 502.

86. *posses* 11. 16.

88. *Legati omne* 44. prob. Heins. ad Ovid. Her. Epist. VIII, 104. quem vide. Sed verendum est, ne poëtae sic elegantia obtrudatur, quae forte nulla est, et quam aut respuit, aut

Commoda praeterea iungentur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero. — Iusta doloris,
Naevole, causa tui: contra tamen ille quid affert?—
Negligit, atque alium bipedem sibi quaerit asellum.
Haec soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas:
Nam res mortifera est inimicus pumice levis.
Qui modo secretum commiserat, ardet et odit,
Tamquam prodiderim quidquid scio: sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat: nec contemnas aut despicias, quod
His opibus numquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis. —
O Corydon, Corydon! secretum divitis ullum
Esse putas? Servi ut taceant, iumenta loquuntur
Et canis et postes et marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen
E medio: clamant omnes. Prope nemo recumbat;

non recordatus est. Conf. iuf. ad X, 155. — *rapis* 18.

89. *iunguntur* 10. 11. 12. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. et omnes fere codd. Paris. unde recepit Ach. cuius nota est: praesens tempus aliquando pro futuro usurpatur ac saepe saepius vividius est. — *caduco* 60. 64. 65.

95. *levis*, non *laevis*, 17. 19. 23. 24. 60. 65. Recte.

99. *non contemnas* 14. *ne contemnas* — *numquam careas annona veneni* 11. 15. — non improb. Schurzfl. ut sit quasi apostrophe ad cellam venenariam. — *nec despicias* 23. 60. 65 77.

100. *numquam careas* 11. 14—17. 20—24. 45. et XV codd. Paris. *careas numquam* 18.

101. *tegas* 15.

103. *loquuntur* 13. 22. 24. et X MSS. Paris. quod nunc pro vulg. *loquentur* revocavi cum Ach. quia sequitur *clamant*.

105. *tolle* 15. *tollito* pro vulg. *tollite* nunc recepi cum Ach. ex 10. 13. 16. 17 a m. sec. 18. 19. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. et quibusdam codd. Paris. nam verba *claude* et *iunge* praecedunt.

106. *clamant* et *clament* omnes codd. nostri et Paris., nec non 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. 77. *taceant* substituit Pithoeus, quem secuti sunt editores recentt. putantes, illud contra mentem poëtae dici. Sed recte eam cepisse videtur Ach. quo praeeunte veram et ant. lect. omnium librorum nunc restitui et mutavi distinctionem. *Tollite lumen E medio*,

Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet: audiet et quae
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? Nec deerit, qui te per compita quaerat
Nolentem, et miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paulo ante petebas
A nobis. Taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tum his
Praecipue causis, ut linguas mancipiorum

claves omnes, prope nemo recumbat emend. Schurzfl. quia non apte dicatur *omnes*, si soli aut bini sint intra conclavia. Ipse olim suspicabar *iaceant* sc. in lecto s. somno et media nocte (*ad cantum galli* v. 107. quo potissimum tempore aliquid clam fieri potest et solet) *omnes* servi ac reliqui, qui in aedibus sunt, et remoti a cubiculo domini, *prope* hoc cubiculum *nemo recumbat*. cet. Sed non est, quod emendemus, quae satis conveniunt, et reponamus *taceant*, quod male repeteretur.

107. *galli cantum* 11. 14. — *ipse* 20. — *secundum* 17. 72.

108 *sciat* 45.

109. *liba[illegible]s*, h. e. dulciarius, conj. non nemo, teste Plathnero.

110. *Raptores* 4. *Fartores* 6. 21. *Captores* 14. Nec defuere, quibus haec arriderent. Eos tamen non bonos veterum conviviorum arbitros fuisse, dicit Lips. Saturn. Serm. II, 2. — *quid* 17 a m. pr. 19. 46. 48. 59. 60. 64. 65. *qui* 47. Sed gravius est *quod crimen*. Nullum est crimen, quod non componant cet. — *carmen* 49. 60. 65.

111. *dominum* 24.

114. *roga* 16.

117. *Saufeia* 61. 70. 75 76. 77. 82. *Laufeia* 27. 50. 54. 58. 64. *Laufela* 14—17. 20. 21. 22. 24. *Laufella* 10. 11. 18. 19. 23. 25. 45. 46. 48. 49. 56. 57. 59—63. 65—69. 71—74. et omnes codd. Paris. unde illud revocavi cum Ach. v. sup. ad VI, 320.

118. *est recte* 18. 25. 46—19. 54. 57—60. 64. 65. *recte* pro *recte est* 10. 13—17. 19—24. 45 50. 56. 61—63. 66—69. 71—74. — *tum propter* 10. 13. 15. 16. 19. 20. 27. 45. — *pluria* 11. — *tum his* revocavi ex 11. 19. 20. 24. 31 a. 50. 56. 59. 61. 62. 63. 68—74. *tum de his* 60. 65. et codd. Ascens. ac Pontani, *tum istis* 64. *tunc his* reliqui, etiam Hennin. Omnia haec substituta, ut fulciretur versus, qui tamen non ruit: nam litera *m* et vocales in fine vocis saepe non eliduntur, et tum propter caesuram atque hiatum, qui Iuvenali frequentissimus est, producuntur. Cf. ad I, 151. et

Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere.—
* Idcirco ut possim linguam contemnere servi,
Vtile consilium modo, sed commune, dedisti:
Nunc mihi quid suades post damnum temporis et spes
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustae miseraeque brevissima vitae
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus. —
Ne trepida: numquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus et salvis his collibus; undique ad illos
Convenient et carpentis et navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. Altera maior
Spes superest: tu tantum erucis imprime dentem. —
Haec exempla para felicibus: at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi nostrique Lares, quos thure minuto

XV, 7. Oudend. ad Lucan. V, 526. Broekhus ad Tibull. I, 5, 33. et ad Prop. II, 12. (al. 15.) 1. 23, 101. Drakenb. et nos ad Sil. I, 109. X, 23. 29. XIV, 515. Haec loca eorumque interpretes consulantur ab Ach. cuius nota est: quum litera *m* non eliditur, brevis fieri debet ante vocalem, quod intelligere est in *circumeat*, *circumagat* cet.

120. *pars maxima* 25. 45—48. 55—60. 65.

123. *possis* 17. 18. 24. 46—49. *possit* 19. Cf. Excurs. ad h. l.

124. *consilium nunc, sed commune* 16. 19. *consilium, sed nunc c.* 18. *consilium mihi, sed c.* 25. 27. 45—50. 54. 55. 57—60. 64. 65.

130. *paticus numquam* 20. *paticus* scribendum putabat H. Vales. ut sit quasi *patens*, *patulus*, cinaedus εὐρύπρωκτος, λακκόπρωκτος; unde in Priapeiis *nec tibi tener puer Patebit ullus* et *qui* (cunnus) *tanto patet indecens hiatu* et al. Sed *pathicus* videtur potius esse παθικός (etsi haec vox non in usu fuit), qui muliebria patitur, πάσχει, παθεῖ, παθικεύεται.

132. *Conveniunt* 10. 11. 12. 14—25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et multi codd. Paris.

135. *Cloto* quidam edidere. Sed est Κλωθώ.

136. *gaudet* 15.

137. *ture* scriptum in 17. 19. 20. 22. 60. 65, ut in plerisque libris vett. *Thus* vero a θύειν, non a *tundendo* dictum videtur.

Aut farre et tenui soleo exorare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete et baculo? viginti millia fenus
Pigneribus positis, argenti vascula puri,
Sed quae Fabricius censor notet, et duo fortes
De grege Moesorum, qui me cervice locata
Securum iubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi praeterea curvus caelator, et alter,
Qui multas facies pingat cito. Sufficiunt haec,
Quando ego pauper ero. Votum miserabile, nec spes
His saltem: nam, quum pro me Fortuna rogatur,

138. *exornare* 11. 15. 16. 23. 24. 25. 27. 45—50. 55—69. 71—74. et XIII codd. Paris. Quod non plane respuendum: nam saepius verbum pluribus iungitur nominibus, quamvis uni tantum et postremo prorsus conveniat.

139. *fingam* 11. 14. 20. 29. Vtraque lectio notatur vet. scholio: " Constituam, componam, habeam: aut certe, quia in ceris vota *figuntur* apud templa. „ In cod. Schurzfl. hoc scholion forte rectius legitur: " Quando ego comminiscar quid, constituam: aut quia certa in picturis vota *figuntur*. „

141. *Pigneribus* pro *Pignoribus* 14. 23. et Priscian. lib. VI quos sequutus sum. Sic plerumque *pignerare* (ut sup. VII, 73.), et ubivis *oppignerare* scriptum reperies in libris antt. Conf. ad XI, 40.

142. *Et* 15.—*Fabritius* 24. 60. 65. v. ad II, 154 —*notat* 15.

143. *Messorum* 11. 15. 19. 22. 23. 24. *Moesolorum* 27. 47. *Mysorum* Calder. nescio qua auctoritate. *Medorum* 11. in marg. 16. 18. 45. 46. 49. 55. 58. v. sup. ad VII, 132. et Pontani Analecta II, 11. — Mox legendum crediderim: *qui me* (in) *cervice locantes* h. e. ponentes.

145. *Sit tibi* 21. — *caelator curvus* 22. *torvus caelator* 16. *servus celator* vel *caelator* 11. forte et 1. nam vetus schol. est: opifices, servi argentarii, laboriosi, anaglypharii.

146. *multa* 8. unde *maltha facies pingit* conj. Pith. et rectius *maltha f. fingit* Salmas. Exerc. Plin. p. 1196. Conf. de maltha Harduin. ad Plin. II, 104. s. 108. *pingat* 10. 11. 12. 14—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. 76. 77. et omnes codd. Paris. e quibus illud nunc revocavi cum Ach. *pingit* 8. 75. *fingit* 56. 70. 82. quod aptius videri potest, ut plastes designetur, qui ex uno modulo vel archetypo *multas facies* s. typos *cito* (quod pictori minus congruit) exprimere et potest et solet. Cf. Salmas. l. l. Hinc olim reposueram *fingat*, quod usui linguae convenientius est. Sed v. Comm. — *sufficient* 25. 27. 46—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. *sufficiant* 73. 77. Parum interest. Nonnulli interpungunt: *Sufficiunt haec. Quando ego pauper ero?* h. e. (ut exponit H. Valesius) quando ad hanc paupertatem seu ad haec parva

Affigit ceras illa de nave petitas,
Quae Siculos cantus effugit remige surdo.

et pauca perveniam, ne semper, ut nunc, inops et egens sim?

149. *Affigit* 10. 11. 12. 14—27. 45—50. 54—63. 65—69. 71—74. 77. et plurimi codd. Paris. e quibus nunc illud restitui cum Ach. *Affixit* 1. 64. 70. 75. 76. 81. 82. — *illas* 45.

449. 150. Sic et Lucianus Επισκοπ. c. 21. *ὡς μηδ᾽ ἂν τρυπάνῳ ἔτι διανοιχθῆναι αὐτοῖς τὰ ὦτα· τοσούτῳ κηρῷ ἔβυσαν αὐτὰ, οἷόν περ Οδυσσεὺς τοὺς ἑταίρους ἔδρασε δέει τῆς Σειρήνων ἀκροάσεως· — ἀλλ᾽ εἰσὶν αὐτῶν ὀλίγοι. οὐ παραδεδεγμένοι τὸν κηρὸν ἐς τὰ ὦτα.*

D. IVNII IVVENALIS

AQVINATIS

SATIRARVM

LIBER QVARTVS.

SATIRA X.

ARGVMENTVM

Homines ubivis fere terrarum vera ignorant bona, et opinata omnibus plerumque votis expetunt, in primis divitias, honores, eloquentiam, militarem gloriam, senectutem, pulcritudinem et robur corporis, quae tamen vel supervacua, vel etiam perniciosa sunt optantibus. v. 1—11. *Divitias qui possident, iis verendum est, ne iussu tyrannorum, ut Cassius Longinus et Seneca, vel manu latronum vel veneno necentur.* 12—27. *Non mirum itaque, stultitiam hominum semper Heraclito fletum movisse et risum contra Democrito, qui multo magis risisset, si nostris vixisset temporibus, quibus longe maior est luxus ac fastus.* 28—55. *Maxima potentia summique* honores, *ad quos nonnulli aspirant, magnam iis invidiam, perniciem ruinamque parant, nec nisi a mobili plebis animo et Fortunae favore pendent, quo mutato is, qui paulo ante adorabatur a vulgo, ab eodem male tractatur et ad scalas Gemonias indeque in Tiberim unco trahitur; quod suo damno experti sunt Seianus* (56—107.), *et iam ante eum Crassi, Pompeius, Caesar et alii: nam pauci fuere reges vel principes civitatis et tyranni, qui non violentam passi sint mortem.* 108—113. Eloquentia *summis nonnumquam oratoribus, ut Ciceroni ac Demostheni, mortis causa fuit.* 114—132. Gloria bellica *cum vana brevisque est, tum maximis saepe imperatoribus exitiosa, ut olim Hannibali, Alexandro et Xerxi.* 133—187. Longa vita *multis obnoxia est incommodis ac malis; quippe senes plerumque deformes, rugosi, infirmi, tremuli, calvi, mucidi, edentuli, uxori, liberis, sibi ipsisque captatoribus graves, expertes gustus, ad rem Veneream inhabiles, surdi, caeci, manci, obliviosi.* 189—239. *Quodsi vero corpore etiam ac mente valent in senectute homines, sentiunt tamen ac lugent alia eaque maiora mala, vel publica vel privata ac propria, qualia passi sunt Nestor, Peleus, Priamus, Hecuba, Mithridates, Croesus, Marius, Pompeius, quibus feliciores fuere Lentulus, Cethegus et Catilina.* 240—288. Pulcritudo *denique raro pudicitiam tuetur, multisque insidiis, iniuriis ac periculis subiecta est;*

quod docent exempla Lucretiae, Virginiae, Hippolyti, Bellerophontis et C. Silii. 289—345. *Quae quum ita sint, Diis potius iudicium de eo, quod vere nobis conducat, permittendum, aut, si optandum aliquid, orandum est, ut mens sit sana in corpore sano, ut ea sit fortis, carens terrore mortis, laborum patiens et expers aerium affectuum cupiditatumque: ita enim tranquillam atque beatam agemus vitam, quae a sola virtute ac sapientia, non a Fortuna, pendet.* 346—366.

Satira haec praeclara est et in perfectissimis Iuvenalis carminibus adnumeranda, quae tamen tractationis magis philosophicae vel declamationis, quam satirae speciem prae se ferre videtur. Poëta noster docet, homines tantum non omnes parum intelligere, quae vera et quae opinata sint bona, eamque ob caussam omnibus vulgo votis expetere, quae sibi nocitura sint. Hinc rhetorum more, quem etiam in Sat. XIII. sequutus est, primum in exordio quasi breviter memorat, deinde copiose persequitur ea bona, quorum cupiditate desiderioque maxime ardemus, et quam noxia optantibus ea plerumque sint ac fuerint, aptissimis ostendit exemplis, ex historia desumtis; quae quidem optima probandi ratio est. Exempla enim ad rem, quae explicatur, perspicuam nobis reddendam longe plus valent argumentis, efficiuntque, ut lector rei veritatem, quam antea perspexerat universe, nunc quasi ante oculos videat. In hac quidem dispositione partium et coniunctione, qualis etiam est in Sat. VI. et XIII., nulla cernitur ars poëtica (nam singulae eo ordine eaque transitione, qua in declamatione aliqua, sibi succedunt); at tanto maior in earum exornatione, quae admirabilis est et excellentissima. — Idem argumentum, praeter Lucianum (Icarom. p. 205. et Navig. s. Vota p. 491. T. II. ed. Graev.) et Aristotelem aliosque Graecos, quorum libri περὶ εὐχῆς a Laërtio et Proclo laudantur, copiose tractavit Plato in Alcib. II., qui dialogus, passim in Comment. laudatus, Socratis continet doctrinam de precibus, quam in epitomen quasi redegere Xenoph. Memorab. Socr. I, 3, 1. et Valer. Max. VII, 2. ext. 1. quorum verba inf. ad v. 347 seq. adscripsi. Platonis dialogum Iuvenalis ante oculos habuisse videtur, etsi totam ex eo Satiram expressam esse nobis non persuasit Heinsius de Sat. Horat. p. 107. In secunda etiam Persii Satira reperiuntur quaedam velut lineamenta seu primae lineae, quibus colores induxit Iuvenalis et pigmenta adspersit. Quo autem tempore scripta sit Satira nostra, non satis constat, et vana sunt argumenta, quae ex v. 81. et 236. petuntur; ad quae loca v. Comm. et Var. Lect.

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangen, pauci dignoscere possunt

2. *Gangen* pro *Gangem* recepi e 17. — *dinoscere* 17. 24. 49. 55. 62. 65—69. 71—73 Ita scribi iubet Serv. ad Virg. Ge. II. *cognoscere* 21. *discernere* 7. 11. 14. 20. 22. 29. 45. ex interpretatam.

Vera bona atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Dî faciles. Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. Torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille
Confisus periit admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat et cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balaena Britannica maior.
Temporibus diris igitur iussuque Neronis
Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
Clausit et egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram:

5. *concutis* 24 a m. pr. *concupis* 10—12. 14—19. 21—23. 31. 33. 45. et XVI codd. Paris. Sed modo praecessit *cupimus*, et nostra lectio exquisitior est. In verbis tamen *quid tam dextro pede concipis* mendum latere videtur. Vulgo ea sic interpretantur: *quid concipis* voti (nam *concipere* est vocab. propr. de votis, quae vel mente, vel formula quadam concipiuntur), quid optas tam felici auspicio atque conatu? Neque ignoro, tali sensu dici: *dextro* et *sinistro pede ire*, *proficisci*, *venire*. Sed quis umquam dixit: *dextro pede concipere votum*?

7. *operantibus* (scil. sacris, h. e. sacrificantibus) *ipsis* vetus cod. Rittershus. Male! — *illis* 22.

8. *et nocitura petuntur* 22. 45.

9. *et torrens* 10—12. 15—27. 45—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71—73.

11. Vltima syll. verbi *periit* producitur, ut v. 118. et in Ovid. Eleg. de morte Drusi v. 235., ob contractionem vel hiatum. Cf. ad I, 151. — *admirandusque* 16. 18.

14. *Quantum* 16. 21. 22.

15. *duris* 19 a m. pr.

16. *Longinum — clausit* dura dictio. Legendum, opinor, *Longini et — Senecae hortos clausit*. Conf. tamen Comm.

19. *puti* conj. Voss.

21. *umbras* 11. 17. 18. 20. 22. 45.

Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota et cunctis notissima templis,
Divitiae; crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus. Tunc illa time, quum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.
Iamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem, flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent urbibus illis
Praetexta et trabeae, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Praetorem curribus altis

22. *Cantabis* 10. 11. recte forsan. *Cantabat* 13. 16.

24. *ut crescant opes* 10. 15. *crescant et opes* 22. *Divitiae, crescant opes* 17—19 a pr. m. *Divitiae ut crescant, ut opes* 61—69. 71—73. 77. *Divitiae ut crescant et opes* 16. forte rectius et receptum ab Ach. nisi doctior est lectio nostra: *Prima fere vota*, h. e. votorum argumenta sunt *divitiae* cet. Minus mihi arridet sententia Iacobsii, qui putat, legendum esse *Divitiae, et crescant ut opes*, binaque indicari vota, pauperum, divitias sibi exoptantium, et divitum, qui precentur, ut divitiae crescant.

28. *Nonae* 16. — *laudes* 16. 17. 19. 20. 23. 45.

28. 30. Similiter Lucianus de sacrif. c. 15. Ταῦτα οὕτω γιγνόμενα καὶ ὑπὸ τῶν πολλῶν πιστευόμενα δεῖσθαί μοι δοκεῖ τοῦ μὲν ἐπιτιμήσοντος οὐδενὸς, Ἡρακλείτου δέ τινος ἢ Δημοκρίτου, τοῦ μὲν γελασομένου την ἄνοιαν αὐτῶν, τοῦ δὲ τὴν ἄγνοιαν ὀδυρουμένου. Conf. et Lucian. Βίων πρᾶσις c. 13. et 14.

29. *a limine* 10—12. 15—27. 45—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71—73.

30. *contrarius alter* 10. 12. 17—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXXII MSS. Paris. prob. Ach. *auctor* 1. cod. Put. et duo alii Paris.

31. *cui vis* 15. 16. *rigidi cuivis* al.

34. *esset in* 19 a m. pr. *essent* pro *esset* revocavi ex 11. 15—17. 19—22. 61—63. 76.

35. *Praetextae, trabeae* 11. 15. prob. Schurzfl. qui putabat, librarios male geminasse literam primam vocis *trabeae*.

36. *si praetorem vidisset* 22. — *victorem* pro *Praetorem* conj. Schrader. — *in curribus* 16. 25. 27. 45—50. 55—69. 71—74. 77. et quidam codd. Paris. Sed omissio praepositionis Iuvenali solennis; aut librariis saepe tribuenda.

Exstantem et medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Iovis et pictae Sarrana ferentem
Ex humeris aulea togae magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, et, sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc praecedentia longi
Agminis officia et niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes
Occursus hominum, cuius prudentia monstrat,
Summos posse viros et magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoque sub aëre nasci.
Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi,
Interdum et lacrumas, quum Fortunae ipse minaci
Mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem.
Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,

37. *medii* 10. 11. 15—17. 20. 21. 24. 56. 59. 60. 65.—*sublimem pulvere* 10. 11. 15. 17 —24. 45. *sublimem e pulvere* 16. *sublime pulvere* 12. — Equidem totum fere versum ab ingenio interpolatoris, pompam Circensem cum triumphali confundentis, profectum crediderim: quo deleto omnia ad pompam habitumque triumphalem referri possunt. Praetorem certe hoc habitu ludis praesedisse, vix alibi, nisi h. l. et inf. XI, 192. (qui locus forte ad similitudinem tantum utriusque pompae spectat) memoratur; etsi non ignoro, multis triumphalia ornamenta s. insignia esse concessa. — *sublimem pulvere Circi* cod. Thuan. teste ac prob. Boissonade ad Herodiani Partitt. p. 297.

40. *quantum* 15. 16. 18—20. 23. 24. 45. — *una* 20.

47. *Tunc* pro *Tum* recepi ex 1. 15. 16—19. 24. 25. 45—47. 49. 50. 55. 57. 58. 60. 61—67. — *in omnes* 18. 19. 25. 46—49. 54—60. 65.

53. *Mandare laqueum alicui*, Ἐρανον αἰτήσαντί μοι ὀρέξας τὸν βρόχον, Lucian. in Timone c. 45. et c. 20. ἀγχόνη τὸ πρᾶγμα γένοιτο αὐτοῖς,— οὐδὲ ὀβολόν, ὥστε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας, pauperes.

54. *supervacua aut perniciosa* omnes codd. etiam Paris. et edd. antt. nisi quod *et* pro *aut* exstat in 11. et 21. unde lectionem hanc restitui cum Ach. *supervacua haec aut p.* edd. recentt. ut metro consuleretur. Sed v. ad I, 151. *supervacua aut et perniciosa* non male emend. Schurzfl.

Propter quae fas est genua incerare Deorum.
Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
Invidiae; mergit longa atque insignis honorum
Pagina; descendunt statuae restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Caedit, et immeritis franguntur crura caballis.
Iam strident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput et crepat ingens
Seianus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellae.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem: Seianus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. Quae labra? quis illi
Vultus erat? Numquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit?
Nil horum: verbosa et grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet; nil plus interrogo. Sed quid

55. *templa* pro *genua* 16. — *mos* legendum crediderim pro *fas*, quod alienum ab h. l. videtur.

57. *mersit* 16. *mergat* 11. unde *mersat* conj. Schurzfl. — *longa*, *aut* 12. 17. 19. 45.

58. Εἰκόνες καὶ ἀνδριάντες, οὓς ἡ πόλις ἀνέστησέ σοι πάλαι. πάντες ἀνατετραμμένοι γέλωτα παρέξουσι τοῖς θεωμένοις, Luciani Cataplus s. Tyrannus c. 11.

59. *intacta securis* alios olim legisse, intelligitur ex vet. Schol.: "Si *intacta*, nova: si *impacta*, percussa.,,

61. *stridunt* pro *strident* recepi ex 10. 12. 16. 17. 19—21 a m. pr. 22—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXVIII codd. Paris.

64. Boisson. ad Herodiani Partitt. p. 295. "*metellae* cod. Thuan. pro *patellae*. Scribo *matellae*, et ipsam Satirici manum restituisse mihi videor.,,

67. *herba* pro *labra* 16.

70. *indicibus* 10. *indiciis* restitui ex 11. 17. 23—27. 45—50. 54—63. 65—69. 71—74. 77. et multis codd. Paris. *Indicia* h. l. sunt argumenta, quae indicant et ostendunt, crimen non fictum esse, sed verum. Ita nihil deest eorum, quae in iudicio capitali requiruntur. *indicibus* 14—16. 19—22. 64. 70. 75. 76. 82. et codd. Paris. optimi et antiquiss. Sed hi vix differunt a *delatoribus*: nisi forte conscii sunt sceleris et socii, qui secretam rem et coniurationem prodiderunt. — *probarat* 22.

71. *Nihil* 73. — *horum est* 15.

72. Henninius comma post *bene*

Turba Remi? Sequitur Fortunam, ut semper, et odit
Damnatos. Idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. Iam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet atque duas tantum res anxius optat,
Panem et Circenses.— Perituros audio multos.—

posuit, ut haec vox simpl. posita sit, quemadmodum ap. Apul. in Apol. (*Bene, quod integras epistolas matris Pontianus asservavit: bene, quod vos festinatio iudicii antevertit*) et *habet* absolute pro *periit*. Est quidem hoc *habet* nota formula, inpr. gladiatorum, de vulnere inflicto. Sed *habere* non simpl. pro *perire* ponitur, neque h. l. satis convenit. v. Comm.

73. *Turba Remi* 17. 31 a cod. Put. et Pith. 70. 75. 76. 81. 82. *Turba tremens* (amici Seiani, vel populus pavens et ignavus) 10—12. 14—17 ad marg. 18—21. 23 a m. pr. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74. XXXIII codd. Paris. forte et vet. Schol. cuius glossa ad v. 81 est: Iterum sibi loquitur populus pavens. *Remi* est vividius ac magis satiricum; Ach. *Turba fremens* (in gratiam Tiberii, ne Seiano favisse videatur) 22. 24 a m. sec. 32. *Turba Remens* 83. prob. Heins. ad Ovid. Fast. III, 131. qui Romanos putabat dici *Remenses* a *Remo*, ut *Rhamnes* vel *Ramnenses*, a *Romulo*, *Tities* vel *Titienses* a *Tito Tatio*.

74. *Nursia* revocata a nobis ex 2. 4. 9. 10. 14—22. 21—27. 45—48. 50. 58. 61. et plerisque MSS. Paris. Ita quoque in aliquot codd. Liv. VII, 3. et Tertull. Apol. c. 23. et 24. legitur: *Nurscia* edd. Farn. Prat. et meliores libri (nescio qui), teste ac prob. Lips. ad Tac. Ann. IV, 1. *Norcia* 66. 67. *Nortia* 56. 59—63. 65. 68. 69. 71—74. et optimae edd. Livii l. l. quibus favet vetus inscriptio ap. Steph. Forcatulum in Gallorum philos. p. 514. Sed *Nortia* Sutrinorum potius Dea ap. Tertull. l. l., non Volsiniensium, popularium Seiani. *Nyrtia* 1. 77. Vetus scholion est: "Fortunam vult intelligi poëta, quae apud *Nyrtiam* colitur, unde fuit Seianus." *Nurtia* 23. 70. 75. 76. 81. 82. *Murcia* 31 b. 55. *Murtia* 49. 54. 57. *Mursia* 5. 11. *Nersia* ap. Tertull. l. l. in quibusdam libris.

76. *ac* pro *hac* 14. 16. 17. 19. 24. 25. 47. 49. 50. 54. 57. 58. —*ipsum* 22.

78. *effugit curas* 6. 7. 10—12. 17—27. 29. 45—50. 51—63. 65—69. 71—74.

81. *Pan* 11. 14—25. 45. 46. 49. 55. Valla τὸ πᾶν irrisorie, vel *Pan* pro *Pana* dictum putabat. *Pana* 2. 3. 5. 18 a m. sec. 50. 61—64. 66—68. 71—74. et multi codd. Paris. probb. Britann. et Pulm. ut intelligantur Lupercales ludi in honorem Panos acti. *Panem* 1. 31 b. cod. Put. et Thuan. 1. *Panum* 22. *Pannum* 30. 32. 47. 48. 54. 56—60. 65. 69. et

Nil dubium; magna est fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne poenas exigat Aiax,
Vt male defensus! Curramus praecipites, et,
Dum iacet in ripa, calcemus Caesaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, et pavidum in ius
Cervice obstricta dominum trahat.—Hi sermones
Tunc de Seiano, secreta haec murmura vulgi.
Visne salutari, sicut Seianus? habere
Tantumdem, atque illi summas donare curules?
Illum exercitibus praeponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldaeo? Vis certe pila, cohortes,

quidam codd. Paris. probb. Mancin. Ascens. et Calder. Ita designaretur insana ludorum Circensium spectandorum cupiditas, qua Romani ardebant. Conf. quae de *panno* dicemus inf. ad XI, 196. in Comm. Sed male sic synonyma, *pannus* et *Circenses*, iungerentur h. l. ubi sermo est de populo, *duas res* prae reliquis optante. Nostra lectio aptior et venustior est ceteris, et hae ex compendio scripturae ortae.

83. *Bruttidius* 20. *Butridius* 45. *Butidius* 17 a m. pr. — *ad Martis fugit ocyus aram*, in ea praesidium inventurus, conj. Dorleans.

85. *ut* pro *et* 24.

88. *astricta* 10. 14—24. 27. 46—50. 54—56. 59—65. 68. 69. 71—74.

90. *haberi Tantumdem* (h. e. tanti aestimari, in tanto honore esse) non male 21 a m. sec. aliique codd. teste ac prob. Heins. ad Ovid. Trist. I, 9, 44. Notiones tamen honoris vel potentiae et divitiarum bene h. l. iunguntur, et illa, non haec, reliquis continetur verbis.

91. *ulli* 14. 17. 22. — *summas* 1. 70. 75. 76. et quidam codd. Paris. *sellas donare curules* 10. 12. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes fere codd. Paris. haud dubie e glossa. Hanc tamen lect. revocavit Ach.

93. *augusta* 1. 10. 21—27. 54. 56. 62. 64. 69—76. 82. et quidam codd. Paris. h. e. quae sedes quasi regni fuit, a Roma illuc translati; vel imperatoria ac sancta (v. Ovid. Fast. I, 609 seq.) et venerabili, quoniam Principis fuit secessus. Sed haec notio iam exprimitur verbis *Principis sedentis*, et venustius mordaciusque est epitheton *angusta*, quod restitui ex 11. 14—20. 45—50. 55. 57—61. 63. 65—68. 77. et optimis MSS. Paris. probb. Scalig. ad Manil. p. m. 42. Voss. Etymolog. p. 30. Lindenbr. et Ach. Finge tibi Imperatorem Romanum et Augustum, in parva ac petrosa insula *sedentem*. Cf. Comm.

94. *vis ducere pila* emend. Scioppius Verisim. IV, 10. *vis certae pila cohortis* (h. e. primipilatum) 60. 65. prob. Mancin. Neutra lectio vulgatae

Egregios equites et castra domestica? Quidni
Haec cupias? et, qui nolunt occidere quemquam,
Posse volunt. Sed quae praeclara et prospera tanti,
Vt rebus laetis par sit mensura malorum?
Huius, qui trahitur, praetextam sumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Aedilis Vlubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum: nam qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsae turris tabulata, unde altior esset
Casus et impulsae praeceps immane ruinae.
  Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni.

praeferenda videtur. Haec vero verba cum affirmantis, tum interrogantis esse possunt.

97. *tantum* 10. 11. 14—17. 19. 20 22—24. 27. 45. 59. 60. 64. 65. 69. et plerique codd. Paris. non improb. Schurzfl. ut dicat poëta: quaenam usque adeo bona sunt, ut non mala habeant admixta? Eodem sensu interpp. tantum non omnes vulgatam quoque lect. ceperunt. Ita vero mox *ut non* dicendum erat, non *ut*. Hanc difficultatem sensisse videtur Lubinus, qui emendabat *Vt* (h. e. quum) *rebus laetis par est mensura laborum.* Praestiterit: *Quum rebus laetis par sit m. m.* vel *quae praeclara et prospera tanta* (sunt), *Vt rebus laetis par sit m. m.*, ut iis tantum mali, nec potius plus iunctum sit?

101. *mensuris* 11. — *uis* pro *ius* 10. 15. 18. 19. 27. 45—49. 51—60. 65. facili errore.

102. *vacuisque* 11. 17. 18. 20. non improb. Schurzfleisch. modo *pannosis* reponatur.

112. *ac vulnere* 16. 24. *sine caede et sanguine* (ἀναιμωτὶ ap. Homer. et Oppian.) 77. Serv. ad Virg. et Ioh. Salisbur. in Policratico II, 15. probb. Schurzfl. et Heins. ad Claudian. in Cos. I. Stilic. II, 19. qui *vulnus* pro glossemate habebant. Sed *sanguis* potius interpretamentum *vulneris* aut certe *caedis* esse videtur (nam caedes et φόνος saepe pro sanguine et *αἵματι*

Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustae vernula capsae.
Eloquio sed uterque perît orator: utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix caesa; nec umquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
« O fortunatam natam me consule Romam! »
Antonî gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quam te conspicuae, divina Philippica, famae,
Volveris a prima quae proxima. Saevus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.
Dîs ille adversis genitus fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massae fuligine lippus
A carbone et forcipibus gladiosque parante
Incude et luteo Vulcanô ad rhetora misit.

ponuntur), et Servius permulta veterum scriptorum loca memoriter laudavit.

114. *ac famam* pro *aut famam*, quod minus aptum auribusque h. l. ingratum est, restitui ex 10. 14—27. 45—50. 54—63. 65—69. 71—73. et plerisque MSS. Paris. — *ac Ciceronis* 19.

116. *parcam* — *Minervam* (qua puer parce adhuc imbutus est ingeniose conj. Heins. ad Ovid. Fast. III, 829. coll. Virg. Aen. VIII, 409. ibique Servio, qui simili sensu *Minervam tenuem: rudem, pinguem crassamque* dixere. Sed poëta etiam bene dixit iunxitque *adhuc uno asse partam* Minervam, primam artium cognitionem institutione unius anni partam.

118. *perît*, v. sup. ad v. 44.

123. *potuit gladios* 49.

124. *O iam dixisset* 44. Hinc *Troiam* pro *Omnia* conj. Schurzfleisch. ut innuat poëta, ideo Antonium Ciceroni fuisse infensum, quod eius eloquio Roma sit tuta reddita ac fortunata. Sed idem recte monet, verbis suis non inconsultius fidem esse habendam, quum Ciceronis *poëmata ridenda* mox dicantur.

131. *forcipibus* (quasi *foricipibus*, Herausnehmer, Zangen, Pelicane) recte omnes, quos vidi, libri, non *forficibus*, quod passim substituitur. v. Heins. ad Ovid. Met. VI, 556. ad Virg. Aen. VIII, 453. XII, 404. Oudend. ad Suet. Aug. 75. et Böttiger in Sabina p. 267. 268. ed. pr.

Bellorum exuviae, truncis affixa tropaeis
Lorica et fracta de casside buccula pendens
Et curtum temone iugum victaeque triremis
Aplustre et summo tristis captivus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur: ad haec se
Romanus Graiusque ac barbarus endoperator
Erexit: causas discriminis atque laboris
Inde habuit. Tanto maior famae sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum et laudis titulique cupido
Haesuri saxis cinerum custodibus; ad quae
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo

132. *in luteo* 68. *luto* 64. 73. ex emend. Britan. et al. ut sit id. qd. *luteo*, prima syll. longa, et sic metro consulatur. At vid. Comm. *tuto Vulcano* conj. Jacobs coll. Claudian. in Eutrop. II, 456. seq. quia *tutam* artem, quaeque nihil minaretur periculi, exercuerit Demosthenis pater, et contra filius, *tuto Vulcano* relicto, ad rhetorem missus arte illa, unde sibi petierit gloriam, misere perierit.

133. *trophaeis* 17—19. 21—27. 45—50. 54—57. ut et nostri poëtae vulgo *trophäen* dicunt. Sed τρόπαιον vel τροπαῖον dicitur monimentum τῆς τῶν ἐχθρῶν τροπῆς, conversionis, h. e. fugae hostium, quod victoriae significandae causa in ipso pugnae loco erigebatur, a τροπὴ et τροπάω.

134. *bucula* 11. 21. 22.

136. *Applustre* 10. *Amplustrae* 64. *Amplustre* 16. 21. 25. 27. 45—48. 58. 60. 65. ut in quibusdam codd. Sil. X, 324. et al. Festus: *Aplustria*, inquit, *navium ornamenta, quae, quia erant amplius, quam erant necessaria usui, etiam amplustria dicebantur.* — *Aplustra* forte 1. Vetus scholion est: "*Aplustra*, tabulatum ad decorandam superficiem navis adpositum: alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα. „— *summa in arce* 6.

137. *ad haec* (scil. bona) revocavi ex 22. 25 a m. sec. 25. 27. 46—50. 54—59. 71—74. et tribus MSS. Paris. *ad hos* 11. 12. 16. 21 a m. sec. 23. 24 a m. pr. 45. *et huc* 77. *ad hoc* 1. 10. 14. 17—21 a m. pr. 70. 74. 75. 82. et XXXII codd. Paris. quos secutus est Ach. Vetus scholion est: "*Ad hoc*, id est non propter virtutem posse volunt, sed propter famam et gloriam: cuius causa etiam imperium assumtum est. „

138. *et* pro *ac* 10. 11—18. 20—22. 24. 45. *seu* pro *ac* 12. 23. — *endoperator* scripsi pro *induperator*. v. sup. ad IV, 29.

145 *fici* 10. 21. 64. Nil interest.

Invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano Niloque admota tepenti,
Rursus ad Aethiopum populos altosque elephantos.
Additur imperiis Hispania: Pyrenaeum
Transilit: opposuit natura Alpemque nivemque;
Diducit scopulos et montem rumpit aceto.
Iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas
Frangimus et media vexillum pono Subura.
O qualis facies et quali digna tabella,
Quum Gaetula ducem portaret belua luscum!
Exitus ergo quis est? O gloria! vincitur idem
Nempe, et in exsilium praeceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad praetoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.

149. *Perfusa* (irrigata, ut ap. Plin. IV, 12. V, 29. al.) 24. 25. 27. 45—49. 51—69. 71—74. 77. et cod. Put. Nostra lectio praeferenda videtur, magis tamen in epico poëta, quam in satirico. *Percussa Oceano* est eius fluctibus pulsata s. verberata.

150. v. Excurs. ad h. l.— *elephantes* 22.

151. *Hesperia* 21.

152. *apposuit* 16.

153. *Diducit* 1. 14. 15. 17—24. 70. 75. 76. et duo MSS. viri docti in Miscell. Obss. Crit. Vol. V. T. II. p. 298. In iisdem legitur *rupit*, ut in 18—21. 25. 27. 45—50. 51—69. 71—74. *Diduxit* 10. 16. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. *Deducit* quidam, solenni permutatione. v. inf. ad XIII, 132. et Misc. Obss. l. l.

155. *Acti, inquit, nihil est* 12. 20. 24. aliique codd. mss. teste ac prob. Heins. ad Ovid. Ep. Her. VIII, 101. Sed *actum* h. l. coniungendum cum *est*. Cf. ad IX, 88. — *nil* 14. 16. 17. 20. — *ni* 16. 17. 20. 23. 24. 61—63. 68. 71—73.

156. *Suburra* 18. 24. 27. 45—50. 58. 61—64. 66—69. 71—73. v. sup. ad III, 5.

158. *bellua* pro *belua* 17. 23. 24. 45—48. 59. 60. 64. 65. v. ad IV, 121.

159. *ausculta* pro *O gloria* 16.

160. *et* abest ab 16. 47. 64. — *praeceps abit* 4. 7. 14. 15. 17. 18. 20. 22. 25. 27. 46—49. 55—60. 65. et recentt. codd. Paris.— *ita* pro *ibi* 22.

161. *sedit* 16.

162. *Bythino* 49. 56. 60. 65. *Bithynio* 50. 64. *Bithinio* 10. 18—21 a m. pr. 46—48. 58. *Bitineo* 45. *Bithynico* 21 a m. sec. *Bythunico* 25. v. sup. ad VII, 15. — *iugulare* 21 a m. sec. 27. 45. 49. 58. 65. Verbum autem *vigilare* non modo satirici poëtae ingenio (v. Comm.), sed historiae etiam (nam Prusias non iugulavit

Finem animae, quae res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt nec tela, sed ille
Cannarum vindex ac tanti sanguinis ultor,
Annulus. I, demens, et saevas curre per Alpes,
Vt pueris placeas et declamatio fias!
Vnus Pellaeo iuveni non sufficit orbis:
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyarae clausus scopulis parvaque Seripho.
Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit! Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax
Audet in historia: constratum classibus isdem
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos
Defecisse amnes epotaque flumina Medo
Prandente, et madidis cantat quae Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,

Hannibalem) multo convenientius est.

164. *non tela* 10. 14—18. 20—27. 45—47. 49. 50. 54—58. 60—69. 71—74.

165. *ac tanti* pro *et tanti* revocavimus ex 25. 27. 45—47. 49. 50. 54. 55. 57. 58. 60—63. 65—69. 71—73. ne copula *et* toties occurrens fastidium creet auribus.

166. *a demens* (saltem *ah d.*) 14. 16. *O demens, i, saevas* cet 11. prob. Schurzfl. *I, demens! i, saevas* conj. Burm. ad Anthol. T. I. p. 510. quod impense placet Hein. quodque edidit Ach. cuius nota est: "ita habent omnes fere codd. nostri; quidam *O demens et saevas*, et duo *ah demens.*" Mirum et vix credibile, MSS. Paris. hoc tantum loco a meis discrepare. — *seaevas* 49.

167. *placeas pueris* 24.

169. *in limine* 24.

170. *Chiraraç* 16. *Giari* et *Gyari* 10. 53. 80. quod recepit Ach. Recte, opinor. *Gyara* certe non nisi h. l. dicitur insula, et *Gyari* sup. I, 73. alibi semper Γύαρος, *Gyarus*. Sed nomina oppidorum variant et ita quoque mutanda esset lectio I, 73. — *parvave* emend. H. Vales. Recte, opinor.

173. *sunt* 10. 17. 23. 24. 46—48. 58. — *hominis* 14. 17. 19.

175. *cum stratum* 27. 46—50. 55. 57. 58. 61—63. 65—69. 71—73.

177. Pro *amnes* malim *lacus*, ne eadem res bis exprimatur, et quoniam Herodotus memorat, non fluvios modo quatuor ab exercitu Xerxis siccatos exhaustosque esse, sed *lacum* quoque XXX stadiorum.

178. *quae cantat* 45.

179. *rediit qualis* 18.

In Corum atque Eurum solitus saevire flagellis
Barbarus, Aeolio numquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum?
Mitius id sane, quod non et stigmate dignum
Credidit. Huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria poenas.

Da spatium vitae, multos da, Iupiter, annos!
Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.
Sed quam continuis et quantis longa senectus
Plena malis! Deformem et tetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui; deformem pro cute pellem;
Pendentesque genas et tales adspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit iam mater simia bucca.
Plurima sunt iuvenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo.
Vna senum facies, cum voce trementia membra,

181. *haec* 25. 27. 46—49. 54. 55. 57—60. 64. 65.

183. *est* pro *et* 15. 16. Praestiterit: *Mitius id sane, quam quod vel stigmate*, aut potius, quod Hein. coniicit, *Mitius id sane, quandoque et stigmate dignum Credidit.* His certe coniecturis favet historia; quae quum librariis ignota esset, haec verba corrupisse videntur. Cf. Comm.

184. *Crederet* 12. 14. 17. 19—21. 23. 24. — *hinc* 57. 59. — *voluit* 18.

185. *namque* pro *nempe* 16.

186. *et* 11. 16. 22. *at* 17.

188. *da multos* 16.

189. *Hoc altus coelumque tuens, hoc pallidus optas* 4. 29. haud dubie ex interpretam. — *haec et p. o.* 12. *tu* pro *et* 20. — *optat* 27. 47.

193. *et aniles aspice rugas* conj. Heins. prob. Burm. ad Anthol. Lat. T. I. p. 516. Non opus, iudice Hein.

194. *Qualis* 60. — *Tabraca* 1. 10—12. 14. 17—21. 25. 26. 27. 45. 47. 49. 50. 54. 55. 58. 61. 62. 63. 65—77. 81. 82. *Trabaca* 16. *Thabraca* 56. 59. 60. 65. *Trabraca* 64. *Tabacra* 23. *Trabacha* 15. *Tabrata* 46. 48. 57. *Tabracia* Farnab. et al. Cf. Plin. V, 3. ubi eadem fere lectionis varietas est, et in quibusdam libris etiam *Trabracha* et *Tacabracha* legitur. *Tabathra* dicitur Steph. et Θάβρακα Ptolem. IV, 3. Conf. Bocharti Geogr. sacr. p. 519.

197. *atque iste alio; multo hic r. i.* emend. H. Vales. *multo* 25. 56. 59. 60. 65.

Et iam leve caput madidique infantia nasi:
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Vsque adeo gravis uxori natisque sibique,
Vt captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia: nam coitus iam longa oblivio; vel si
Coneris, iacet exiguus cum ramice nervus,
Et, quamvis tota palpetur nocte, iacebit.
Anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,
Quae Venerem adfectat sine viribus? Adspice partis
Nunc damnum alterius: nam quae cantante voluptas,
Sit licet eximius citharoedus sitve Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris

198. *labra* pro *membra* 15. 18. 61. 62. 63. 68. 71—74. *verba* al. *Membra* ac *verba* saepe permutari docent Scalig. ad Prop. I, 13, 17. et Schrader Emendatt. p. 126. — Similiter Lucianus dial. mort. VI, 2 dixit: τὸν ὑπέργηρων, ὀδόντας τρεῖς ἔτι λοιποὺς ἔχοντα, μόγις ὁρῶντα, οἰκέταις τέτρασιν ἐπικεκυφότα, κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα, λήμης δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς μεστὸν ὄντα, οὐδὲν ἔτι ἡδὺ εἰδότα, ἔμψυχόν τινα τάφον, ὑπὸ τῶν νέων καταγελώμενον, et dial. mort. IX, 2. γέροντά με καὶ φαλακρὸν ὄντα καὶ λημῶντα προσέτι καὶ κορυζῶντα.

199. *leve* 17—20. Recte. *laeve* ceteri. v. ad II, 12.

200. *miseris* 12. 14. 15. 16. 45. 47. 54. 64.

201. *Atque* 60. 65. 77.

205. *Conetur* (sc. senex coitum s. coire) 13. quod et mihi in mentem venit.

211. *citharoedus sitve Seleucus* restitui ex 10. 11. 12. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. et omnibus fere codd. Paris. *citharoedo sive Seleuco* 70. 75. 76. 82. Haec lectio haud dubie substituta ab iis, qui structura verborum offendebantur. Sed *cantante, sit licet eximius citharoedus* docte dicitur pro: *cantante citharoedo, licet sit eximius*. Ita fere mox v. 253. *quaerit ab omni, Quisquis adest socius.—sive* 45.

212. *At* 15. *mos est decurrere palla* 64.

214. *exaudiat* 10. 11. 12. 14. 17—20. 22. 25. 27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. et longe plurimi codd. Paris. unde illud pro vulg. *exaudiet*, quod tamen et ipsum bene habet, restitui cum Ach.

Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Praeterea minimus gelido iam corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quaeras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia moechos,
Quot Themison aegros auctumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos, quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos et luscis invidet: huius
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum coenae diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna. Sed omni
Membrorum damno maior dementia, quae nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo praeterita coenavit nocte; nec illos,
Quos genuit, quos eduxit: nam codice saevo

217. *in corpore* alii. Sed delevi nunc illud *in*, quod abest a 13. 16. 48. 19. 25. 27. 45—50. 55—61. 63—67. 74. 77.

220. *Hippia*, v. ad VI, 82.

220 seq. Θᾶττον ἄν μοι, ὦ Λυκῖνε, θαλάττης κύματα καὶ πυκνὰς ἀπ' οὐρανοῦ νιφάδας ἀριθμήσειας, ἢ τοὺς ἐμοὺς ἔρωτας, Lucian. Amor. c. 2.

221. abest a 22. et 222. 223. ab 25. — *Hyrrus* 17. 19 23. 45. *Irus* 27. 47. 48. 54. 55. 56. 58—60. 64. 65. 77. *Hyrus* 57. *Yrrus* 22. *Hirrsus* 12. *Yrcus* 24. *Hircus* 46. Cf. Comm.

223. *absorbeat* 1. ut sup. VI, 126. unde forsan haec lectio desumta.

224. *Hamillus* 1. 11. 14. 15. 16. 50. 54. 70. 75. 76. 77. 82. *Amilus* 47. *Amillus* 10. 17—27. 45. 46. 48. 49. 55—69. 71—74. 81. ut vulgo legitur ap. Martial. VII, 61.

227. *cossa* 25. 27. 46. 48. 49. 56—59. *ossa* 47.

229. *capiunt* 16. 25. 27. 46. 47. 49. 50. 54—58. 61—69. 71—74. 77. *digitis accipiunt alienis* 11. metro adversante. *digitis capiunt alienis* recte, opinor, emend. Schurzfl.

230. *Ille* 22. — *deducere* 10—14. 16 17. 19—24. 45. — *rictus* 18. 24.

231. *seu* 60.

234. *cultum* 45. 47. — *agnoscat* 16.

236. *educit* 25. 46—49. 55. 57—60. 64. 65. — *codice scaevo* 11. Recte,

Heredes vetat esse suos; bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.
Vt vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum, rogus adspiciendus amatae
Coniugis et fratris, plenaeque sororibus urnae.
Haec data poena diu viventibus, ut, renovata
Semper clade domus, multis in luctibus inque
Perpetuo moerore et nigra veste senescant.
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitae fuit a cornice secundae.
Felix nimirum, qui tot per saecula mortem
Distulit atque suos iam dextra computat annos
Quique novum toties mustum bibit! Oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum et nimio de stamine, quum videt acris
Antilochi barbam ardentem, quum quaerit ab omni,.

opinor. *Scaevum* est id. qd. *laevum* vel sinistrum, adeoque vel triste et infelix, vel ineptum, pravum, perversum, ut h. l. Plathnerus: " Scripta, inquit, haec satira sub Hadriano. (v. sup. ad v. 80. 81. in Comm.) Iam vero inde a Domitiani saeculo testamentis nihil poterat relinqui probrosis feminis. (v. sup. ad I, 55 seq. in Comm.) *Codex* igitur (testamentum) deliri senis h. l. *scaevus* i. e. contra normam legis et perversus dicitur, quemadmodum *scaevum dogma* in L. hi qui scaevi C. Theodos. tit. de his qui sup. Rell. cont. dicitur, quod contra regulam et canones ecclesiae introductum est. Porro et illud notes ex verbis *nec illos Quos genuit, quos eduxit*, apud patruos plerumque educatos Romanos: acriores enim morum hi censores.,, Cf. Ernesti clav. Cic. v. *patruus*. Non male quidem *saevo* h. l. legitur, sed minus apte: quod quum non intelligerent librarii, vocem sibi notiorem substituerunt exquisitiori. — Cf. ad XIII, 208.

244. *Saepe* 24.

245. *pulla veste* 77.

248. *quod tot* 17. 24. *per tot* 10. 16. 23. 25. 45—50. 54. 55. 57—60. 64. 65,

249. *dextra iam* 19. *in dextram* 6. prob. Iun.

252. *quum videt* revocavi ex 14. 15. 17—22. 25. 27. 57. 58. 64. 62. 63. 66. 67. 68. 71. 72. 73. 75. 76. *quum vidit* al. Sed mox sequitur *quum quaerit*.

253. *nam quaerit* 10. 13—20. 23—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et plerique codd. Paris.

Quisquis adest socius, cur haec in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit aevo?
Haec eadem Peleus, raptum quum luget Achillem;
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troia Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum cervicibus inter
Iliadum lacrumas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet scissaque Polyxena palla,
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Coeperat audaces Paris aedificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara
Et ruit ante aram summi Iovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue et miserabile collum
Praebet, ab ingrato iam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quae post hunc vixerat, uxor.
  Festino ad nostros, et regem transeo Ponti
Et Croesum, quem vox iusti facunda Solonis
Respicere ad longae iussit spatia ultima vitae.
Exsilium et carcer Minturnarumque paludes
Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius umquam,

251. *ab omni Quisquis adest socio* 7. 10. 13—27. 45—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. 73. et maxima pars MSS. Paris.

263. *quo iam* 7. 10. 14—27. 29. 45—50. 54—69. 71—74. et plerique codd. Paris. quos secutus est Ach.

274. *iusti quem vox* 14. 15. 17. 18. 20. 21. *iustificanda* 8. unde *vox mox iustificanda* conj. Pith. qui tamen recie praetulit vulgatam lec.

274. 275. Sic Solon. ap. Lucian. Επισκοπ. c. 10. Οὐδέπω οἶδα, Κροῖσε (scil. σὲ εὐδαίμονα εἶναι) ἢν μὴ πρὸς τὸ τέλος ἀφίκῃ τοῦ βίου. Ὁ γὰρ θάνατος ἀκριβὴς ἔλεγχος τῶν τοιούτων καὶ τὸ ἄχρι πρὸς τὸ τέρμα εὐδαιμόνως διαβιῶναι.

277. *Karthagine* 11. 18. v. ad VI, 471.

Si circumducto captivorum agmine et omni
Bellorum pompa animam exhalasset opimam,
Quum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multae urbes et publica vota
Vicerunt. Igitur Fortuna ipsius et Vrbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac poena caruit ceciditque Cethegus
Integer, et iacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, quum Veneris fanum videt anxia mater,
Vsque ad delicias votorum.— Cur tamen, inquit,
Corripias? Pulcra gaudet Latona Diana.—
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilae Virginia gibbum
Accipere atque suam Rutilae dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae! Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus ac veteres imitata Sabinos,

280. *circumdato* 21. 22.

281. De hiatu v. ad I, 151.

284. Epitheton *multae* languere h. l. neque festivitati poëtae consentaneum esse, putabant Ruhnken. et Herel: quapropter ille ad Vellei. Pat. p. 239. conj. *moestae*, hic vero in literis ad me datis *pullae*, quae vox insolentior quidem, sed et iocosior videri potest vulgari *pullatae*, qua Iuvenalis sup. III, 213. utitur. Ingeniosae quidem emendationes: sed non video, cur vulgata lectio langueat, quae potius ad magnitudinem Pompeii declarandam multum valet. Cf. Comm.

290. *ubi* pro *quum* 18. 46. 48. — *fanum Veneris* 21.

292. *puella* pro *Diana* 18.

299. *Sabinas* 10—20. 23—27. 45—48. 50. 51—69. 71—74. et plerique codd. Paris. probb. Schurzfl., Schrader. Observ. pag. 80. et Heins. ad Ovid. Am. II, 4, 51. et in Advers. p. 357. qui hanc lectionem firmant tum aliorum codd. auctoritate, tum locis simil. Martial. 62. (al. 63.) 1. Prop. II, 23, 103. (al. 32. 47.) Horat. Epod. II, 40, 4. Ovid. l. l. et medic. fac. v. 11. aliisque, quibus summa Sabinarum mulierum castitas praedicatur. Sed aptior forte nostra lectio, quoniam de *filio* et de *sanctis moribus horridae domus* h. l. agitur, nec tantum Sabinae propterea bene audierunt, sed et Sabini: nam vel

Praeterea castum ingenium vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu (quid enim puero conferre potest plus
Custode et cura natura potentior omni?);
Non licet esse viris: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia! Nullus ephebum
Deformem saeva castravit in arce tyrannus;
Nec praetextatum rapuit Nero loripedem vel
Strumosum atque utero pariter gibboque tumentem.
I nunc, et iuvenis specie laetare tui, quem
Maiora exspectant discrimina! fiet adulter
Publicus et poenas metuet, quascumque mariti
Exigere irati; nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos numquam incidat. Exigit autem

tironibus ex Liv. I, 18. nota est *disciplina tetrica ac tristis veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* v. sup. ad VI, 164. in Comm. Parum tamen interest.

300. *modestum* 10—19 a m. sec. 20. 21. 22. 27. 45. 46. 47. 49. 54. 55. 56. 60—69. 71—74. et omnes fere codd. Paris.

304. *viris* pro *viros* restitui ex 13. 47. 19 a m. sec. 22. 48. et XII MSS. Paris. quoniam dictio haec doctior est et multo frequentior optimae Latinitatis scriptoribus. v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIV, 64. ubi eam similesque, *licet esse, contigit esse*, vel *satis est esse fideli, priori* cet. multis exemplis illustravit.

307. *scaeva* 18. — *castrabit* 16.

308. *Non* 21. — *vel Strumosum* recepi ex 10—19 a m. pr. 20—27. 46—50. 54—69. 71—74. et quibusdam MSS. Paris. *nec Strumosum* al.

309. *itero* pro *utero* conj. C. Vales. quia *iterum* et *ἰτρίον* in glossariis sit *ἦτρον s. ἴτρον*, abdomen; imus venter, pars inter umbilicum ac virilia; et *uterus* de puero non dicatur et de viro.

310. *et specie iuvenis* 77. *Hac ergo iuvenis specie* 22. *Nunc ergo iuvenis specie* 10. 15. 16. 23. 24. 25. 46—50. 54—69. 71—74. *Nunc ergo specie iuvenis* 11. 13. 14. 17. 18. 20. 21. 45. et omnes codd. Paris. teste et prob. Ach. *Nunc ergo speciem iuvenis* 7. 29. *I nunc et i. s.* 1. 75—82. Nota Schurzfl. est haec: "Scriptum in primo libro NVNC ET SPECIE nota Saec. II et seqq. abbreviatura, quam non attendens librarius exscripsit *Nunc et specie:* alii *ergo* addiderunt, ut versus compleretur."

311. *exspectent* 12.

312. 313. v. Excurs. ad h. l.

314. *nusquam* 47. 54. 64.— *exigat* 15. 25. 57. 59.

Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit. Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam moechos et mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectae fiet adulter
Matronae: mox quum dederit Servilia numos,
Fiet et illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum: quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus sive est haec Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores. —
Sed casto quid forma nocet? — quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe haec, ceu fastidita, repulsa.

315. *iste* 25. 27. 46—50. 54. 55. 57—60. 64. 65.

316. *necat ille cruentis Verberibus* 11. 20. ut ap. Horat. Sat I, 2, 41. *ille flagellis ad mortem caesus.* Sed tum epitheton *cruentis* languet.

317. *Vulneribus* 19.

320. *Fiat* 16. — *quem* 27. 46—50. 58. 61. 62. 63. 65—68. — *exuit* 24. *exuat* 12. 14. 16. *cruet* 25. 46. 48. 49. 55. 56. 57. 59—63. 65—69. 71—74.

321. *Illa* 21.

322. *haec est* 11. 45. — *Oppia* 1. 47. 54. 57. 70. 75. 76. 82. et omnes fere codd. Paris. teste Acb. *Optia* 12. 14. 17. 22. 23. *Ophia* 21. *Oppicia* 20. *Scipia* 16. *Yppia* 19. *Hyppia* 15. 45. *Hippida* 18. *Ippia* 24. 46. 48. 58. *Hippia* 10. 11. 25. 49. 50. 55. 56. 59—69. 71—74. 77. non improb. Schurzfl. ut sensus sit: sive est impudicissima, qualis *Hippia* fuit (v. sup. VI, 82—115.), sive castissima, qualis fuit *Catulla*, utque poëta μισόγυνος contendat, nullam omnino feminam esse bonam, nihilque interesse inter lasciviorem et inter eam, quae maximam castitatis laudem sit promerita. Sed casta mulier ab h. l. aliena.

323. *comes* olim pro *totos* legendum putabam hoc sensu: *deterior*, mala, impudica, *femina illic*, in re Venerea, *habet comes mores*, come ingenium: summa comitate ac liberalitate allicere solet viros ac delenire. Sed praeferenda nunc mihi videtur emendatio H. Valesii: *Deterior totos habet illic* (in udis et iuvenilibus inguinibus vel mentulis) *femina amores.* Conf. tamen Comm.

324. *profuit uni* 16. *profuit ergo* 49. 55. *profuit olim* 61. 62. 63. 66—69. 71—74. 77. *uni* et *olim* legitur etiam in quibusdam MSS. Paris.

325. *Bellorophonti* 17. 19. 21. 22. 23. 45. 49. 60. 65.

326. *certe* pro *nempe* 18. 21. 24. — *seu* 22. — *repulsa* restitui ex 10—16. 21—27. 45—50. 54—69. 71—74. *repulso* 17—20. 70. 75. 76. 82. quod quomodo explicari commode possit, vix assequor. Sed neque vox *haec* h. l. convenit. Refertur vulgo ad Phaedram, Hippolyti novercam, quae mox *Cressa* dicitur. Durissima vero

Nec Stheneboea minus, quam Cressa, excanduit, et se
Concussere ambae. Mulier saevissima tunc est,
Quum stimulos odio pudor admovet. Elige, quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Caesaris uxor
Destinat? Optimus hic, et formosissimus idem
Gentis patriciae, rapitur miser exstinguendus
Messalinae oculis: dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo; veniet cum signatoribus auspex.
Haec tu secreta et paucis commissa putabas?
Non, nisi legitime, vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Vrbi et populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domus sciet ultimus: interea tu
Obsequere imperio; sit tanti vita dierum
Paucorum. Quidquid melius leviusque putaris;

est haec ratio, quum nulla eius antea mentio sit facta; et nihil me movet contradictio Hein. "Ad *haec* facile (!) ex sequentibus assumi potest *Cressa.* Talis constructio non inusitata est et saepius multo duriores inveniuntur. v. Gron. Obss. IV, 4. ad Stat. Theb. I, 112. et ad Liv. XXX, 7.„ Olim suspicabar, poëtam scripsisse: *Erubuit nam Phaedra, ut fastidita, repulsa.* Librarii omnino permulta sic loca et nomina in primis propria corrupere: Iuvenalis etiam *Phaedra*, opinor, pro *Cressa* dixisse, nisi illud nomen iam memorasset. Vellem tamen lenior daretur medicina.

327. *Sthenebota* revocavi ex 16. 47. 48. 50. 62. 64. quoniam Graecis constanter Σθενέβοια dicitur. *Sthenoboca* 1. 10—15. 24—27. 49. 54—57. 59. 60. 61. 63. 65. 67—77. 81. 82. *Stenebea* 20. *Stheneboa* 58. 66. *Steneboca* 21. 22. 23.

330. *putas* 12. 16. 22. 67. 68. 72.

331. *Destinet* 27. 47. 48. *Festinat* 16. 66.

334. *Flammeolo* 18. 20. 23. 24. 62. 68. 71. 72. 73. v. sup. Comm. ad II, 124.— Vulgo *flameolo.*

335. *Cernitur* 21 a m. pr.

337. *putabis* 47. 54. 58.

339. *est* pro *erit* 11. 14—17. 19. 20. 23—27. 45—50. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. 73. et plerique codd. Paris.

341. *aurem* 14. 16. 20. 21. 22. 24.

343. *si tanti* 11. 14—20. 23. 24. 25. 45. 49. 56—63. 65. 68. *si tanti est* 27. 46. 47. 48. 50. 54. 55. 66. 67. 71—74. 77. Non male!

344. *levius meliusque* 10. 14. 15. 16. 18. 25. 27. 46—50. 54—63. 65—69.

Praebenda est gladio pulcra haec et candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti
Coniugium petimus partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.
Vt tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
Exta et candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores

71—74. *levius meliusve* 23. *melius leviusve* 19.

347. *permittas* 13. 16.

348. *quid* pro *sit* 21.

351. *Impulsi* 63. — *cupidine capti* 14. 17. alique codd. teste Heins. ad Ovid. Met. XIV, 229. qui nostram lect. ibid. lib. VIII, 123. multis illustravit exemplis. — *coena vanave cupidine* legisse vet. Schol. (cuius glossa est: *coeco sive vano desiderio*) non mihi persuasit Schurzfl., cui epitheton *magnaque* semper displicuit.

354. *At tamen ut* 13. 14. 17. 19—22. 24. 27. 47. et XXV codd. Paris. *At tamen et* 10. *Ac tamen ut* 11. *Et tamen ut* 16. *Vt tamen exposcas* 18. 45.

355. *thomacula* 22. 48. 64. *thomatula* 17. 20. 23. 46. *tomatula* 54. *stomachula* 15. 16. *thymatula* (a θύειν dicta) emend. Valla.

357. *et mortis* recte forsan 24. 61. 62. 63. 65—69. 71—74.

358. Quidam post *ponat*, non post *Naturae* distinguunt, praeeunte vet. Schol.

360. 361. absunt ab 11. et 22. prob. Schurzfl. si etiam v. 362. eiiciatur, ne poëta ταυτολόγως dicat, *qui ferre queat quoscumque labores*, et deinde, *qui potiores Herculis aerumnas credat saevosque labores* cet. Leguntur in scholiis antt. librisque tantum non omnibus, et ab interpolatoris ingenio illos esse profectos, vix crediderim. Pro *labores* tamen v. 359. substituere malim *dolores*, quae lectio in quibusdam reperitur editt at recentt. Farnabii, Lubini al. Nota Hein. est: "Talia ὁμοιοτέλευτα improbare etiam videtur Pers. Sat. I, 92. et Bentl. ad Hor. Od. I, 34, 5. Sed multa similia habet Schraderus ad Musaeum p. 140. Tautologia vero eiusmodi est, ut facile ferri possit. Praeterea hemistichion ex v. 360. iam laudatur Macrobio Somn. Scip. I, 8. *Passio-*

Herculis aerumnas credat saevosque labores,
Et Venere, et coenis, et pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare: semita certe
Tranquillae per virtutem patet unica vitae.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam coeloque locamus.

nès ignorare, non *vincere*, *ut nesciat irasci*, *cupiat nihil.*„ — *nil* 24.

361. *scevosque* 20.

362. *plumis* 13. 14. 16. 17. 20. 21. 22. 24—27. 46—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. *et plumis*, *et coenis* 77.— *Sardanapalli* 17—24. 45. 49. 64.

365. *nomen* 16. quidam codd. Paris. et alii apud Lactant. Inst. III, 29. (ubi poëtae nostri v. 365. et 366. laudantur) non improb. Plathnero, qui comparavit verba Ciceronis: *Ignoratio rerum et causarum Fortunae nomen induxit.* — *Nullum numen* abest (h. e. omnes dii favent et adsunt iis, qui non temere, sed consilio et prudentia res gerunt) 13. 15. 16. 18—22. 24—27. 45—49. 54—59. 61. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73. 77. et quatuor MSS. Paris. Sed nostra lectio h. l. aptior est. — *nos te* 1. 8. 11. 12. 70. 75. 76. *sed te* 10. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. *tecum* 13. eiecto v. 366. In repetitione pronom. *nos* maior vis inest. Ceterum eadem lectionis varietas reperitur inf. v. 316., ubi haec verba repetuntur, et apud Lactant. l. l.

SATIRA XI.

ARGVMENTVM

Iuvenalis ad frugalem coenam Persicum, amicum suum, invitaturus primum perstringit stultitiam eorum, qui lautiores parent epulas, quam facultatum suarum modus ferat, donec absumto omni patrimonio redigantur ad mendicitatem, quae vel vitam ac potissimum senectutem ipsa morte graviorem efficiat, vel eos cogat patria cedere, ne a creditoribus saepe elusis comprehendantur. v. 1—55. *Quibus praemissis, fercula a se parata, una cum supellectile ac ministris, recenset. Cibos dicit esse inemtos et in villa Tiburtina natos, hoedulum, gallinam, ova, asparagos, uvas, pira et mala, quae olim luxuriosa fuerit coena Senatorum clarissimorumque Romanae gentis nominum, Curii, Fabiorum, Catonis, Scaurorum, Fabriciorum aliorumque* (56—92.); *supellectilem non magnificam, testudineam, argenteam, auream, citream vel eburneam, sed simplicem, aeream, ligneam, fictilem, osseam, mensas nuceas et domi natas* (94—135.); *servos, non perite opsonia scindentes, nec peregrinos et care emtos, vel bene comtos, ornatos et doctos, sed rudes et Italos, pastoris et bubulci filios, indutos crasso eodemque vestitu, nec nisi nunc propter convivia pexos, at ingenui vultus ac pudoris, castos et libidinis ignaros, qui viles calices et vina patria porrecturi sint.* 136—161. *Praeterea non lascivas saltationes et cantilenas Gaditanarum puellarum, sed honestiora Persico promittit acroamata, recitationes carminum Homeri et altisoni Maronis.* 162—180. *Denique ab amico petit, ut omnibus dimissis curis et hilari animo, dum omnis Roma ad ludos Megalesiacos spectandos in Circum effusa sit, iam sexta hora veniat: quod sine pudore fieri posse monet, quum nonnunquam fas sit genio indulgere, et rariori usu voluptates commendentur.* 181—208.

Satira pulcerrima, qua frugalitas praedicatur et damnatur luxus, maxime eorum, qui, immemores aurei praecepti γνῶθι σεχυτὸν, facultatum suarum modum transeunt. Sabinus suspicabatur, Iuvenalem in Epicuri sectam invehi; Calderinus contra, ab eo otium et frugalitatem laudari ex sententia huius philosophi, qui veram vitam in mentis tranquillitate virtutisque posuerit exercitio eique frugalitatem quam maxime convenire existimaverit.

Atticus eximie si coenat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. Quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? Omnis

2. *Rutulus* 11. 23. 27. 58. 64. 66. 67. non improb. Schurzfl.

3. *Accipitur* 24. — *Apitius* 18 21. 22. 23. 48. 58.

Convictus, thermae, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida ac iuvenilia membra
Sufficiunt galeae, dumque ardent sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges et regia verba lanistae.
Multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius coenat meliusque miserrimus horum
Et cito casurus iam perlucente ruina.
Interea gustus elementa per omnia quaerunt,
Numquam animo pretiis obstantibus. Interius si
Attendas, magis illa iuvant, quae pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis vel matris imagine fracta,

4. *Convinctus* 11. ut alibi *thensaurus*, *formonsus*, et inf. v. 28. *fingendum*. *Conventus* 15. 16. et alii codd. quos laudant Pontan. Analect. II, 11. et Barth. Advers. XLII, 16. *Conventus*, *turmae*, *stationes*, *omne tribunal* in MS. aliquo se legisse dicit Lips. Epist. Quaest. II, 9.

5. 6. Ita hunc locum recte, opinor, emendarunt Rutgers. var. lect. II, 17. Barth. Advers. XLII, 16. Rigaltius et Farnab. Vulgo legitur: *nam dum valida* (Rutili) *ac iuvenilia membra Sufficiunt galeae dumque ardens sanguine fertur*, *Non cogente* cet., vel *dumque ardens* (scil. Rutilus est) *sanguine*, *fertur*, *Non* cet. Sed illa et lectio et distinctio inepta mihi videtur, haec vero scabra; et fruatur iudicio suo Hein. qui contendit, in hac nihil esse, quod iure culpari possit et vel optimum inde effici sensum. *valida* cet. vel mox v. 8. *Scripturit is* conj Lindenbr. — *et* 18. — *iuvenalia* 17 a m. pr. 64. Vox rarior, qua etiam utitur Virg. Aen. II, 518. V, 475. VIII, 163. ad quae loca v. Interpp.

6. *dum fertur sanguine et ardens* 15.

7. *Nec cogente* 16. — *non prohibente* 16. 23. — Pro *tribuno* suspicari possis *tyranno*, quo sensu poëta sup. VIII, 193. dixit *nullo cogente Nerone*. Sed *tribunus* h. l. est forsan ipse Imperator (ut et II, 165.); nam tribunicia potestas, Augusto ceterisque Imperatoribus delata, summi imperii vim significationemque habebat, unde et anni eius, tamquam anni imperii, in numis aliisque monimentis publicis numerantur. Alios quidem tribunos, sed sine vi, creari patiebantur Caesares.

17. *accersere* 22. 24. 60. 64. De qua scriptura v. Schelleri praec. stili bene Latin. T. I. p. 38.

18. *Lancibus optatis* 7. — *ut pro vel* 12. — *Martis* 21. — *imagine picta* forte 1. Vetus scholion est: *si in auro*

Et quadringentis numis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi.
Refert ergo, quis haec eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit et a censu famam trahit. Illum ego iure
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus; hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E coelo descendit, Γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum et memori tractandum pectore, sive
Coniugium quaeras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Vlixes.
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule; dic tibi, qui sis,

picta est, aut in argento. — *imagine cara* malebat Schrader.

20. *si veniunt* conj. Schrader.

22. *Venditio* 48. 58. Cf. ad VII, 199.

23. *nomen* pro *famam* 15. 24. — *recte* pro *iure* 15.

24. *quantum* 11. 25. 27. 46. 47. 49. 50. 54—58. prob. Schurzfl. quum mox idem voc. sequatur.

26. *Ignorat* 15. 16. *Si* excidisse ante *Ignoret* seu *Ignorat*, suspicatur Manso. — *distat* 14. 15. 16. 24.

27. Graeca absunt ab 25. 27. 45. σαυτὸν 11.

28. *Figendum est* 46. *Fingendum* 13. 19. 20. 25. 56. 57. 59. Cf. sup. ad v. 4. *et* abest ab 47. 54. 58.

29. *sacra* 25. 46. 48. 49. 55—57. 59. 60.

30. *non enim* 25. 56. 57. 59. *neque enim* 27. Verba *nec enim loricam* — *Ancipitem* parenthesi inclusit Ach. Eadem deleri iubet Hein. Neutra ratione quidquam proficitur, et legendum videtur *poscat*. v. Comm.

31. *traducebat* 13. 17—27. 45—50. 55—63. 65—69. 71—74. ut al. *traiicere, travehere, tramittere, tradere*, de quo Donat. ad Terent. Phorm. pr. "*Transdere* veteres sonantius (et accuratius), quod nos lenius dicimus *tradere*." — *Vlixes* recepi ex 17—20. 23. 24. 58. *Vlyxes* 14. 27. 46—48. *Vlisses* 25. Vulgo *Vlysses*. Cf. sup. ad IX, 65.

32. *ceu* 46. 47. 49. 58. 66. 67. — Vulgo post *Ancipitem* colon vel punctum ponunt, ut sensus sit: *in qua*, in cuius petitione, *Vlixes se traducebat*, se praebebat *ancipitem*, incertum, metuentem, ne non obtineret (ita Ach.); vel *in qua*, qua indutus, fecit dubium intuentibus, num Achilles esset isque revixisset; denique se praebuit modeste ambigentem, an arma Achillis etiam peteret iisque dignus ac par esset. Sed quis eo sensu dixit *se traducere*? aut *in qua* pro in cuius petitione?

33. *tunc consule* 21. — *qui sis* re-

Orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.
Noscenda est mensura sui spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam quum piscis emetur,
Ne mullum cupias, quum sit tibi gobio tantum
In loculis. Quis enim te, deficiente crumena
Et crescente gula, manet exitus, aere paterno
Ac rebus mersis in ventrem, feneris atque
Argenti gravis et pecorum agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.
Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae; sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romae

vocavi ex 11. 14. 15. 17. 19. 20. 27. 50. 58. 64. Vulgo legitur *quis sis*. v. ad XV, 119. *quid sis* vetustus codex Heinsii, qui id probavit illustravitque exemplis in comm. ad Ovid. Ep. Her. XII, 31. Sed *esse aliquid* alio sensu dicitur, qui ab h. l. alienus est. v. supr. ad I, 74.

34. *Publius* pro *Curtius* 16. — *an Matho* 11. 14—27. 45—50. 55—63. 65—69. 71—74. *Meta* 19.— Vulgo post *Matho* punctum ponunt iunguntque *Buccae Noscenda est mensura tuae*, ut sit sensus: explores et noris facundiae modum vimque eloquentiae: vel ut proverbii loco dictum sit: scias, quousque possis et liceat buccam inflare vel diducere fauces. Bahrdt vertit: *Man muss, wie weit das maul sich sperren lässt, verstehn.* Sed nostra distinctio haud dubie anteferenda. v. Comm.

35. *mensura tui* 13. *buccae Noscenda est mensura tuae* 10. 11. 20. 24. 25. 45. 56. 60. 62. 63. 64—69. 71—74. *Buccae Noscenda est mensura suae* 14—19. 21. 23. 27. 46. 48. 49. 57. *tuae* et *suae* etiam plerique codd. Paris., sed *sua* Put. et *sui* XIV alii et quidem optimi, Alex., Mazarin. I. Thuan. I. Colbert. II. Fauchet., Senat. et Pith. *Noscenda est mensura rei* forte vet. Schol. cuius glossa est: " Consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscuiusque rei, et si ad hanc sufficit, sic eam debes adsumere. "

37. *Non* 16. *Nec* 10. 14. 15. 17—20. 22. 23. 27. 45—49. 54—65. 68. 69. 71. 73. 74. — *multum* 73. — *cupias mullum* 10. 11. 13. 15. 47. 54. 58. *cupias nullum* 64. *capias* 24.

40. *versis* 45. 65. — *foeneris* 18. Ego *feneris* scripsi pro vulg. *foenoris*, ab ant. verb. *feo*, h. e. gigno, creo, procreo, facio, unde *fenus*, *fetus*, *fecundus*, *femina*. Cf. Cellar. orthogr. Lat. T. I. p. 234. ed. Harles. In media vero voce *e* pro *o* substituendum esse, intelligitur ex verbis deriv. *fenebris*, *feneratio*, *fenerator*, *fenerare*, *feneratrix*, *feneratorius*. Similiter *pigneribus* pro *pignoribus* posui sup. IX, 141. ubi v. Var. Lect.

44. *non funus* 19. 21. 45.

Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum,
Nescio quid, superest et pallet feneris auctor,
Qui vertere solum, Baias et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro iam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Moestitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non haeret gutta: morantur
Pauci ridiculum effugientem ex Vrbe pudorem.
  Experiere hodie, numquid pulcerrima dictu,
Persice, non praestem vita vel moribus et re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam quum sis conviva mihi promissus, habebis

49. *Cum vertere* 28. — *ad ostia* vel *Ostia currunt* (scil. inde navigaturi; vel quia oppidum olim amoenissimum fuit) 14. 15. 16. 60. 65. 67. 74. 77. *ad Hostia c.* 19. 23. 24. 25. 27. 45—50. 55. 56. 58. 59. 61—64. 66. 68. 71. 72. 73. et multi codd. Paris. Cf. Comm. ad VIII, 171.

50. *est* non legitur in 25. 27. 46—49. 54—60. 66. 68. 69. 71. 72. 73. *tibi* pro *est* 62. 63. 67. 74. *ibi* (h. e. Romae) conj. Lubin. — *non est deterius* pro inepto *non tibi d.* cod. Thuan. teste Boisson. ad Nicet. p. 179.

51. *Exquilias* 19. 23. 24. 60. 65. 72. *Aesquilias* 17. 27. 48. 61—64. 68. 71. 73. Cf. sup. ad III, 71. — *Suburra* 18. 19. 27. 46—49. 58. 61—69. 71. 72. 73. v. sup. ad III, 5.

52. *patria* 17. 20.

53. *Circensibus: una — gutta* 47. 48. 64.

55. *fugientem* 14. 16. 18. 22. 24. *et fugientem* 10. 15. 19. 21. 25. 27. 48 50. 51—67. 74.

56. *pulc. visu* 46. 47. 48.

57. *Perfice* 25. 46. 47. 48. 57. 58. Ita sexcenties librarii corruperunt nomina propria. — *in vita* 11. — *nec moribus* 10. 11. 14—18. 20. 22. 23. 24. 27. 45—50. 54. 55. 61—61. 68. 71—74. — *aut re* 22. *ut re* 16. *Experiere hodie, numquid pulcerrima dicta, Persice, non praestem, invitate, et moribus et re* conj. Schurzfl. putans, versum duriorem librariis displicuisse, ideoque ab iis varie esse mutatum. Sed talem versum placuisse poëtae, quis sibi persuadeat?

59. *pueris in aure* 24. — *in aure* 2—5. 10—27. 45. 50. 56. 57. 59. 60. 64. 65. 70. 74—77. *in aurem* 1. 81. Vetus scholion ita legendum videtur: "*Coram aliis*, i. e. ante alios, ut frugi videar, *pultes* aut legumina iubeo parentur tibi; *in aurem puero* alia *dico* tibi parari. *Siliquas*, i. e. parcitatem: nam proprie *siliqua* est, qua legumina continentur." *in ore* 46—49. 54. 55. 58. 61. 62. 63. 66—69. 71. 72. 73. *in arce* ed. Farnab. et al.

Evandrum, venies Tirynthius aut minor illo
Hospes et ipse tamen contingens sanguine coelum;
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Haedulus et toto grege mollior, inscius herbae,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis; et montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia praeterea tortoque calentia foeno
Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatae
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvae;
Signinum Syriumque pyrum; de corbibus isdem
Aemula Picenis et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Auctumnum et crudi posuere pericula suci.
Haec olim nostri iam luxuriosa Senatus
Coena fuit. Curius, parvo quae legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quae nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidae sapiat quid vulva popinae.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,

62. *contingit* 10. 11. 14. 16. 21. *continges* 45.

64. Pro *ornata* Schrader conj. *portata*, Iacobs *corrasa*, h. e. studiose conquisita, Manso coll. Virg. Aen. I, 195. et VIII, 180. *onerata*, i. e. dapes, non operose conquisitas et in macellis *accumulatas*, sed inemtas et domi natas.

66. *Haedulus*, non *hoedulus*, 27. ut in optimis codd. Virgilii, Ovidii, Prop. et al. Cf. Varr. L. L. IV, 19. — *ex* aut potius e *toto grege mollior* melius videbatur H. Valesio. *et toto grege mollior* conj Heins. ad Ovid. Fast. IV, 758. quia per frequentem lavationem lana reddatur mollis. Sed mollities ac teneritas carnis, non lanae, h. l. designatur.

67. *humilis virgas ausus* 15.

68. *at* pro *et* 16.

69. *leget* 14.

71. *servata* 73.

75. *Non* 14. 17. 24. — *pulvere* pro *frigore* 20.

76. *suei* pro *succi* substitui ex 17. 18. 23. 24. 45. v. sup. ad V, 24. *sicci* 22.

Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter Consulis atque
Castrorum imperiis et Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Quum tremerent autem Fabios durumque Catonem
Et Scauros et Fabricios, postremo severos
Censoris mores etiam collega timeret;
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere et parvis frons aerea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,

84. *Ac* 60. *At* 25. 56. 57. 59. *Tuno maiorum aliquis* audacter emend. Schrader.

85. *novam* 24. — *daret* 11. 14. 16. 17. 20. 24. — *carnem* 17 a m. pr. 20. 21. 22. 45. 49.

89. *Ereptum* 21 a m pr. 56. 60.

90. *alii* pro *autem* 15. *ante* pro *autem* 25. 46. 47. 48. 58.

91. *rigidique* pro *postremo* 7. 10. 14—27. 45—50. 54—69. 71. 72. 73. et omnes codd. Paris. *Rigidus* passim dicitur severus, et ipse Censor Ovid. Art. II, 664. Sed h. l. langueret, quia cum synon. *severos* iungeretur, cuius voc. interpretam. redolet.

94. *Oceani* omnes codd. Paris. tribus esceptis recentt. qui *Oceano* habent; quod mireris: nam *in oceano fluctu* 9. 16. 23. 25. 27. 41. 43. 46—49. 55—60. 65 ut inf. v. 143. *litore ab oceano* in 7. 14. 16. 17. 19. 20. 22. 25. 41. 43. 45. 49. 55—57. 59. 60. 83. probb. Grangaeo, Plathnero, Lips. et Heins. Non ignoro quidem, substantiva saepe pro adiectivis poni, sed non nisi ea, quae proprie sunt adiectiva, si perpauca esceperis esempla, quae vitiosam sapiunt lectionem. *Oceanus* autem nuspiam adiective dicitur. Dubia certe sunt esempla, quae laudantur, Tac. Hist. IV, 12. Caes. B. G. III, 7. et Ampel. 4. quibus locis *mare oceanus* et in quarto casu *mare oceanum* dici videtur, ut *Rhenus amnis* cet. Cf. Ernesti ad Tac. l. l. Alia esempla, ex Avieno, Pithoei Catal., et Venant. Fortunat. Ep. III, 23. et Carm. VII, 2. ab Heinsio escitata ad Claudian. l. l. tum ex recentt. petita sunt scriptoribus, tum librariorum forsan socordiae, aut stupori debentur.

95. *et nobile* 10. 14. 16—24. 45.

97. *Vite* conj. Hennin. ob verba Hygini, in Comm. laudata. Sic poëta *vite coronati* facete disit pro *vite alligati*. Sed epitheton *vile* etiam aptissimum est h. l. vid Comm. Malim tamen reponere *coronatis ostendebat* scil. convivis, ut sup. V, 36. ubi v. Comm. *coronatae—asellae*

Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis et Graias mirari nescius artes,
Vrbibus eversis, praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis et hasta

emend. Scoppa Collect. I, 27. coll. Pallad. II, 35, 16. (*Omnia semina horti vel agri feruntur ab omnibus malis ac monstris tuta servari, si agrestis cucumeris tritis radicibus ante macerentur: item equae calvaria, sed non virginis, intra hortum ponenda est, vel etiam asinae: creduntur enim sua praesentia fecundare quae spectant*) et Colum. X, 344. *Hinc caput Arcadiae nudum cute fertur asellae* (nam ita legendum putabat pro *Arcadici— aselli*) *Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.* Haec vero superstitio, ab Etruscis profecta, ab h. l. aliena est: nam amuletum illud in agris ponebatur, non in lectis conviviisque, et poëta noster id agit, ut doceat, quo diverso ornatu lecti priscis et suis temporibus fuerint instructi. Nugantur itaque interpretes tantum non omnes, qui suspicantur, priscos homines in ipsis coenasse agris, et, qui in lectis ibi discubuerint, spectasse sibique invicem ostendisse caput asellae vel aselli, in agrorum limitibus suspensum.

98. abest a 14.

99. Praestiterit: *Quales ergo cibi, talis* eet.

100. *Tum* 17. 20. 21. 22. 24.

101. *in* abest a 16.

105. *et geminos* 22. 61—69. 71—74.—*sub rume* (h. e. mamma lupae) ingeniose conj. Barth. ableg. erit. II, 2. *Rumis* s. *ruma* et *rumen* antiquo voc. dicebatur mamma et hinc ficus *Ruminalis*, ad quam infantes expositos fuisse vulgo tradunt. Iuvenalis ante oculos habuit Virg. Aen. VIII, 631. sqq.—*sub rupe Quirini* (ut *in colle Quirini*, h. e. Quirinali, ap. Horat. Epist. II, 2, 68.) suspicari possis. *Quirinos* certe *geminos* paulo durius et improprie dixit poëta, si verum est, *Quirinum* esse nomen propr. Romuli idque post ἀποθέωσιν demum ei datum. Sed *collis Quirinalis* longe abest a Tiberi, ad cuius alveum expositi Romulus Remusque, et vera natio atque origo nominis Quirini, quod etiam Romulo puero, Iano, Augusto et Antonio ab Ovid. Fast. III, 41. Macrob. I, 9. Virg. Ge. III, 28. et Prop. IV, 6, 21. tribuitur, ipsis Romanis parum cognita videtur fuisse ac perspecta.

106. *Hac* 22. *Et* 16. 21.—*venientes* 1. 11. 16. 70. 75. 76. 77. 81. 82. et tres codd. Paris. (in his Put.) scil. vel ad Iliam, ut cum ea concumberet, vel ad suos liberos, quos lupa alebat. Illam interpretandi rationem proposuit vet Schol., hanc Grang. Vtraque dura est atque contorta, at durior ellipsis praep. *cum*: *venientis*

Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrala catino
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque maiestas praesentior, et vox
Nocte fere media mediamque audita per Vrbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus et Dîs
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis et nullo violatus Iupiter auro.
Illa domi natas nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt; hos lignum stabat in usus,

cum *clypeo et hasta*. H. Valesius legendum putabat *effigiem in clypeo venientis*. Nonnulli iungunt: *effigiem Dei* in *clypeo et hasta ostenderet*. Sed quomodo *cassis caelata* (nam hoc subiectum est, non *miles*) *effigiem Dei* in *clypeo et hasta ostendere* potest? Pro *venientis* legitur *fulgentis* in 10. 12. 14. 15. 17—27. 45—50. 54—69. 71—74. et XXXII MSS. Paris. unde illud restituit Ach. Sed haud dubie haec est emendatio, quae e margine in contextum irrepsit. Displicet etiam hoc verbum, quoniam mox sequitur. Poëta forsan scripsit *minitantis*.

107. *Prudentisque* 72. *Pendentesque* (de lupa) *deos*, Romulum Remumque, *ostenderet hosti* (scil. admoto scuto) emend. Lips. Fuere etiam, qui legendum putarent *Perdentisque Dei*, ut *perdens deus* h. l. *perituro hosti* opponeretur.

108. post v. 109. posuit Ach. quia eo loco legitur in 7. 11. 17. 20. et vetustiss. codd. Paris. at plane abest ab 11. 13. et III MSS. Paris et languet post illa v. 100. seq.

109. abest ab 21. *farraca* 10. 12. 17—20. 23. 27. 46. 47. 49. 54. 64. *serraca* 60. *sarraca* 48.—Post *catino*, non post *tunc*, distinctionem posui, praeeunte vet. Schol.

110. *tum* 22. *nunc* 16.

113. *Litore et oceani* 46. 48. *Litore ab occiduo* rectius forsan 6. iudicio etiam Pulm. et Schurzfleisch. *Litore ab oceano* 65. et alii. v. sup. ad v. 94.

114. Vox *his* parum commoda est. *hos* reposuit Marshall, adiecta hac nota: "*hos*, i. e. Gallos adventantes et in Italiam irruentes: *moneo* enim duplicem regit accusativum.„ Praestiterit *hic*, Romae, ut sensus sit: vox deorum Romae praesentium, non oraculi peregrini monuit nos.

116. *velatus* coniectura in marg. cod. Almelov.

118. *hos* 10—24. 27. 45—50. 54—69. 71—73. *in usus* 10. 11. 12. 16—24. 27. 48. 54—69. 71—74. Vtrumque etiam exstat in omnibus fere MSS. Paris. et restitutum est a nobis pro: *hoc lignum stabat ad usus*, quod in aliis libris legitur. vid Comm. *hoc lignum st. in usus* c. Put. *hos—ad usus* c. Alex.

Annosam si forte nucem deiecerat Eurus.
At nunc divitibus coenandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Vnguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes
Et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabataeo belua saltu,
Iam nimios capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat et res
Despicit exiguas. Adeo nulla uncia nobis
Est eboris nec tassellae nec calculus ex hac
Materia; quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla umquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus atque aper et pygargus
Et scythicae volucres et phoenicopterus ingens

119. *decerpserat* 11.

120. *Et* 21. a m. pr. 46. 47. 48. 58. *Sed* 21 a m. sec.—*tunc* 61.

122. Pro *latos* poëta forte scripsit *citreos*, et illud epitheton margini adscriptum ex alio eius loco sup. I, 137. in textum irrepsit. Cf. loca Lucani et Martialis, in Comm. adscripta.

124. *nutrit* 29.—*quos mittunt Castra Syenes* suspicari possis. v. Comm.

126. *Nabataeo* pro *Nabathaeo* substitui ex 22. Ναβαταῖοι dicuntur Strab. XVI. p. 779. Plinio et aliis.—*belua*, non *bellua*, 17. 21. 22. 45. 49. v. ad IV, 121.

128. *bilis* revocavi ex 10—22. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXXIV MSS. Paris. *vires* 23. 24. 70. 75. 76. 82. et codd. Pul. Sed illa lectio difficilior est et doctior, haec emendationem sapit. *virus* conj. Lindenbr.

132. *neque tessellae* 16.

134. *cum tamen his nulla* 13.—*nec tamen* 16. *nulla obsonia unquam* 16. *unquam ulla* 10. 19. 23. 45. *ulla* abest ab 27. 46. 47. 58.—*fient* 19. *fiant* 13.—Ceterum *opsonia* (ὀψώνια) scripsi, non *obsonia*.

135. *et ideo* 13. *haud ideo* 15. 25. 27. 48. 54. 55. 57—68. 71—73.—*peius* 24.—*secetur* 14. 16.

Et Gaetulus oryx, hebeti lautissima ferro
Caeditur et tota sonat ulmea coena Subura.
Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae
Novit avis noster tirunculus ac rudis omni
Tempore et exiguae furtis imbutus ofellae.
Plebeios calices et paucis assibus emtos
Porriget incultus puer atque a frigore tutus:
Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit et magno. Quum posces, posce Latine.

141. *Suburra* 11. 18. 27. 47. 49. 61—69. 71. 72. 73. *Subura* in reliquis. v. ad III, 5.

142. *frustrum* 10. 11. 12. 19. 21—25. 27. 45. 49. 54. 57. 58. 61. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73. 75. 76. 77. 82. et plurimi codd. Paris.

143. *et rudis* 11 20. 77.

144. *furtis* 11. 17. 20. 22. 59. 70. 75. 76. 77. 82. et optimi codd. Paris. *frustris* 21. 24. 45. *frustis* 10. 11. 14. 15. 16. 18. 19. 23. 25. 27. 46—50 54—58. 60—69. 71—74. et VII MSS. Paris. quod plerique intpp. probant, ut sensus h. l. sit: *tiırunculus noster non novit frustum capreae subducere*, scite demere aut abscindere, *imbutus frustis ofellae*, solitus offulas tantum carnis in frusta concidere. Sed haec sententia languet; nam plura iam, quam opus fuerat, de arte scindendi dixerat poëta v. 136—141. Praeterea voc. *frustum* modo praecessit, neque necesse est *ofellas*, et quidem *exiguas*, in *frusta* concidi. Praestiterit certe verba, *exiguae frustis imbutus ofellae*, in interpretari: solitus in domo et mensa mea non aves videre aut feras, scite scindendas, sed ofellas tantum carnis, quae, ut verba Martial. X, 48, 15. mea faciam, *non egeant ferro structoris.* Manso *furtis* scribendum esse dicit et ex ipsis verbis patere, quid sit *furtum ofellae exiguae*, scil. genus farciminis e reliquiis carnis variae et minutim concisae, quo *imbutus* h. e. a teneris assuefactus, delicatioribus dapibus *incultus puer* (v. 146.) tam facile careret, ut frustum capreae et latus Afrae avis *subducere* ne in mentem quidem ipsi veniret. Enimvero, ut alia taceam, non facile cuiquam, nisi rusticum vitae genus naturamque humanam ignoranti, persuadebitur, bubulci pastorisque filios talibus fartis a teneris fuisse assuefactos et iis ne Romae quidem, ubi demenso vix fames servorum explebatur, in mentem venisse, delicatiores cibos, a se ministratos, gustare. Ex occasione furta nasci, vel proverbia docent, et quae ruri puero defuerat, quoties eam Romae oblatam fuisse dicemus? Conf. Comm. ex quo patebit, non sollicitandam esse vulgatam lectioneqm, in qua gravissimum vir doctus mendum sibi reperisse visus est.

146. *porrigit* 16. 21 a m. pr. 60. 65.

147. *non Lycius* 21, 22.—*aut a mangone p.* 18.

148. *Quisquam erit et magno* restitui ex 10. 11. 12. 14—20. 23. 25. 27. 45—50. 54—69. 71. 72. 73. et X codd. Paris. (Alex. Put. Mazarin. I. Thuan. I. Fauchet. et al.) *Quis-*

Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri hic est filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem
Et casulam et notos tristis desiderat haedos
Ingenui vultus puer ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit;
Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas iam praebuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:

quam erit in magno 70. 75. 76. 77. 82. *non a mangone petitus Quisquis erit magno* 2. 21. 22. 24. 74 et XXV MSS. Paris. et ita conj. Britan. ut sensus sit: quicumque puer erit, non erit acceptus et emtus a mangone divite et magnum servorum numerum habente. Malim reponere: *Quisquam erit et magnus* scil. statura, non pretio: nam proceri servi maioris quam parvi aestimabantur. v. ad III, 240. in Comm.—*poscis* 10. 12. 14—17. 19—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73.

149. *erectique* 12. 61. 62. 63. 67—69. 71—74. *tectique* 17. 48. 64. *rectique* in ceteris et 1.

151. *hic est* pro *est hic* recepi ex 10. 11. 14. 16. 17. 20. 22. Versus 152—161. vulgo ad *bubulci filium* referuntur. unde editores tantum non omnes colon posuere post *bubulci* et *haedos* v. 153. Henninius autem distinctionem post *bubulci* plane sustulit, et post *haedos* punctum substituit pro colo. Sed *bubulci filius* boves potius, non *haedos notos tristis desiderabit*: et oratio fiet tersior molliorque, si iunxeris· *Suspirat longo—ingenui vultus puer* cet. (alius se tertius, qui *vina dabit* v. 159.) Ita quoque tres certe describentur pueri poëtae, cui plures fuisse ex voc. *cunctis* v. 149. intelligitur.

153. *tristis notos* 21.

156. *pupillares—testiculos* vet. Schol. qui interpretatur: quales habent hi, qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiae. Ita indubie legendum putabat C. Valesius, quia *pugil* primam syllabam corripiat, et exponebat pueriles, iuveniles. Sed hoc sensu vocem legere haud memini, et prima syll. voc. *pugil* anceps fuisse videtur. Produxit eam et Catull. XLII, 5 —*raucos* 16. *draucus* non male 58. 77. probb. Calder., Lubin. et Farnab. Sic ap. Martial I, 87, 11 seqq. *Vna lavamur; adspicit nihil sursum; Sed spectat oculis devorantibus draucos, Nec otiosis mentulas videt labris.*

157. *velandas* 45. *fellandas* conj. nonnulli.

158. *Cassa* 22.—*apposito* 10. *Crassa nec apposito pavidus tenet inguina gutto* emend. Heins. ad Ovid. Ep. Her. VII, 100.

Namque una atque eadem est vini patria atque ministri.
Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatae
Ad terram tremulo descendant clune puellae,
Irritamentum Veneris languentis et acres
Divitis urticae. Maior tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus. Audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet; ille fruatur
Vocibus obscoenis omnique libidinis arte,
Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem:
Namque ibi Fortunae veniam damus. Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus. Haec eadem illi
Omnia quum faciant, hilares nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non feneris ulla

161. *una est atque eadem* 25. 27. 46—50. 54. 55. 56. 58. 61. 62. 66. *est* non exstat in 15. 57. 59. 60. 63. 64. 67. 68. 69. 71—74. 77.—*magistri* 22.

162. *exspectas* 17. et al. Sed *forsitan* cum subiunctivo iungi solet a Iuvenale (cf. I, 150. V, 156. VIII, 113. XIV, 34.) et aliis. v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. IV. 53.

166. *et maior* 22 —*ipsa* 18. 27. 46—50. 54. 58. 61.

167. *incenditur* quidam, nescio qui, legunt, teste Prat.

168. *urina paratur* 27. 46. 47. 48. 54.

169. seq. v. sup. ad III, 62.

173. v. Excurs. ad h. l.

175. *tamen* pro *eadem* 16.

176. *faciunt* 16. 17. id certe melius esse, monet C. Vales.

179. *laudem* pro *palmam* 25. 46. 47. 48. 54. 56—60. 64. ex interpretam.

180. *versus tales* 45.

183. *totum* 11. 15. 16. 17. 19—24. 45.

Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multicia rugis
Vexatasque comas et vultum auremque calentem.
Protenus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum et servos et quidquid frangitur illis
Aut perit: ingratos ante omnia pone sodales.
Interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum solenne colunt, similisque triumpho
Praeda caballorum Praetor sedet, ac, mihi pace
Immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, moestam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent iuvenes, quos clamor et audax
Sponsio, quos cultae decet adsedisse puellae;
Spectent hoc nuptae iuxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem praesentibus ipsis.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem

186. *multitia* 19. 59.

188. *exeute limen* conj. Schrader.

189. *domum, servos* 56. 59. 60.

191. *palmae* pro *mappae* 27. 46. 47. 48. 58. 61. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73. prob. Curione.

193. v. Excurs. ad h. l.

194. *nimiaeve* 23.

195. *auram* 59. 60. 66.

198 *in* abest ab 56. 57. 59. 60.

201. 202. Hi versus leguntur h. l. in 1. 2. 14. 17. 18. 19. 46. 49. 50. 70. 74 75. 76. 81. 82. et XX. codd. Paris. sed post v. 159. in quibusdam libris, post v. 161. in 45. in III MSS. Paris. et cod. Iun. Haecmyndano (sed ibi hoc modo: *Quod pudeat, narras aliquid praesentibus ipsis: Spectant hoc* cet.), post v. 172. in 16., et post v. 164. in 8. 35. 36. (v. Canteri Nov. Lect. III, 6.) et in edd. recentt. Farnab. et al. prob. Grang. Post v. 173. eos inserendos putabat Bahrdt. Prorsus autem absunt ab 10. 11. 12. 15. 16. 20—27. 47. 48. 54—69. 71. 72. 73. 77. et XII codd. Paris. recte forsan, iudice etiam Schurzfl. Ab interpolatore procusi videntur, et a librariis deinde ex margine variis locis inserti. Si tamen ab ipsius poëtae ingenio profecti sunt, huic loco magis conveniunt, quam aliis. v. Comm.—*Spectant* 17. 18. 19. *Spectant hic* conj. Withof.

202. *narrare* 17.

Effugiatque togam. Iam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quamquam solida hora supersit
Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus 206
Continuis, quia sunt talis quoque taedia vitae
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

206. *haec* 45.

SATIRA XII.

ARGVMENTVM

Iuvenalis scribit Corvino, se ob reditum Catulli, amici sui, ex periculosa navigatione vota Diis persoluturum esse. v. 1—16. *Tum describit saevissimam tempestatem, qua coorta arserint vela et amicus, ut praesentissimum effugeret periculum, pretiosam supellectilem in mare abiicere malumque amputare coactus sit, donec tandem, tranquilla coeli serenitate ac sole cum spe vitae redeunte, lacera navis portum Ostiensem tenuerit.* 17—82. *Itaque poëta prae gaudio vix sui compos servos seque ipsum ad festam huius diei laetitiam et sacra Diis, tum maioribus tum domesticis, facienda excitat.* 83—92. *Ne vero quis suspicetur, haec ad hereditatem Catulli captandam spectare, monet, ei tres esse liberos, et Novii aut Pacuvii aliorumque heredipetarum, his similium, mores ingeniumque ita ferre, ut patribus ne aegram quidem gallinam aut coturnicem impendant, at pro salute orborum divitumque, Gallitae et Paccii, si vel primum levemque febris sentiant aestum, non modo hecatomben Diis voveant, sed etiam elephantos, si haec animalia in Italiae coelo gignerentur, et servos vel adeo liberos suos, si liceret per leges, immolarent, quum iucundam, etsi incertam, alant spem, fore, ut, si aegri ex morbo convalescant, ipsi, testamentis mutatis, heredes ex asse scribantur.* 93—127. *Hinc indignatione accensus Iuvenalis eiusmodi captatoribus vitam Nestoris et auri montes precatur, sed ea lege, ut nec ament quemquam nec amentur ab ullo.* 128—130.

In prima eaque maxima Satirae parte (v. 1—92.) *Iuvenalis hanc exornat ideam :* Natali die mihi dulcior haec lux, qua vota Diis solvenda sunt.

Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
Nuper et incolumem sese mirantis amici.

Indi arripit occasionem heredipetas lepide perstringendi v. 93—130.

Nec suspecta tibi sint haec, Corvine: Catullus,
Pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes.

Satira plena est festivitatis et facetiarum: quo potissimum refero v. 11. 23. 33 *seq.* 39. 41. 45. 57 *seq.* 95—104. 111—127. *Prior eius pars mollissimos dul-*

cissimosque amicitiae intimae sensus affectusque spirat (inpr. v. 1. 10 seq. et 83 seq.), et graves passim (v. 48 seq. 57 seq. et al.) immiscet sententias. Festi quoque diei descriptio v. 83 seq. animatur vita et actione, tamquam in scena peragantur omnia. Ipse denique transitus ad alteram carminis partem v. 93 seq. lepidissimus simul et inopinatissimus est. — Poëtices studiosos, ut intelligant, quam varie idem argumentum tractari possit, non poenitebit, primam huius Satirae partem comparasse cum Horat. Od. I, 36. II, 7. III, 14. et Catull. Carm. IX. alteram autem cum Luciani Dial. Mort. V—X. et inp. cum Horat. Sat. 5. lib. II. in qua heredipetarum artes a Tiresia Vlyssi exponuntur, et Horatius longe superat Iuvenalem urbanitate et facetiis in delectu tum dispositionis ac formae (quae in nostra quoque Satira admodum quidem venusta est et ingeniosa, sed minus tamen, quam dramatica et διαλογικὴ, qua Flaccus est usus) tum personarum earumque gravissimarum, quibus praeter omnem exspectationem lepida et iocularis tribuitur disputatio de re, quae ingenio earum aptissima quidem, sed a tempore, quo vixerunt, aliena est. — Ceterum et Corvini et Catulli *amicorum Iuvenalis, non alibi, quod sciam, mentio fit.*

Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux,
Qua festus promissa Deis animalia cespes
Exspectat. Niveam Reginae ducimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio servata Iovi, frontemque coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus et arae
Spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.

1. *carior haec lux* 17. 19. 20. 21. et XX MSS. Paris. *clarior* (h. e. praestantior, vel memorabilior) 11. 21. 22. et quidam codd. Paris. prob. Schurzfl. Alterutra profecto lectio genuina videtur, et vulgata emendationem sapit. Ea tamen exstat 1. in in cod. Put. et aliis.

2. *festus* restitui ex 10. 11. 12. 15—22. 25. 26. 27. 45—50. 55—63. 65—69. 71—74. et plerisque codd. Paris. *festas* 14. 23. 24. 54. 64. 70. 75. 76. 77. 82. nescio quo sensu.

3. *ducimus* revocavi ex 1. 7. 9. 11. 12. 15. 19. 20. 22. 21. 45. 49. 55. et XXXI MSS. Paris. probb. Pith., Schurzfl. et Heins. *dicemus* 23. *caedimus* in reliquis libris. Sed *ducimus* est doctius, *caedimus* vulgare, quod haud dubie ex marg. in textum irrepsit. v. Comm.

4. *Maurae* 16.

6. *quae fronte coruscat* 20.

7. *maturus templis* 19.—*aris* 15. 21. 22.

9. v. sup. ad VI, 128.

Si res ampla domi similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus et ipsa
Mole piger nec finitima nutritus in herba,
Laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, et a grandi cervix ferienda ministro
Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
Nuper et incolumem sese mirantis amici.
Nam praeter pelagi casus et fulguris ictum
Evasi, densae coelum abscondere tenebrae
Nube una, subitusque antennas impulit ignis,
Quum se quisque illo percussum crederet, et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poëtica surgit
Tempestas. Genus ecce aliud discriminis: audi

11. *Hispula* 27. *Hisbulla* 17 a m. sec. 18. *Gispulla* 66. *his pulla* 11. 15. 16. 17. *Hispello* legendum docuisse Thaddaeum Donnolam de patria Propertii et Bern. Monfaucon., monet Schurzfleisch.—*ipse* 15. 46. 48. 49. 55.

14. *magno* pro *grandi* Serv. ad Virg. Aen VII. lapsu memoriae.—*magistro* 21.—Oratio autem h. l. scabra est atque impedita, et vix dubito, quin totus hic versus obelo sit transfigendus et v. 13. pro *sanguis* reponendum *sacri*, quae verba per compendium scripta non admodum differunt. Sic *flumen sacrum* et *sacras undas Clitumni* dixere Virg. et Claud. in Comm. laudati. Ita quoque aptissimum est verbum *ostendens*, scil. niveo pellis colore, quo non satis commode referri potest, si de *sanguine* agitur.

17. *ictus* 9. 21. *et fulminis ictus Evasit* 9. prob. Pith. Recte, opinor, si *et* pro *etiam* dictum acceperis et maiorem distinct. posueris post *Evasit*. Tum *ignis* v. 19. ad fulmen referri potest. Vulgata tamen lectione servata augentur pericula.

18. *coelum densae* 24.

20. *pertusum* 29.

23. *graviter, quando* 11. Schurzfleisch. nota est haec: "Puto legendum *quam quando*. In primigenio exemplari fuerit QVANDO. Maiores literae notabant, syllabam bis legendam; sed exscriptores, ut saepe in bonis auctoribus factum, rei non attendebant: ut tamen versui consulerent, *si quando* posuerunt. Non aliter Schol. legisse, clara eius verba docent: *id est, tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent poetae.*,, Nihil horum mihi certe persuasit vir doctus.—*Pontica surgit Tempestas* (h. e. saeva, qualis in Ponto Euxino esse solet) 45. et cod. MS. Ignat. Hannielis, teste ac prob. Lubino. Sed quanto venustior vulgata lectio! vid. Comm.—*poëtica tempestas*, quae pa-

Et miserere iterum, quamquam sint cetera sortis
Eiusdem: pars dira quidem, sed cognita multis
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit et nostro similis fortuna Catullo.
Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere iactu
Coepit cum ventis, imitatus castora, qui se

γαλοφωνία ποιητική dicitur Luciano in Iove Trag. c. 6.

25. *sunt* 11.

27. *templa* pro *fana* 7. e glossa.

31. *emergentibus* 16.—Semper miratus sum, neminem interpretum haesisse in h. l., in quo duo genitivi, *puppis* et *arboris*, vel sine copula, cum voc. *latus* iunguntur, neque commoda exoritur sententia, sive navem h. l. et *puppim* et *arborem*, ut quidam putant, sive ut alii, malum dici *arborem* censeas. Tandem legi hanc Schurzfl. notam: "Locus mihi non videtur sanus. *Puppis* exponunt de nave, *arboris* etiam: quis inde sensus! Meo iudicio in voce *incertae* latet mendum, et legerim: *Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam Alternum puppis latus, evertentibus undis Arboris incurvum, nullam prudentia cani Rectoris quum ferret* (v. mox ad v. 33.) *opem: decidere* cet. Sic consentiunt Scholia: *Latus dabat navis et arbore coacta. Arboris incurvum* dixit malum iam curvatam, quam scil. undae evertunt, quum iam alveus aquis plenus est et latus puppis non minus. Cf. Pontani Analecta II, 11. de *alterno puppis latere*, et de toto h. l. Heins. de Sat. Horat. p. 107. Rigalt. ad Phaedr. f. 50. et Schotti Enodatt. I, 25." Sed bonae Latinitatis scriptor malum curvatam non dicet *arboris incurvum*, et oratio praeterea scabra est, nisi ante voc. *nullam* copula *et* vel *ac* inseratur. Non magis probanda explicatio Ach. qui, commate post *undis* posito, verba seqq. ita exponit: *prudentia cani rectoris conferret nullam opem*, scil. periculo *arboris*, navis. Probabilior videtur coniectura Ill. Iacobsii, qui legit *undis Aequoris incerti* monetque, tales undas esse fluctus a diversis et inter se proeliantibus ventis commotos (v. Claud. in Ruf. I, 90. et Sen. Med. 939.), et hinc etiam ventum, qui crebro mutetur, *incertum* dici, v. c. Prop. II, 7. 71. eodemque sensu *dubios fluctus*, *pontum*, *aequor*, *aestum* Liv. XXXVII, 16. Lucan. V, 569. 602. Claud. in Ruf. I, 72.

32. *incerti* 45. *incerto* 17—23. 25. 46. 47. 48. 55. 58. 59. 60. 65. et X codd. Paris. quod Ascensius exponit: arboris incertitudine, incerto mali hiatu.

33. *cum feret* 24. *cum ferret* 11. 17 —20. 22. 45. et plurimi codd. Par.

34. *Castora* legit Koenig de Sat. Rom. p. 81. putans designari hominem impudicum et morbo infami

Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculi: adeo medicatum intelligit inguen!
Fundite, quae mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Praecipitare volens etiam pulcerrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed et egregius fons
Viribus occultis et Baeticus adiuvat aër.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnae cratera capacem
Et dignum sitiente Pholo vel coniuge Fusci.
Adde et bascaudas et mille escaria, multum
Caelati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento praeferre caput rebusque salutem?
* Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,

graviter laborantem. Sed vid. Comm.

35. *damna* 46. 47. 48. *damnum* 17.

36. *Testiculi* restitui ex. 7. 9. 11. 12. 15. 17—21. 24—27. 45—49. 55. 57. 59. 60. 65. 81. omnibus MSS. Paris. Serv. ad Virg. Ge. I, 58. aliisque exemplis veterrimis, inspectis ab Nic. Heins. quem v. ad Claudian. Cons. Stil. II, 167. ubi permulta hiatus exempla ex Iuvenale aliisque poëtis congessit. Cf. sup. ad I, 151. *Testiculo* 23. Vulgata lectio *Testiculorum* emendationem sapit eorum, qui talem hiatum Iuvenali familiarem esse non reputabant. Hinc etiam alii, teste Ascensio, legunt, *cupient evadere damna Testiculis*, et Mancinellus, *damno Testiculi, atque ideo* cet. in 59. 60.—*meditatum*.

39. *Mecoenatibus* 45. 46. 49. 50. *Moecenatibus* 48. v. sup. ad I, 66.

40. Malim *ipsa Infecit natura*.

41. *et* abest a 15. 22. 71. 73.

44. *Partemio* 21. 22. Forte legendum *Partheniae*. Samos ins. et urbs primum appellata Παρθενία: nota autem sunt *vasa Samia*. Conf. ad XVI, 6. in Comm.

46. *basoandas* 18. 19. 30. 49. 55. 57. 58. *bascaldas* 15. *bastaudas* 25. *bascaulas* 11. 21. *pascaudrias* 16. *Mascauda* 8. prob. Salmas.—*escalia* 4. 11. 12. 15—24. Nil interest. Sed *escaria* vulgaris scriptura.—*et multum* 22.

47. *biberet* 20.—*calidus* 45. *pallidus* 1. 75. al. *callidus* ingeniosius forte quam verius; H. Vales. Praestat autem et auctoritatis et sensus causa.

48. *Ecquis nunc alius* emend. Iacobs, quia in his verbis et praec. nulla plane sit oppositio.

50. *faciant* 21.—*quaedam* 13. Pro *quidam* forte substituendum esse *quique* vel *quisque*, ne haec repugnent iis, quae poëta proxime v. 48. et 49.

* Sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.
Iactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna levant. Tunc, adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro submitteret, ac se

dixerit, aut totum potius versum una cum seq. propter scabram orationem monacho deberi, qui has lacinias margini adsuerit, dudum suspicatus sum. Postea vidi, idem Bentleio in mentem venisse, qui ad Horat. A. P. v. 337. haec notavit: "Vides hic in mediam narrationem sententiolas has intrudi, putide prorsus et perquam inscite. Quorsum enim hic *Quidam*? quum iam dixerat, ne unum quidem ulla mundi parte vitam patrimonio praeferre? Quale autem illud *facere patrimonia*? quae scabies locutionis? Quam alienum et pannosum illud *Vitio caeci*? quod eo tantum adsuitur, ut versiculi cento sarciatur. Ergo obelo configendos hos versus 50. et 51. censeo; etiamsi vetus ibi Schol. pro genuinis agnoverit. Solebant olim sententiosa huiusmodi in margine allini, quae postea in contextum irrepserunt. Sic disticha Epimythia, quae singulis Avieni fabulis subiunguntur: omnia supposititia sunt, et in Galeano, quo usus sum, codice nulla comparent..„ Refragatur Ach. cuius nota est: "Nihil in his verss. inconveniens est nec alienum, nihil quod glossam redoleat, quin immo sententiam omni parte versm illi versus mihi afferre videntur. Adde quod in omnibus codd. legantur, et id certe aliter evenisset, si, ut Bentleius temere affert in medium, ex glossa a monacho assuta nati fuissent.„

50. 51. Lucianus in Nigrino c. 23. de divitibus: οὐ γάρ οὕτω τοῦ πλουτεῖν ἐρῶσιν, ὡς τοῦ διὰ τὸ πλουτεῖν εὐδαιμονίζεσθαι. Καὶ οὕτω δὲ ἔχει, μηδὲν ὄφελος εἶναι περικαλλοῦς οἰκίας τῷ οἰκοῦντι, μηδὲ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, εἰ μή τις αὐτὰ θαυμάζοι.

51. *cocci vitio* 16. 20.

53. Praestiterit *sed nec Damna iuvant*, ne iactura quidem bonorum prodest, quidquam proficit. Dura certe est ellipsis, (v. Comm.) sine qua vulgaris lectio expediri haud potest. Mira tamen haec et vix digna, quae refutentur, Heineckio videntur et videbuntur omnibus, qui silices concoquere didicerunt. — *ingentibus* 45. *vergentibus* 57.

54. *Recidit* 1. 14. 70. 75—77. et XII MSS. Paris. *Accidit* 21 a m. pr. et duo codd. Paris. *Decidit* 10. 11. 12. 15—21 a m. sec. 22—27. 45—50. 54—69. 71—74. 81. et XXI MSS. Paris. solenni permutatione, prob. Grang. ut respondeat Gall. *il en vint là*. Sed *decidere*, vel proprie vel metaphorice, motum e loco superiori indicat: at *res illuc* vel *huc recidit* dicitur pro, res eo iam rediit, s. huc redacta est; (Gall. *il fut reduit à*) et haec sententia convenit h. l. non illa. Refragatur Hein. cuius nota est: "*Decidit* Praesens est, quamquam sequitur Imperf. *submitteret*, (conf. Corte ad Sall. b. Cat. 44.) et hic congruit; nam *decidere* significat cadere ex altiore loco et peiorem sortem accipere, ut bene monuit Oudend. ad Suet. Claud. 9. ubi etiam apte laudavit Plin. Ep. IV, 11. *nunc eo decidit, ut exsul de senatore fieret.*„ Sed hic locus non plane respondet nostro. Ceterum syllaba *re*

Explicat angustum. Discriminis ultima, quando
Praesidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima taeda!
Mox cum reticulis et pane et ventre lagenae
Adspice sumendas in tempestate secures.
Sed postquam iacuit planum mare, tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro
Et pelago, postquam Parcae meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares et staminis albi

anceps est in verbis compositis, quae a consons incipiunt, et brevis in *redeo*, *redoleo* aliisque, quae hiatus vitandi causa literam inserunt. *illuc Res cadit* conj. H. Vales.—*succideret* pro *submitteret* 7. e glossa.—*hac re* pro *ac se* 21. *at se* 27. 46—49.

55. *Explicat augustum* 21. 25. 57. *Explicet* emend. Lubinus hoc sensu: ut se artum, impeditum et in angustiis redactum propter malum faciat expeditiorem, impedimentum mali removens. At sic certe dicendum erat *explicaret*, ut modo *submitteret*. Plathnerus legit: *submitteret. Hoc se Explicat angustum* cet. quod probant Iacobs et Heinecke. Ille tamen verba seq. sic interpungit: *Hoc se Explicat angustum discriminis, ultima quando* cet. ut haec omnia per gnomen et hoc sensu sint dicta: In eo apparet summum discriminis, quando quis sponte pericula auget, malum succidens et praecipitans, navemque adeo ea parte privans, sine qua alias ne navigari quidem posse videtur. Huic *angustum discriminis* non Latinum videtur et praeferenda distinctio Marshalli, quam et nos nunc substituimus in locum vulgatae: *ac se Explicat angustum*, *discriminis ultima quando* (quoniam, quandoquidem) *Praesidia* cet.

56. *auferimus* 22.

57. Nota Iacobsii est: "Lubenter amplecterer *doloso* pro *dolato*, si codex offerret. Τόλμα—νεῶν ἀρχηγέ—οἷον ἐτεκτήνω δόλιον ξύλον ap. Antiphil. Epigr. XXIV. in Brunck. Anal. T. II. p. 175. ubi quaedam notavimus T. II. P. II. p. 55. Vulgatam qui tueri velit, is *dolato* pro *tenui* accipiat. *Gracile lignum* dixit Stat. Sylv. III, 2, 78.„ Minus forte arridebit haec interpretatio, quam emendatio illa.

58. *et digitis* 12.

59. *aut septem* 8. 9—24. 27. 45—50. 54—61. 63. 64. 65. 70. 77. 81. 82. *ac septem* 25. 62. 66—69. 71—76.—*lautissima* 8. 9. 22.

61. *Accipe* 21. 64. probb. Britan., Lubino et Farnab. At v. Comm.

62. *mare planum* 22. *latum* mare 15.

63. *vectores* 16. 21. 22. et multi codd. Paris. *victoris* 23. 24. *victori* 45. *vectori* (Catullo) quidam codd. Paris. et ita forte leg. cum H. Vales.

64. *meliore* 15.—*benigne* 16. 19. 24.

Lanificae, modica nec multum fortior aura
Ventus adest; inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extentis, et, quod superaverat unum,
Velo prora suo; iam deficientibus Austris,
Spes vitae cum sole redit: tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes praelata Lavino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen
Et numquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per aequora moles
Tyrrhenamque Pharon porrectaque brachia rursum,
Quae pelago occurrunt medio longeque relinquunt
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit. Sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianae pervia cymbae,

66. *non multa* 74. *non multum* 45. *non multo* 25. 27. 46—50. 54—69. 71. 72. 73. At sic turbatur oratio: nam haec quoque verba ad πρότασιν pertinent, et ἀπόδοσις est v. 67. *inopi miserabilis* cet.

68. *extensis* 10. 11. 12. 15—27. 45—50. 54—69. 71—74. ut *extensum* sup. v. 5.

59. *Velut prona* 22.

70. *tunc gratus* 18. 22.

73. Velus Scholion est: "aut *mirabile*, quia triginta fetus habuit; aut *miserabile*, quod miseratum sit Phrygibus."—*numen* 29. quod arridere potest, si memineris, *numen* poëtis proprie Dei voluntatem eiusque indicium, monitum et oraculum dici. v. Heyne ad Virg. Aen. I, 8. 133. 666. II, 123. III, 372. IV, 611. V, 56. VII, 119. VIII, 78. IX, 661. XI, 232. Verum verba *laetis Phrygibus mirabile sumen* parenthesi forte includenda, quoniam mox sequitur vox *clara*, quae ad *scrofam* referenda est.

74. *nusquam* 16.

76. *inclusaque brachia* 15.—*rursus* 10—12. 17—26. 45—50. 54—69. 71—74. *sursum* emend. Schrader.

77. *occurrunt* restitui ex 17—19 a m. sec. 20 21. 23. 24. 27. 48. 54—68. 71—74. et quibusdam codd. Paris. ut sensus sit: quae alto mari in cornua quasi coeunt, ap. Homer. Od. N, 97. δύο προβλῆτες ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι, h. e. προσπεταννύουσαι ἑαυτὰς κατὰ τοῦ λιμένος, quomodo haec verba interpretatur Heyne ad Virg. Aen. I, 160. 161. *pelago currunt* 1. 10. 11. 12 14. 15. 16. 19 a m. pr. 22. 25. 26, 45—47. 49. 50. 69 70. 75. 76. 77. 82. et multi codd. Paris. quae verba vulgo exponunt: in altum procurrunt mare. (Schol. vet. *intrant mare et admittunt terram solidam.*) Sed ita *in* vel *per pellagus* dicendum erat.

78. *nec sic* 14.

80. Post *cymbae* et *sinus* punctum positum in 82. et aliis.

Tuti stagna sinus. Gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautae.
  Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes;
Sertaque delubris et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem:
Iam sequar, et sacro, quod praestat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Iovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violae iactabo colores.
Cuncta nitent: longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.
  Nec suspecta tibi sint haec, Corvine. Catullus,
Pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes. Libet exspectare, quis aegram

81. *Tunc stagnante sinu gaudent ubi* vel *ibi* 10. 11. 12. 15—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXXIII MSS. Paris. prob. Ach. Quae verba vulgo sic explicant: portu tranquillos habente fluctus, tempestate iam sedata, *tunc*, ubi in portum venere. *Tuti stagna sinus* 1. duo codd. Paris. et edd. rec. 84. Pro *delubris* C. Vales. conj. *polubris* seu *pollubris*, h. e. pelvibus, lebetibus. v. Fest. et Non. c. 5. n. 11.

86. *quod restat* 9. a m. sec. prob. H. Vales.

89. *Hac* 23.

91. *Cuncta micent* 10. *Vncta, nitens longos—operitur f. l.* conj. H. Vales.

92. *operatur* restitui ex 10. 11. 12. 15—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. 75. 76. 81. et omnibus MSS. Paris. Id vulgo ita interpretantur: *festa* ianua *operatur* sacris, h. e. rem sacram facit, vel ianua mea *operatur festa*, celebrat festivitatem, *matutinis lucernis*, matutino die s. tempore. Bahrdt vertit: *die thüre feiert schon bei früher lampen licht.* Ego malim: *festa* ianua *operatur*, operam dat, *lucernis matutinis*, h. e. servi occupati sunt in lucernis ad ianuam suspendendis et matutino iam tempore accendendis. *Operari* est id. qd. operam dare, v. c. sacris, textis, Musis cet. *operantur* 1. et 8. prob. Pithoeo, qui vellem adiecisset rationem et h. l. sententiam. Schol. vet. exponit, sacrificant. Equidem eodem sensu accipio: *operantur festa* (plur. pro sing.) *lucernis*, h. e. festo hoc die iam mane parantur lucernae. Praestiterit tamen *operitur*, h. e. tegitur, vestitur, (venuste de copia lucernarum, ut mox v. 100. *Legitime fixis vestitur tota tabellis Porticus*) quod ex emendat. Lips. Elect. I. 3. repositum in 70. 77. 82. probb. Prat., Lubino, Grang. et Schurzfl. Ita et legitur in MS. Scriver.

95. *Neu* conj. Schrader.

Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. Verum haec nimia est impensa: coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si coepit locuples Gallita et Paccius orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus: exsistunt, qui promittant hecatomben,
Quatenus hic non sunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis
Belua concipitur; sed furva gente petita:
Arboribus Rutulis et turni pascitur agro,
Caesaris armentum, nulli servire paratum

98. *cadat* 22. — *dolorem* 22. *colorem* 73. 77.

99. *Gallitta* 17. *Gallica* 46. 48. 49. — *Pactius* 25. 57. 58. 60. 64. *Patius* 24. *Poëticus* 22. *Pictius* 17. — *orbus* 16.

100. *fraxis* 22. — *libellis* 2. 3. 4. 7. 10. 11. 15. 17. 19—22. 29. 45. omnesque codd. Paris. quod magis satiricum videbatur Schurzfleisch. ut poëta dicat, non tabellas amplius, sed totos libros in porticibus templorum fixos delubraque quasi iis vestita esse. Hinc et vet. Schol. in cod. Schurzfl. *Ironia: tabulis longis*. Eamdem lect. revocavit Ach. adiecta hac nota: *libellis* scil. supplicibus, preces et vota continentibus, templorum parietibus et statuis deorum affixis, appensis.

101. *promittunt* 10. 11. 17—20. 25. 27. 45—50. 54—60. 64. 66. et pleriqne codd. Paris. Sed nostra lectio auribus gratior est, et vera Latinitas postulat, ut formulam loquendi *sunt*, vel *exsistunt* et *inveniuntur*, *qui* coniunctivus excipiat.

102. *Quatinus* multae edd. etiam Hennin. Sed argutantur vett. Grammatici, qui contendunt, *quatenus* esse adverbium, quod *quo fine*, et *quatinus* coniunctionem, quae *quoniam* significet. Nullum esse discrimen, nisi in scriptura, ut in *protenus* et *protinus*, scripturamque per e antiquiorem esse, docent Iani, Cellar. et Casaub. Ceterum legendum crediderim: *Quatenus hic non sunt res venales elephanti, Nec Latio. Haud usquam — concipitur; sed furva a gente petita* (nisi malis *petitum — armentum*) *Arboribus* cet. — *hi* pro *hic* 15. — *elephantes* 27. 46. 47. 48. 50. 54. 58. 61. 63. 65—68. 71. 73. *elephantis* 45. 49. 55.

103. *haut usquam* 11. *haud usquam* 47. 48. 49. 54. 59. 60. 64. 65. prob. Schurzfl. *aut numquam* 15. 16. — *nostro sub sidere* pro *sub nostro sidere* revocavi ex 10. 61. 62. 63. 65—69. 71. 72. 73.

104. *Belua*, non *Bellua*, 17. 18. 20. 45—50. 59. 60. 64. v. ad IV, 122. — *fulva* 11. — Punctum post *petita* ponendum monet Ach. Sed in nostra quoque distinct. voc. *petita* referendum ad praec. *belua*, et haec per apposit., ut vulgo dicunt, vocatur *Caesaris armentum*.

Privato: siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali et nostris ducibus regique Molosso
Horum maiores ac dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli et euntem in proelia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Histrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras
Et cadat ante lares Gallitae, victima sola
Tantis digna Deis et captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna aut pulcerrima quaeque
Corpora; vel pueris et frontibus ancillarum

107. *Tyrio siquidem* 22. — *servire* pro *parere* 11. 16. 21 a m. sec. 61. 62. 63.66—69.71—74. prob. Schurzfl. qui tamen mihi non persuasit, veteris elegantiae esse, idem verbum bis ponere. — *solebat* 16. 21. 22. 23.

109. *et dorso* 10. 16. 18. 19. 20. 22—27. 45—50. 51—69. 71—74. *et dorso ferre cohortis Partem aliquam bellis* (h. e. in proeliis vel in proelia) legendum arbitrabatur H. Vales.

110. *bellique* 9 a m. sec. et 23. haud dubie hiatus vitandi causa. At v. ad I, 151. — *turmam* pro *turrim* 10. 11. 15. 18. 19 a m. sec. 20 a m. sec. 22. 23. 25. 45—50. 51—69. 71—74. 77. *turbam* 2. 4. 7. 16. 17. 19 a m. pr. 20 a m. pr. 21. 24. 27. Vtrumque etiam exhibent omnes codd. Paris. praeter Put.

111. *Phonium* 16. — *Histrum* restitui ex 10. 11, 12. 17. 18. 21. 45—50. 51. 55. 57. 58. 64. 66. 67. 71—74. quoniam et sup. II, 58. in omnibus fere libris legitur *Hister*, quod eiusdem viri nomen esse videtur. *Istrum* 19. 20. 23. 24. 25. 56. 59. 60. 65. 68. *Istram* 14. 15. 16. 22. 27. 61. 62. 63. 65. (Paris. 1512.) 69. 70. 75. 76. 77. 81. 82.

113. *Galittae* 17. 18. *Gallites* 22. *Gallillae* 66. *Gallieae* 45. 48. *Gallinae* 61. 62. 63. 67. — *victima sacra* 10. 15—27. 45—50. 54—69. 71—74. et XXX MSS. Paris. Non male: nam *sacra* poëtis etiam dicuntur, quae vel magna vel admirabilia vel praeclara sunt: ut et ἱερὰ ac δῖα ap. Hom. Il. α, 141. 366. β, 535. δ, 416. λ, 194. ρ, 464. et al. Cf. ad Sil. VII, 9. Hinc etiam *sacra* revocavit Ach. Sed maior vis est in *sola*: modo post *Gallitae* comma ponatur, non post *sola*, et sensus h. l. sit: quae *victima sola tantis deis digna* est. Hinc vulgarem distinctionem mutavi. *sola* exstat in 1. 8. 11—14. 70. 75—82. et V. MSS. Paris. in quibus est Put. et Thuan. I.

116. *et* pro *aut* 10. 11. 12. 15—20. 22. 25. 27. 45—50. 54—63. 65—69. 71—74.

117. *vel frontibus* 15. Vox *pueris* languet et importuna est, quia modo *servorum* mentio facta eademque sententia bis expressa est. Legendum puto: *nec pueris et frontibus ancillarum Imponet vittas; sed si qua est* cet. h. e. non modo servis, sed etiam filiae.

Imponet vittas, et, si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat tragicae furtiva piacula cervae.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit aeger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassae,
Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit: ille superbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quam
Grande operae pretium faciat iugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exaequet; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo!

118. *imponat* 16.

121. *testamentis* 77.

123. *Nassae* 2. et *Nattae* 4. 11. in quibus omnibus scholion vetus legitur: *Nassa s. Natta physicus, qui infirmos domunculis suis inclusos curabat.* Sed vulgata lectio multo venustior est, et illud medici nomen Scholiastarum ingenio effictum. *Nattae* etiam exstat in IV MSS. Paris.

126. *Incedit* 15. 21. 22. — *vide* 27. 47. 48. 58. 66.

D. IVNII IVVENALIS

AQVINATIS

SATIRARVM

LIBER QVINTVS.

SATIRA XIII.

ARGVMENTVM.

Calvinum, cum gemitu et luctu querentem de perfidia amici, qui depositum (decem sestertia) abnegaverat, consolaturus poeta, ipso statim principio, v. 1—12, breviter recenset inculcatque solatia, quae deinde (v. 13—249.) uberius planiusque persequitur, docens, α) non tenuem Calvino censum, adeoque damnum, quod passus sit, mediocre esse et aequo ferendum animo (v. 7. 8. 13—16.); β) tale flagitium non rarum esse inde ab Saturni aevo, neque viro iam sexagenario longoque rerum usu imbuto miraculo debere esse, his praesertim temporibus, quibus multo graviora quotidie committantur, et egregius sanctusve homo monstro portentoque similis sit (v. 16—64. et 120—173.); hanc vero improbitatem summamque, qua nunc peieretur, audaciam minime miram videri propter perversas de Diis opiniones ineptamque theologiam, quae contemtum gignat divini numinis efficiatque, ut alii omnino negent Deos esse, qui res humanas curent, alii poenas iis solvere malint, quam periuriorum flagitiorumque fructu carere, alii denique spem impunitatis inde concipiant, quod lenta Deorum ira ipsique exorabiles sint et quod ille crucem pretium sceleris tulerit, hic diadema (v. 75—119.); γ) damna et iniurias suppliciis improborum vel ira ac vindicta non sarciri, et ultionem minuti atque infirmi animi, ideoque maxime feminarum, non virorum, minimeque philosophorum, voluptatem esse (v. 174—192.); δ) improbos mala conscientia, quae poena sit omnium gravissima, cruciari et " nocte dieque suum gestare in pectore testem; ,, hinc iis cibum inter dentes crescere, vina displicere vetera, somnos breves ac turbidos esse, minima tonitrua fulguraque pavorem incutere et quemcunque morbum ab infesto Numine immissum videri (v. 192—235.); ε) malos homines, libidini indulgentes, sensim adsciscere consuetudinem peccandi et sic plerumque serius aut citius poenas dare (v. 236—249.).

Satira egregia et plena salis sententiarumque gravissimarum. Consolationis

etiam momenta proponit exquisitissima et ad vulnus Calvini sanandum efficacissima. Eadem aptissima quoque est ingenio satirico. Neque enim poëta eidem indulget dolori, nec molli affectu insinuat se in tristem amici animum, sed acriter obiurgat eum, quod, quum vir idemque dives ac iam senex sit et perditis vivat temporibus, non viriliter levem ferat iacturam, sed muliebriter ingemiscat vel vindictae ardeat cupiditate, qua res amissae non reparentur, neque reputet videatque, aliis multo acerbiora, quam sibi, accidisse. Inde occasionem petit, corruptos seculi sui mores, a priscis valde diversos, ineptamque theologiam, tamquam praecipuam improbitatis caussam, notandi. — Neque tamen dissimulo, quae severo iudici in hac Satira displicere possint, et naevi sint corpori egregio inspersi. Primum enim gravissimarum vis sententiarum passim (v. 23 seq. 40 seq. 162 seq.) ostentatione artis et intempestiva doctrina ac frigida declamatione infringitur. Deinde ingrata est earumdem fere rerum sententiarumque repetitio v. 19 seq. et 120 seq., v. 23 seq. et 126 seq. Praeterea ordo rerum dicendarum nonnumquam perturbatur, e. g. v. 199 seq. ubi historia Glauci parum commode imagini malae conscientiae (v. 192—235.) inseritur; v. 75—119. ubi descriptioni corruptelae morum scelerumque Romae vigentium (v. 16—173.) eorum origo et caussae inculcantur, quae ei potius subiungendae erant; v. 120—173. quibus poëta non nova, quae promittit, solatia affert, sed telam potius, v. 23—74 textam et v. 75—119 abruptam, retexit. Denique dispositio carminis et oeconomia parum probanda videtur: nam initio (v. 1—12.) totum eius argumentum omniaque solatia in epitomen quasi redacta exhibentur et deinde copiosa exornantur oratione; quae ratio rhetorem magis decet, quam poëtam satiricum. Eamdem tamen Iuvenalis etiam secutus est in Sat. X. — De tempore, quo haec Satira videatur scripta esse, v. Comm. ad v. 16. 17. et 157.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Praetoris vicerit urna.

1. *malum* cod. MS. Hammondi et inde ed. Lond. 1612. teste ac prob. Henninio, quo iudice haec lectio longe elegantior est et magis refert acumen Iuvenalis. Praestiterit ita certe *quodcumque mali*. Sed mea qualicumque sententia vulgaris lectio aptissima est et unice vera; illa autem ab h. l. aliena. *Malum committit exemplo*, qui illud non primus, sed post alios facit. *Exemplo* autem *malo* aliquid *committit* is, qui turpe perpetrat facinus, quod alios male docet et ad idem facinus incitat.

2. *auctori* 13. 16. — *haec est* 15. 17.

4. *fallaci* 1. 8. 21. 70. 75. 76. 81. 82. *fallacis Praetoris* 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19. 20. 23—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. probb. Lub. et Ach. *Praetoris fallacis*

Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
De scelere et fidei violatae crimine? Sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Iacturae te mergat onus; nec rara videmus,
Quae pateris: casus multis hic cognitus ac iam
Tritus et e medio Fortunae ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior aequo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio Consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis usu?
Magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis
Victrix Fortunae Sapientia: ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec iactare iugum, vita didicere magistra.
  Quae tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes atque omni ex crimine lucrum

13. —*urnam* 10. 12. 13. 15. 16. 17. 19—24. 27. 45—50. 54—57. 59—69. 71—74. 77. *fallacem — urnam* malebant quidam.

5. *Quid censere putas* 15. —*putas homines* 11. prob. Schurzfl. — *retenti* (h. e. depositi abnegati ac non redditi) conj. Rutgers. Var. Lect. II, 17.

8. *videbis* 11. prob. Schurzfl.

9. *hic multis* 16. 25. 27. 45—47. 49. 54. 55. 57. 58. 60. 61. 65.

11. *nimios questus* 7.

13. *laborum* pro *malorum* 17. 20. 21. 29. quod doctius videri potest vel exquisitius. *laboris* 13.

15. *quod non tibi* 16.

16. *hic* 11. 16. 64. *hoc* 10.

18. *An* 1. 10. 12. 13. 14. 23. 24. 54. 64. 70. 75. 76. 77. 82. et IX codd. Paris. *Ac* 11. 19. *Ad* 22. *At* 15—18. 20. 21. 25. 27. 45—50. 55—63. 65 —69. 71—74. Eadem varietas est in codd. Paris. — *proficis* restitui ex 10—13. 16 27. 45—47. 49. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. 77. et plerisque MSS. Paris. *proficit* 14. 15. 48. 50. 56. 70. 74. 75. 76. 81. 82. *Stupet haec — natus, Ac nihil — proficit usu!* malebat C. Vales. — *usus* 18 a m. pr.

19. *equidem* 17. 18. 20. 22.

20. *Dicimus* 13. 16. 17 a m. pr. 18. 19. 20 a m. sec. 24—27. 45—50. 54—63. 65. 66—69. 71—74. et dimidia pars codd. Paris. Parum interest.

23. *fures* 15.

24. *ex* abest a 16.

Quaesitum et partos gladio vel pyxide numos?
Rari quippe boni: numerus vix est totidem, quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili.
Nona aetas agitur peioraque saecula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen et a nullo posuit Natura metallo.
Nos hominum Divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Faesidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, quum

26. *numerus vix est totidem* (scil. hominum bonorum), *quot* (sunt) *Thebarum portae* 1. 13. 14. 18. 48. 70. 75. 76. et V MSS. Paris. ut *exercitui, cuius numerus duodecim millium fuit* ap. Corn. Nep. Iphicr. 2. *numero vix sunt totidem* 10. 15—17. 19. 21—27. 45. 46. 47. 49. 50. 55—69. 71—74. 77. et XXIX codd. Paris. e quibus hanc lect. restituit Ach. quae emendationem redolet. *numero sunt vix* 20. *numero vix totidem* 11. *Numerus. vix sunt totidem* malebat Schurzfl. tamquam convenientius stylo poëtae.

27. *hostia* 19. 20. 25. 45. 46. 47. 49. 57. 58. 64—67.

28. *Nova* 16. 22. *igitur* 22. Fuere qui coniicerent: *Nunc aetas agitur*. Praestiterit *Nonne*, vel, quod Hein. ingeniose coniecit, *Non aetas agitur —— metallo?* Nam *non* saepe dici pro *nonne*, monet ille coll. I, 61. 52. Terent. Andr. IV, 1, 13. V, 2, 11. Heusing. ad Cic. de off. III, 19. Cort. ad Sall. b. Iug. 31. et Heinsio ad Virg. Aen. IX, 143. Alia loca a Schellero in Lex. Lat. laudata sunt et a me ad Liv. IV, 4, 2. Sic tamen languet dictio illa *aetas agitur et saecula*, maiorque affirmationi vis inest, ut v. 26. et 27, quam interrogationi. — Boissonade ad Nicet. VI, 441. de χρυσῷ γένει p. 320. 321. "Iuvenalis saecula sua plus quam ferrea graviter incusat, nec se extricant interpretes a verbis illis *nona aetas*. Codex Thuaneus, nunc Reg. 8071., alias mihi exhibuit lectiones (ab Achaintrio non memoratas), v. 26. *numerum* pro *numero* et *numerus*, v. 28. *Non alias agitur*, quod perspicuum esse videtur, nempe, non agitur alio modo; hi sunt Romae mores; sic Romae vivitur.„ Sed *alias* non eo sensu dicitur antiquis scriptoribus, neque agitur h. l. de Roma, nedum sola.

32. *Quando* legit, certe in vers. German. expressit Bahrdt. Sed vulgata lectio longe aptior, et in ea maior vis est. — *Faesidium* 1. 10. 11. 12. 14. 15. 18. 22. 51. 55. 70. 75. 76. 82. *Fessidium* 20. 24. 25. 27. 47. 48. 50. 56—69. 71—74. 77. *Fesidium* 19. *Phesidium* 21. 23. 45. 46. *Phaesidium* 49. *Phoesidium* 17. *Sesilium* 16. — *laudet* 25. 56. 57. 59. 60.

34. abest a 16. et post v. 35. legitur in 19.

Exigis a quoquam, ne peieret et putet ullis
Esse aliquod numen templis araeque rubenti?
Quondam hoc indigenae vivebant more, prius quam
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens; tunc, quum virguncula Iuno
Et privatus adhuc Idaeis Iupiter antris.
Nulla super nubes convivia Coelicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, et iam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparaea nigra taberna.

36. *illis* 22.

40. *Saturnus fugiens, et erat virguncula Iuno* 14. plane eleganter et recte, iudice Schurzfl. qui monet, lacunas olim in primigenio exemplari poëtae fuisse, quas librarii, pro captu quisque suo, expleverint. Pro maioribus distinctionibus, v. 41. 45. 49. et 50. positis, substituendae forsan minores et verba *Prandebat — Pondere* v. 46—49. parenthesi includenda, ut sic omnia a voce. *tunc quum* v. 40. pendeant. Hic certe est ordo sententiarum (cf. v. 53.), neque tot et tam longae propositiones, quas poësis respuit, a luxuriante ingenio abhorrent.

41. *Et primaevus — Iupiter* conj. Britan. coll. verbis Claudiani: *Talis ab Idaeis primaevus Iupiter antris Possessi stetit arce poli*. Annotatio Hein. est haec: "Vocem *privatus* corruptam esse statuunt Burmannus primus et secundus ad Prop. III, 1, 27. quorum ille coniecit *Et vagiret adhuc*, hic autem *nutritus* vel *lactatus*, fortasse quia Iovem puerulum adhuc in Idaeis antris vix *privatum* dici potuisse putabant. Sed hanc vocem non nimis premendam esse puto; nil dicere voluit poëta, nisi Iovem nondum regnasse."

44. *et iam* pro *etiam* revocavi ex 23. 25. 45—50. 55—60. 62. 65—69. 71—77. Vetus scholion est: *etiam exsiccato faeculento, aut liquefacto*. Inde Schurzfl. haec notavit: "Schol. forte *saccato* legit. Glossae: *sacco*, *exprimo*, *decolo*. In utribus habebant olim vina. Decolatis igitur exinde faecibus brachia, tamquam oleo aliquo, unxisse Vulcanum ait poëta.", Praestiterit *nec iam* vel potius *aut iam* ad cyathos erat, *libato nectare tendens* cet. v. Comm.—*brachia nigra Liparaea taberna tergens*, detergens fuliginem sudoremque. Iupiter in Luciani dial. deor. V, 4. Iunoni dicit: τὸν Ηφαιστόν ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχοεῖν ἡμῖν χωλεύοντα, ἐκ τῆς καμίνου ἥκοντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτιθέμενον, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνων αὐτῶν τῶν δακτύλων λαμβάνειν ἡμᾶς τὴν κύλικα, καὶ ἐπισπασαμένους φιλῆσαι μεταξὺ, ὃν οὐδ᾽ ἂν ἡ μήτηρ σὺ ἡδέως φιλήσειας ὑπὸ τῆς ἀσβόλου κατηθαλωμένον τὸ πρόσωπον; Cf. ej. dial. deor. XV, 4. ubi Vulcanum dicit ἱδρῶτι ῥεόμενον, εἰς τὴν κάμινον ἐπικεκυφότα, πολλὴν αἰθάλην ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔχοντα.

Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum
Talis ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium aut Sicula torvus cum coniuge Pluton.
Nec rota, nec Furiae, nec saxum, aut vulturis atri
Poena; sed infernis hilares sine regibus umbrae.
Improbitas illo fuit admirabilis aevo.
Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si iuvenis vetulo non adsurrexerat et si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga et maiores glandis acervos.
Tam venerabile erat praecedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacrae lanugo senectae!
Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota aerugine follem,
Prodigiosa fides et Tuscis digna libellis,

49. *necdum* 21.

50. Pluto 16. 17. 18. 22. 23. 24. 64. *Pluton*, Πλούτων, dicitur Virg. Aen. VII, 327. Claud. R. P. I, 276. al.

52. *legibus* 24.

54. *quod* pro *hoc* 43. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 27. 45. 49. 54. 55. et XXXIII codd. Paris. Id recepit Ach. *quoque* pro *hoc* 22.

55. *adsurrexerit* 21. 22. 24.

56. *quicumque* 21 a m. pr. — *ille* 22.

57. *fraga* 1. 44. 48. 21 a m. pr. 23. 24. 48. 59. 70. 75. 76. 77. et quidam codd. Paris. in his Alex. *arva* 44 b. 83. 84. *farra* 10—13. 15. 16. 17. 19. 20. 21 a m. sec. 22. 25. 26. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 54—58. 60—69. 71—74. et plerique codd. Paris. prob. Autumno, quia *fragorum acervus* custodiri non possit; (!) nec improb. Farnab. quod Iuvenalis respexisse videatur Ovid. Met. V, 431. Sed aurea aetate homines solis arborum fructibus atque herbis victitasse, iam alii monuere. — *maioris* 15. 17.

59. *pars* quidam, probb. Ascensio et Lubino, ut sensus sit: tam venerabilis erat lanugo, quae prima est pars vel initium senectae. — *Prima lanugo*, ut ἴουλος, et in Luciani Amor. c. 10. μέχρι τοῦ πρῶτον ὑπογραφέντος αὐτοῖς χνοῦ. Cf. Boisson. ad Herodiani Partitt. p. 43. et ad Nicet. p. 101. ubi et haec adnotavit: "Ex v. 55. 56. patet, *par* qui sit intelligendum. Codex Thuan. habet *pars*, quod neutiquam malim, posset tamen defendi, debuisset saltem ab Achaintrio non praetermitti.„

61. *veteres* — *folles* 21.

62. *tabellis* 10. 16. 20. 23—27. 45—48. 50. 56—59. 64—67. et XII MSS. Paris.

Quaeque coronata lustrari debeat agna.
Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro
Piscibus inventis, et fetae comparo mulae,
Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
Examenve apium longa consederit uva
Culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? Quid si bis centum perdidit alter

63. *coronanda* 19.

65. *Vt* 17. 21. 49. 55. et cod. quidam Pith. — *aut* restitui ex 11. 15. 23. *et* 10. 12. 16. 17. 19—22. 24. 27. 45—50. 54—69. 71—74. *vel* 14. 18. 70. 75. 76. 77. 82. Haud dubie id substitutum ab iis, qui hiatum, Iuvenali familiarem, non concoquebant. v. sup. ad I, 151. — *miranti* revocavi ex 10—13. 16. 17. 19—27. 45—50. 54—69. 71—74. cod. quodam Pith. et omnibus fere MSS. Paris. Nam praeclare sic summum adumbratur monstrum, cuius novitatem ipsum aratrum mirari fingitur, et more poëtarum sensus tribuitur rei inanimatae. *aut miranti sub aratro* 11. 23. *et miranti sub aratro* 16. 17. 19—22. 24. 45. 46. *et miranti iam sub aratro* 10. 12. 25. 27. 47—50. 54—69. 71—74. Sed *iam* insertum ob metum laborantis metri, qui vanus est. *aut mirantis iam* 15. *pueroque miranti* 13. *puero admiranti* cod. quidam Pith. *mirandis* 1. 14. 18. 70. 75. 76. 77. 81. 82. et nonnulli codd. Paris. probante Schurzfl. qui monet, *pisces mirandos* dici, ut inf. v. 70. *gurgites miros*, quod inter θαυμάσια ἀκούσματα referantur. Sed nostra lectio longe venustior est, haec emendationem sapit et quidem ineptam: non enim *pisces* sunt *mirandi*, sed mirandum est, quod *sub aratro inventi* sint. *vel liranti sub aratro* ingeniose emend. Gatak. ad Antonin. p. 253. et Dusaulx coll. Varr. R. R. I, 29. *tertio quum arant iacto semine, boves lirare dicuntur.*

66. *fetae* scripsi pro *foetae*. v. ad XI, 40.

68. *Examenve* pro *Examenque* legendum semper putavi, et nunc recepi ex 11.

69. *delubrum* 11. quod pro *delubrorum* positum suspicabatur Schurzfl.

70. *Gurgitibus niveis* vel *nigris* conj. Schrader, et *rubris* cel. Iacobs, qui haec adnotavit: " Vulgatam forte defendas ex Virg. Ge. I, 477. Iuvenalis tamen antitheses captandi consuetudo efficit, ut existimem, pro *miris* significantius olim vocabulum fuisse positum. Inter prodigia, quae Caesaris mortem portendebant, puteos fluviosque cruorem manantes laudant Virg. Ge. I, 485. Cic. de Div. II, 27. et Dio LXII, 1. p. 1002.,, His vero non opus esse coniecturis, quum *gurgites miri* sint inusitati, qui hominibus admirationem timoremque iniiciant, monet Hein. — *aut*

Hoc arcana modo? maiorem tertius illa
Summam, quam patulae vix ceperat angulus arcae?
Tam facile et pronum est, superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Adspice, quanta
Voce neget? quae sit ficti constantia vultus?
Per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat
Et Martis frameam et Cirrhaei spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque Puellae,
Perque tuum, pater Aegaei Neptune, tridentem;
Addit et Herculeos arcus hastamque Minervae,
Quidquid habent telorum armamentaria coeli.
Si vero et pater est: Comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi Pharioque madentis aceto.
Sunt, in Fortunae qui casibus omnia ponant

lactis praestiterit. Ita quoque legendum censet Iacobs. — *vertice* 12. 21. 22. v. ad VI, 524.

73. *ille* 12. 15. 16. 17. 19—24. 27 a m. sec. 45. et omnes codd. Paris. e quibus illud restituit Ach. *illo* 25. 27 a m. pr. 47. 48. 56—60. 64. 65.

74. *Partem* 77. — *ceperit* 23.

75. *est* non exstat in 21.

76. *sciet* 16.

81. *Aegei* al. etiam Hennin. Sed *Aegeus*, Αἰγεύς, Thesei pater, a quibusdam Pandionis II., ab aliis Scyrii, ab aliis Phemii (v. Heyne ad Apollod. p. 871 sqq.), a nemine vero, quod sciam, Neptuni filius editur. Eum quidem in mare Aegaeum se praecipitasse eique dedisse nomen, fabulantur Diodor. IV, 62, 63. Pausan. I, 22, 5. et Hygin. f. 43. non vero, eum propterea filium Neptuni creditum esse, quod nonnulli suspicantur. Illud quoque mare non Αἰγεῖον, sed Αἰγαῖον dicitur. Fac tamen, *Neptunum* etiam *Aegei patrem* esse editum, hacc appellatio Dei, cui a poëtis multi tribuuntur filii, admodum h. l. ieiuna est, ne quid gravius dicam. Multo exquisitior vulgata lectio *Aegaei*, a nobis restituta, quae etiam in plerisque certe codd. mss. reperiretur, nisi hi diphthongos respuerent. v. Comm.

82. *Addidit* 16. 23.

84. *Si verum pater* 24. — *et* abest ab 15. 24. 25. 27. 46. 47. 49. 54—58. 60. 64. 65.

86. *Sunt, qui in Fortunae iam casibus* 10. 12. 17. 19—22. 24—27. 45—47. 49. 50. 54—69. 71—74. 77. et XXX MSS. Paris. prob. Ach. cuius nota est: " Hanc lectionem nostram fecimus, etsi aliter euphonià postulat, propterea quod non inutile prorsus nobis visum est *iam*, h. e. ea etiam aetate. Nam a Lucretio Epicureorum doctrina, qua omnis providentia deorum tollitur, tantopere invaluerat, ut pars altera Romanorum ei sectae fuerit addicta, altera sectae Stoicorum, pauci Academicorum, quos notat v. 90 seq. „ *Sunt qui For-*

Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quaecumque altaria tangunt.
Est alius, metuens ne crimen poena sequatur:
Hic putat esse Deos et peierat, atque ita secum:
Decernat, quodcumque volet, de corpore nostro
Isis et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego, numos.
Et phthisis et vomicae putres et dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene: quid enim velocis gloria plantae
Praestat et esuriens Pisææ ramus olivae?
Vt sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed et exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere: multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum dirae trepidum formidine culpae

tunae iam casibus 16. 23. et quidam codd. Paris. *Sunt, qui Fortunae sub casibus* 13. *Sunt qui Fortunae iam lapsibus* 30. — *ponunt* 10—13. 15. 16. 45. 50. 60—63. 65. 68. 69. 71—74. 77. Sic et mox v. 87. *credunt* 10. 11. 12. 15. 16. 22. 25. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 54—58. 60—64. 65. 68. 69. 71—74. 77. At v. sup. ad XII, 101.

89. *Atque ergo* 11.

91. *at peierat* 16.

96. *semper* pro *pauper* 16.

97. *Ne* restitui ex 2. 21. 25. 56—60. 62. 64. 66. 68. 69. 71—76. et nonnullis MSS. Paris. *Nec* 1. 3. 5. 10. 11. 12. 14—20. 22. 23. 21. 27. 45—50. 54. 55. 61. 63. 65. 67. 70. 77. 82. *Non* 11. Malim *Num dubitet Ladas?* — *dubitat* 3. 5. 10. 22. 23. 27 a m. pr. *dubitat*, vel *dubitet: laudas, si* cet. 2. 3. 5. 10. 11. 12. 15. 17. 19—22. 24—27. 45—49. 55—60. 65. 66. 67. *laudes* 16. 23. Sescenties nomina propria sic corrupta.

99. *Praestet* 16.

101. *curent* 10.

102. *veniet* 45. 46. 47. 57. 58. — *sed exorabile* 19. *sed explorabile* 15. *si et exorabile* 14. unde Schurzfl. conj. *Siet!* (sit ita, fiat, ἐῤῥίφθω κύβος) *Exorabile numen* cet.

103. *is* 45. 46. 47. 49.

105. *pretium* vel *precium sceleris* 10. 17. 19—22. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74.

106. *intrepidum* 23.

Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem
Praecedit, trahere immo ultro ac vexare paratus.
Nam quum magna malae superest audacia causae,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,
Vrbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: Audis,
Iupiter, haec, nec labra moves, quum mittere vocem
Debueras vel marmoreus vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia tura soluta
Ponimus et sectum vituli iecur albaque porci
Omenta? Vt video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras statuamque Vagellî.
  Accipe, quae contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit

107. *confirmat* 15. 27. 54. 58. 64. — *avocantem* 24.

108. *et vexare* 10.

114. *committere* 11. 13. 18. 21. 22. 60. *emittere* 28. 68.

115. *Debueris* 17. 20. 21. 22. *Deberes* 11 — *aenus* 46. 48. *ahencus* 13. 25. 49. 50. 57. 59—63. 66. 67. 68. 71. 72. 73. 77. v. sup. ad III, 285.

118. *est* non exstat in 18.

119. *Vagelli* 1. 14. 70. 75. 76. 82. et IV MSS. Paris. Vetus scholion est: *qui, ut vos, stultissimus accepit statuam.* Designatur forte idem *Vagellius* Mutinensis et declamator, cui mulinum cor tribuitur inf. XVI, 23. *Bacilli* 10. 11. 16. 17. 19. 20. 21. 29. 45. *Batilae* 23. *Bathulli* 15. *Batilli* 18. 22. 24—27. 46—49. 54. 55. 57. 58. 61—64. 65. (Paris. 1512.) 66—69. 71. 72. 73. 77. *Batylli* 50. 60. 65. *Bathylli* 56. 59. 60. 74. 81. probb. Britann. Grang. Prat. et aliis, ut non sit *Bathyllus* ille pantomimus, de quo v. sup. ad VI, 63. sed adolescens Samius, cuius insigni pulcritudine Anacreon non magis, quam Polycrates tyrannus Samius, captus dicitur, et de quo Apul. Florid. II. sub finem: *In Samo, quae modica est insula in mari Icario, templum Iunonis antiquitus famigeratum conspici, cuius ante aram* STATVA *erat Bathylli, a Polycrate tyranno dicata, qua nihil umquam affectatius fuit.* Cf. Winckelm. A. z. G. d. K. p. 55. Alterutrum Bathylum eiusque *statuam*, privatam certe, nec in publico loco positam, non sine risu notari, monet Ach. Sed utriusque Bathylli mentio parum apta h. l. cui maxima potius vis inest, si *Vagellii* vel alius cuiuscumque hominis stulti ac fatui nomen memoratur. Cf. sup. I, 129—132.

120. *qui* 16. — *valeant* 46. 47. 49. 64.

121. *Et* ab h. l. alienum videtur. Forte leg. *Hic* vel *Is*.

A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui laetum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis maioribus aegri;
Tu venam vel disciplulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo; nec pugnis caedere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma,
Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
  Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur numi, quam funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem deducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrumis amissa pecunia veris.
  Sed si cuncta vides simili fora plena querela,
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,

423. *Suscipit* 17. 20. 21. 22. 24. 45. 50. 65.

424. *medicis melioribus* 4. e glossa.

429. *cludenda* 48.

431. *Planguntor* malebat Iacobs, acerbe increpatus ab Heins. — *et nemo* 15. — *dolores* 13. 16. 17. 20. 25. 27. 45—49. 51—60. 64. 74.

432. *in occasu* 10. 15—23. 47. 49. 54. 55. 57. 58. 62. 66—69. 71—74. et omnes fere codd. Paris. non improb. Ach. si ita interpungantur haec verba et explicentur: *maiori tumultu planguntur nummi, quam funera; nemo dolorem fingit: in occasu* autem amici *vestem deducere* cet., h. e. amissa pecunia maiori dolore lugetur quam funus parentis; tunc scil. quum pecunia amittitur, nemo, contentus vulgo in occasu amici fictas lacrymas effundere, nemo, inquam, fingit dolorem. — *deducere* restitui ex 10. 13. 18—20. a m. sec. 22—24. 45. 74. plerisque codd. Paris. et aliis, quos laudant Heins. ad Ovid. Amor. I, 7. 48. et vir doctus in Misc. Obss. crit. Vol. V. T. II. p. 298. *diducere* in reliquis libris, quod etiam non ineptum forte, si exposueris: distrahere tantum, pectoris nudandi plangendique causa. Sed illud dolori, etiam ficto, convenientius videtur. Sic ap. Ovid. Met. VI, 405. *Dicitur unus Flesse Pelops, humeroque suas ad pectora postquam Deduxit vestes*: et ap. Senec. Troad. v. 86 seq. de choro Iliadum, Hectoris Priamique mortem lugente: *veste remissa Substringe sinus, uteroque tenus Pateant artus*; et v. 102. seq. *cadat ex humeris Vestis apertis; utrumque tegat Suffulta latus: iam nuda vocant Pectora dextras* cet. Cf. sup. ad X, 153.

436. *diversa in parte* 10. 11. 12. 16—27. 45—50. 54—69. 71—74.

437. *ducunt* 16. — Pro *ligni* h. l.

Arguit ipsorum quos litera gemmaque princeps
Sardonychus, loculis quae custoditur eburnis:
Ten', o delicias! extra communia censes
Ponendum? Qui tu gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?

et inf. XVI, 41. ubi idem legitur versus, vel *lini* vel *signi* reponendum putabat Heius. ad Ovid. ex Ponto II, 9, 69. ut vel linea intelligerentur vincula, tabellis testamentisque obsignandis adhiberi solita, vel *chirographum* et *signum* coniungerentur, ut ap. Cic. ad Att. II, 20. Sed vulgata quoque lectio non inepta videtur. v. Comm.

139. *Sardonychus* 68. 74. 77. 81. *Sardonichus* 49. 55. 72. *Sardonycus* 10. 50. 54. 64. 67. *Sardonicus* 12. 15—20. 23—27. 45—48. 56—63. 65. 66. 69. 71. 73. Eadem forte lectionis varietas in MSS. Paris. nam *Sardonychus* in XXX codd. exstare, quod Ach. notavit, vix crediderim. Hoc tamen eo praeeunte revocavi, etsi illa vocis forma non nisi Iuvenalis usus est. *Sardonychum* quidam codd. et edd. recentt. Sed genit. plur. voc. *sardonyx*, σαρδόνυξ, νχος, ab h. l. alienus est et dicendum potius fuisset *gemmarum princeps sardonyx*. *sardonicum* 21. *sardonyches* ed. Prat. et al.

140. *Ten' O delicias* 14. 21—24. 48. 70. 8?. Recte, opinor, et venuste, modo eo, quo curavi, modo exclamandi interrogandique signa ponantur. v. Comm. *Te nunc delicias* 10. 11. 12. 15—20. 25. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 51—69. 71—77. et omnes codd. Paris. prob. Ach. *Cur te delicias* 13. *Te nunc deliciarum inter communia* male conj. Schurzfl. Manso autem haec adnotavit: "Legendum videtur: *Ten' et delicia extra* cet. Sunt *deliciae* numi (decem sestertia), quos in deliciis habitos, sed amissos Calvinus luget, sensusque verborum: Num te et tua a communi mortalium sorte exemtum iri sperare potes? De adiectivo, remotiori pronomini accommodato, v. interp. ad. Sallust. Iug. 49. 5. et Sanctii Min. IV, 8.,, Eidem verba Sat. VI, 47. non accurate et vere a me explicata videntur. Sed vellem meliora nos docuisset. Mihi quidem neque haec meis praeferenda videntur. — Sic Lucianus in Demonacte c. 25. Ω γελοῖε, μόνος ἀφόρητα πάσχειν νομίζεις, μηδένα ὁρῶν πένθους ἄμοιρον;

141. *qua tu* 15. *quod tu* 13. *quia tu* 10. 11. 12. 17. 19. 25. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 51. 55. 57. 58. 60—69. 71. 72. 73. 75. 76. 77. Forte legendum: *qui tu gallinae filius Afrae*. Gallinae Africanae s. Numidicae, si Varroni et Plinio fides habenda, *novissimae sunt peregrinarum avium in mensas Romanorum receptae propter ingratum virus*, et tamen in delicatis veterum cibis maxime praedicantur. Sola itaque raritas iis videtur auxisse pretium, quod et Petron. c. 93. innuit bis verbis: *Afrae volucres placent palato, Quod non sunt faciles* scil. paratu. Hinc *gallinae filius Afrae* proverbii loco quis dici potest eo sensu, quo *phoenix* quis dicitur, aut sup. VI, 165. *Rara avis in terris nigroque simillima cycno*. Cf. Erasmi proverb. II, 1, 21.

142. *Nos viles, populus* 11. *Nos viles populi* 16. *Nos vilis populis* 21.

Rem pateris modicam et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina. Confer
Conductum latronem, incendia sulphure coepta
Atque dolo, primos quum ianua colligit ignes;
Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandae robiginis et populorum
Dona vel antiquo positas a rege coronas.
Haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer et artifices mercatoremque veneni
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus Vrbis
Vsque a lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus. Paucos consume dies, et
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis

22. *Nos vilis populus* 7. 12. 13. 17. 20. 29. Eadem varietas est in MSS. Paris. Posterius arridebat Schurzfl. ut eo sensu haec dicta sint, quo Horatiana: *Nos numerus sumus, fruges consumere nati.* Sed venustior est lectio vet. Schol. et editt. recentt. qua *viles pulli* opponuntur *gallinae albae.*

144. *Si confers oculos* 11. quod arrisisse Schurzfl. mireris. Cui enim placebit idem verbum, vario sensu bis in eodem versu positum?

147. *his* 46. 48. 49 — *veteres* 27. 51. 58. *veteris aevi* 72. — *tollunt qui* 17.

148. *rubiginis* 17—22. 60. 64. et optimi codd. Paris. Sed *robiginis* in antiquiss. MSS. aliis locis legitur. v. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 907. et Virg. Ge. I, 151.

150. *tibi* 16. 47. 48. 54. 58. — *minor est an sacrilegus, qui — ducat?* conj. H. Vales.

153. *dubitat* 18. 22. — *solus* 23. 24. *solitus dubitet* 25. — *An dubitet stolidus t. c. T.?* emend. H. Vales. quia *solitus* sit sine sensu.

154. *artificem* 13. 16. 17. — *mercatoresque* 19.

158. *Vix* 13. — *ab* 21.

161. *illuc* 11. 15. 21. *illic* 22. *istinc* 77.

162. *miretur* 13.

In Meroë crasso maiorem infante mamillam?
Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam
Caesariem et madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod haec illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmaeus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti raptusque per aëra curvis
Vnguibus a saeva fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quamquam eadem assidue spectentur proelia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno. —
Nullane periuri capitis fraudisque nefandae
Poena erit? — Abreptum crede hunc graviore catena
Protenus et nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio: manet illa tamen iactura, nec umquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis. —
At vindicta bonum vita iucundius ipsa. —
Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia causis:
Quantulacumque adeo est occasio, sufficit irae.

165. *et* abest ab 15. 24. — *madidum* 22. — *cyrro* 17. 20. *madidos torquentem in cornua cirros* emend. Salmas. in Epist. de Coma. Non male! Durior certe dictio: *torquentem cornua et madido cirro.*

166. *hic* 22. *illis* 50.

167. *volucres Thracum* 15.

169. *torvis* 16.

170. *haec* 23.

171. *quatiare* 1. 14. 17. 64. 70. 75. 76. 82. *quaterere* Marshall. *quatiere* 10—13. 15. 16. 18. 19. 21. 23—27. 45—50. 54—63. 65—69. 71—74. 77. minus venuste. *quatiaris et illic* 20. 22.

172. Vox *quamquam* ab h. l. plane aliena videtur, et vix dubito, quin totus hic versus ab ingenio interpolatoris profectus sit. *Quando eadem assidue spectantur proelia* conj. Iacobs monetque, *quando* esse pro *quandoquidem* et sic narrationem terminari, ut v. 166. — *Assidue quamquam* 16. 17. — *spectantur* 10. 15. 16. 18. 19. 22—24. 45.

175. *affectum* 16. 29. *arreptum* 21. 22. — *maiore* 7.

177. *movet tamen illa* 16.

180. *bonum est* 15. 16.

182. *nullis, Interdum levibus* 11.

Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis
Ingenium dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptae saeva inter vincla cicutae
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia atque errores exuit omnes,
Prima docens rectum Sapientia: quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Vltio: continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam femina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos et surdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Poena autem vehemens ac multo saevior illis,
Quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
  Spartano cuidam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere et fraudem iure tueri
Iurando; quaerebat enim, quae numinis esset
Mens et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probavit

184. *dicit* 16. 23. 24. 60. 65.

186. *saevae* 26. 27. 46. 48. 50. 57—60. 64. *saeve* 47.

188. *ast errores exsuit omnes Prima docens r. S.* legisse vet. Schol. suspicabatur Schurzfl. At sensum forte loci huius, ut toties, non percepit. v. Comm.

189. *docens* 10—13. 15—22. 25. 27. 45—50. 54—58. 60—63. 65—69. 71—74. et omnes paene codd. P. prob. Ach. (Rup. vulgat. *docet* servavit.)

193. *putas* 16. 17. 20—22.

194. *caeco verbere pulsat* 77.

195. *quatiens* 13. 20. 21. 22. 24. *quatiens animum terrore* 4.

197. *Caedicius* recepi ex 1. 17. 21. *Cecidius* 20. 22. 45. *Seditius* 18. 23. 60. *Caeditius* in reliquis libris. — *aut Rhadamanthus* 23. 61. 62. 63. 66—69. 71—74. 77. *Radamanthus* 18. 20. 45. *Rhadamantus* 50. *Radamantus* 17. 19. Sed Gr. Ῥαδάμανθυς dicitur.

200. *fore quondam* 16. — *forte* 45.

201. *detinere* 24.

205. *Phoebo* pro *templo* conj. Iacobs adiuncta hac causa: " Quacumque ratione verba vulg. lect. iungas, sensus exsistit aut ineptus aut languidus: nam aut *vox adyti* (ex adyto

Exstinctus tota pariter cum prole domoque
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur poenas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet: cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensae tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis interque molares
Difficili crescente cibo: sed vina misellus
Exspuit; Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. Ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem
Et toto versata toro iam membra quiescunt,
Continuo templum et violati numinis aras

edita), quae *templo digna* apparet, aut *vox digna templo adyti*. Neutrum tolerabile.„ Hac vero coniectura non opus esse monet Hein. quum sensus sit: poenas dans *probavit vocem adyti*, i.e. oraculum ita fuisse, ut exspectari par est, ut e templo mitti debet.

206. *pariter tota* 10. 16. 18. 19. — *domuque* 20.

208. *saeva voluptas* 17. 20. 21. 22. 24. 27. 45—49. et dimidia pars MSS. Paris. — Boissonade ad Nicet. III, 332. p. 179. " Achaintre notavit, codices multos habere *saeva* et certe *sola* praestare. Equidem in cod. Thuan. non *saeva* inveni, sed *scaeva*, quod est optimum. *Scaevus* est Graecorum σκαιὸς, cuius hae sunt inter alias apud Hesych. significationes: πονηρὸς, κακός, ἄδικος.„ Conf. ad Sat. X, 236. in Var. Lect.

210. *eredo* 47. 48. et duo codd. Paris. *dic* pro *cedo* 22. ex interpret.

212. *et morbo* 15. 17.20. 23. 27. *e morbo* 11, *ex morbo* 21. 22.

213. *Setina misellus Exspuit, Albani veteris pretiosa senectus Displicet* in Klotz. Actis literariis ingeniose conj. Cl. Hetel, qui bene monet, haec vini genera etiam sup. V, 33, 34. coniungi, et *sed* h. l. ineptum esse, *vina* autem simpl. dicta non satis respondere consilio poëtae, qui id agat, ut fastidium exprimat deliciarum cuiuscumque generis, quod anxius habeat homo scelerisque sibi conscius. De hac coniectura Ruhnkenius olim gratulatus est docto eius auctori, qui per literas id mihi significavit. Eadem firmatur alio, qui mihi succurrit, poëtae nostri loco sup. X, 27. (*lato Setinum ardebit in auro*) ubi *Setinum* sc. vinum dicitur, ut h. l. *Setina*. Forte etiam epitheton *veteris*, cui parum apte h. l. *senectus* iungitur, e glossa irrepsit. Similia tamen passim in poëtis obvia.

218. *vexata* 24. — *foro* 77. — *quiescant* 18. 23. 27. 46. 47. 48. 50. 58. 61.

219. *et templum* 24. — *aram* 21.

Et, quod praecipuis mentem sudoribus urguet,
Te videt in somnis: tua sacra et maior imago
Humana turbat pavidum cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
Quum tonat, exanimes primo quoque murmure coeli;
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et iudicet ignis.
Illa nihil nocuit; cura graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Praeterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si coepere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine: saxa Deorum
Haec et tela putant: pecudem spondere sacello
Balantem et Laribus cristam promittere galli
Non audent: quid enim sperare nocentibus aegris
Concessum? vel quae non dignior hostia vita?
  Mobilis et varia est ferme natura malorum.
Quum scelus admittunt, superest constantia. Quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa et mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit

223. *fulmina* 3. 4. 16. 22. 27. 46. 47. 48. 64. solenni varietate.

221. *quoque primo* 25. 46—50. 57 —60. 64. 65.

225. *fortuitu* 18. 19. 20. 27. 45—50. 54. 55. 56. 59—65. 68. 71—74. et quidam codd. Paris. Nostra lectio doctior est.

226. *ut* pro *et* 16. 19. Non male, et prob. H. Vales. — *vindicet* 7. 10. 13. 16. 19. 20. 22—27. 29. 45—50. 54—69. 71—74. dimidia fere pars codd. Paris. nec tamen melior, et Serv. ad Virg. Aen. VI, 179. Sed exquisitius videtur *iudicet*, iudicis quasi personam agat, sententiam quasi de reis ferat, eos condamnet ac puniat. Varietatem lect. ex comp. script. *uidicet* ortam esse suspicatur Ach.

227. *noceat* 24.

228. *haec* 24.

233. *permittere* 46. 47. 48. 58.

237. *Dum* 23. *Tum* 60. — *superest audacia* 77. — *quid fas* pro *quod fas* restitui ex 10. 21. 24. 25. 47. 48. 55 —60. 62. 66—69. 71—74. et plerisque MSS. Paris.

238. *tamen* 25. 46. 49. 56. 57. 60. 65. 241. *imposuit* 19.

Eiectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, et nigri patietur carceris uncum
Aut maris Aegaei rupem scopulosque frequentes
Exsulibus magnis. Poena gaudebis amara
Nominis invisi, tandemque fatebere laetus,
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.

242. *attritum* 13. — *pudorem* 21. 22. 24. 28. 246. *Et* 16. — *Aegei* 19. et al. v. ad v. 81.

SATIRA XIV.

ARGVMENTVM

Plurima sunt turpia, quae parentes tam exemplis, quam institutione ac praeceptis liberos docent. v. 1—3. Si illi oblectantur alea vel delicate et molliter vivunt vel servos inhumane tractant, etiam hi mature discunt ludere, epulari ac saevire. 4—25. Filia adulterae iisdem, quibus mater, amoribus indulget. 25—30. Nec mirum: natura enim ita comparatum est, ut in exemplis, praecipue parentum, maxima sit vis, et animus hominum magis ad vitia, quam ad virtutem inclinet. 31—43. Quae quum ita sint, cave ne quidquam inhonesti et obscoeni vel dicas vel facias coram liberis. 44—49. Qui si non oris tantum et corporis, sed animi quoque habitu moribusque tibi fuerint similes et exemplo tuo peccaverint, tuorum tibi conscius vitiorum eos castigare et punire non audebis. 50—58. Amicis ad coenam invitatis omni opera eniteris, ut supellex lauta sit atque magnifica; illud vero non curas, ut filii domum a culpa quasi flagitiisque vacuam et probos mores, tamquam speculum, intueantur. 59—69. Bene de patria meretur, qui liberos ei gignit, modo curet, ut eidem utiles sint. 70—72. Plurimum vero interest, quibus illi moribus artibusque instituantur, et quales sint parentes, quoniam ab his exempla sumunt, et, quae a teneris unguiculis discuntur, mentibus infixa haerent, quod vel animalium exempla probant: nam ciconiae, vulturis et aquilae pulli eamdem, quam parentes, victus consuetudinem per totam vitam servant. 73—85. Similiter aedificatorem filius imitatur (86—95.), et parvuli Iudaeorum nihil de superstitione, institutis moribusque paternis mutant. 96—106. Ita in reliquis quoque rebus sponte sua liberi vestigia parentum persequuntur: sola pecuniae cupiditate inviti inscii que inflammantur, quoniam pater, ut virtutis eos specie fallat, quae avaritia est, parsimoniam appellat teneras que illorum mentes paulatim huius vitii elementis imbuit. 107—124. Quae si rite animis imbiberunt, extremas eos sordes docet, defraudans servos demensis suis, famemque sibi explens mucidis panis frustis et opsoniis aestu corruptis, quae vel mendici respuerent. 125—134. Nullum vero vitium stultius est turpiusque avaritia: potestne enim quidquam esse absurdius, quam misere duriterque vivere, ut dives moriaris? 135—137. Praeterea avarus, quo plura possidet, eo plura cupit, et, quamvis agros agris adiiciat, vicinum, si non iure et pretio, certe iniuria et fraudibus pellit, parum sollicitus, utrum bene, an male audiat. 138—155. Nec tamen divitiis suis vel corpus vel animum aegritudine levare potest. 156—160. Veteres Romani, aetate bellique laboribus confecti, post tam egregie navatam rei publicae operam, binis iugeribus, praemii loco acceptis, contenti erant et pulte vivebant. 161—171. Nunc horti ampliores sunt, quam olim agri, et insatiabilis habendi cupiditas plurima veneficia, caedes et scelera cuiuscumque generis gignit. 172—178. Prisci Marsi, Hernici ac Vestini frugalitatem agrique culturam filiis suis commendabant, tenuique victu vitam sustentare solebant. 178—188. Nostris contra temporibus et patres et nutrices parvulos omnibus iis artibus, etiam vilissimis, instruunt, e

quibus lucrum possint facere, et diligenter iis inculcant illam poëtae sententiam: unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere. 189--209. *Cur vero tantopere urges filium tuum, stultissime parens, ut mature parcus sit et pecuniae avidus? Quam primum enim adoleverit, non est, quod dubites, quin te ipsum avaritia superet, et falsis testimoniis, periuriis uxorisque caede divitias quaerat.* 210--224. *Horum scelerum ipse auctor es censendus: quicumque enim malis artibus rem familiarem alicui augere permittit et stultum dicit esse, qui amicorum propinquorumque inopiae subveniat, is quoque spoliare, decipere et quovis modo opes sibi acquirere docet ac suadet.* 225--243. *Filium itaque tuum adulta aetate inexplebilis, qua eum incendisti, pecuniae cupiditas in omne scelus rapiet, nec tibi ipsi parcet, si vita nimis longa votis eius obstiterit.* 244--255. *Minus profecto iucundum nobis spectaculum praebent ludi scenici ludicraeque artes, quam labores et pericula, quae lucri causa avarus suscipit.* 256--264. *Periculosa quidem est ars petauristarum et funambulorum, sed ad vitam sustentandam spectat: avarus contra maiori vitae discrimine omnia percurrit maria, ut divitiis affluat.* 265--283. *Alii aliis modis insaniunt, sed nemo magis eo, qui lucri spe captus ne saeva quidem tempestate deterretur, quo minus se suaque omnia uni tabulae committat.* 284--295. *Quo fit persaepe, ut stultus ille homo, qui modo omni, quod usquam est, auro inhiabat, mox stipem colligat eique vix suppetant panni, quibus corpus velare possit.* 295--302. *Quam misera denique est avari conditio, qui divitias, quas tantis sibi paravit curis periculisque, maiore metu et sollicitudine custodit? Quanto felicior pauper, qui pauca quidem possidet, sed nihil cupit, et prudentiae confidit, non fortunae?* 303--316. *Quae quum ita sint, auctor tibi sum, ut plura non concupiscas, quam quae ad victum vitaeque usum pertineant: ita enim tibi persuadeas velim, nulla divitiarum magnitudine expleri posse, qui rebus ad vivendum necessariis non sit contentus.* 316--331.

Satira haec rerum affectuumque gravitate prae ceteris excellit et praeclaris sententiis tamquam gemmis distincta est clarissimis. In prima eius parte (v. 1--134.) redarguuntur acerbe parentes, exemplis et praeceptis liberos suos ad vitia vel in suos eosque pravos mores formantes, in altera (v. 135--331.) potissimum notatur avaritia. Cum hac conferenda Horatii Sat. I. lib. I, et lib. II, 3, 108 seq. ut ita diversissimum dicendi genus perspicue cognoscatur (Horatius enim, ut solet, ridendo vitium hoc corripit, Iuvenalis autem altius insurgens declamatorio more et magistri severitate illud in invidiam adducit atque indignationem excitat); cum illa, praeter loca, in Comment. laudata, Senec. de ira II, 22. et epist. 97. Plut. de institut. liber. et Quintil. Inst. Orat. I, 1, 6. cuius verba omnino digna sunt, quae h. l. adscribantur: Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis solvimus: mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet et qui in purpuris repet? Iam coccum intelligit, iam conchylium poscit. Gaudemus, si quid licentius dixerit: verba, nec Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt; nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convivium obscenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur; fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes nun accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt cet. -- *Notae Achaintrii sunt hae:*

" *Poëta ostendit sup. II, 166. et VI, 617. quam pessima (!) fuerint commercia et quantum nocerent rei publicae Imperatorum, regum ac populi primorum corrupti mores. Nunc demonstrat, quanti sint ponderis exempla domestica, quae re ipsa morum publicorum sunt certissima fundamenta. Dusaulx poëtae nostro obiicit, quod abrupta nimis transitione ad aliud argumentum, scil. ad avaritiam transierit: male, nostro iudicio; nam et id suo (!) themati conveniebat. Ex omnibus enim vitiis, ad eversionem imperiorum aptissimis, nullum optimus ille vir iudicabat peius et vitandum magis quam avaritiam, scil. cupiditatem habendi per fas et nefas. Quam qui in animos puerorum insinuat, is merito patriae hostis debet haberi. Ea enim plebem turbulentam efficit, cives inquietos et novarum rerum avidos, mercatores rapaces, iudices corruptos, milites infidos, duces periuros et ei, qui plus pollicetur, vitam suam addicentes, Imperatores ambitiosos, spoliatores, depraedatores, tribunos denique ad populi tutelam institutos venales, perturbatores, patriae defectores et rem publicam tyranno vendentes. Cf. Virg. Aen. VI, 621. 622. Recte igitur a v. 106. Iuvenalis acriter invehitur in avaritiam, quippe quod vitium, quum sint alia quodammodo condonanda, nullam habet excusationem, et virtutibus supra memoratis proximum est, etsi tamen ab iis distinctum. Non enim permisceas* avaritiam *cum* frugalitate *et ista prudenti rerum familiarium aut publicarum administratione, quae est privatarum domuum et imperiorum felicitatis firmissimum fundamentum.* "

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
Quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres

2. *maculam haesuram* 1. 8. et edd. recentt. *maculam et rugam* 22. (Gr. σπίλον καὶ ῥυτίδα) *maculam ac rugam* 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 25. 26. 27. 45—50. 54—69. 71—74. et omnes codd. Paris. Hoc probavit Rigalt. et restituit Ach. — Ante hunc versum alius legitur in multis codicibus, et quidem *Et quid maiorum vitio sequiturque minores* in 12. *Et quod m. vitio* (al. *vitium*) *s. m.* in 2. 4. 8. a m. sec. 11. 23. 24. 27. 35. 36. 45. 74. et in omnibus fere MSS. Paris. *Et quod m. vitia s. m.* in. 17. 19. 20. Pithoeus non repugnat, quominus eum retineamus, dummodo post v. 3. reponatur. Sed argumentum potius Satirae hoc versu et forte altero, qui exciderit, comprehensum fuisse, non male suspicabantur Lipsius Epist. Quaest. IV, 15. Grangaeus, Calder. et alii, qui recte monent, in membranis plerisque, memoriae iuvandae causa, versum, quo argumentum contineatur, vel Satiris praefixum, vel, ut in cod. Divaei, ad marginem libri scriptum legi, indeque spurium illum et ineptum, quo tota loci huius sententia turbetur, facile potuisse in textum irrepere.

4. *iuvet* 22.

Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet iuvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire et eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente
Et cana monstrante gula. Quum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu
Semper et a magna non degenerare culina.
Mitem animum et mores modicis erroribus aequos
Praecipit, atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis,
An saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus,
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro?
Quid suadet iuveni laetus stridore catenae,

6. *melius cuiquam de se* 11. 16. 17. 45. *de se cuiquam melius* 20. *de se melius cuiquam* 25. 27. 46—50. 54—60. 71—74.

7. *Concedit* 10. 13. 15. 16. 17. 19—24. 27. 48. 54. 59—65. et XXXIII MSS. Paris. prob. Ach.—*rodere* quosdam legere monet Lubinus, qui id exponit, avide vorare.

11. *puero* pro *puerum* restituit ex 10. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. et XXX MSS. Paris. Possis etiam distinguere: *Transierit, puero, — admoveas.*

16. *Praecipitat qui* 29. *Praecipitateret* 12. — *animos* 10. 12. 15. 17. 19. 25. 27. 45—50. 54. 55. 57—63. 65—69. 71. 72. 73. et multi codd. Paris.

17. *Materia constare pari paribusque elementis* conj. Wakef. ad Lucret. III, 375. Sed iungere malim *nostra materia*. v. Comm. — *paribusve* 17.

18. *Insaevire* quidam. — *Rutulus* 11. 17. 19. 21—24.

19. *Plagarum crepitu* emend. Broukhus. ad Tibull. IV, 1, 59. quum *crepare* sit verbum proprium in verberibus. Sed paucis id locis haud confici posse monet Helu. et in loco Cic. Verr. V, 62. *strepitus* legi in duobus codd. teste Gron. ad Gell. X, 3.

20. *et* pro *ac* 22.

21. *Tunc* 10. 11. 17. 19—24. 45. — *aliquis quoties* 7. et mox v. 22. *propter duo* 7. 11. Vtrumque probavit d'Orville ad Chariton. I, 5. p. 234. ed. Lips.

Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? Exspectas, ut non sit adultera Largae
Filia, quae numquam maternos dicere moechos
Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non ter decies respiret? Conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas
Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.
Sic natura iubet: velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Quum subeunt animos auctoribus. Vnus et alter
Forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit praecordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
Abstineas igitur damnandis: huius enim vel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti; quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus; et Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

24. *Inscriptus servus* Graecis, v. c. Luciano (Cataplus c. 24. et 28.), dicitur κατάγραφος, στιγματίας. πελιδνὸς καὶ κυάνεος ἀπὸ τῶν στιγμάτων, πολλὰ ἐμπολήσας ἴχνη καὶ σημεῖα τῶν ἐγκαυμάτων.

25. *exspectes* 15. 25. 46—50. 51—60. 64. 65. — *Lagae* 21 a m. sec. 22. *large* invita Minerva conj. Fidentinus et Sabinus.

26. *discere* 24.

27. *non* 22. — *potuit* 24. *poterit tanto* 21.

30. *moechos* pro *moechum* revocavi ex 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19. 20. 25. 27. 45—50. 51—60. 64. multis MSS. Paris et Prisciani lib. VII. et XIII. — *easdem* 16.

31. *natura docet* 24.

33. *subeant* 10. 13. 15. 16. 17. 19—22. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74. et omnes fere codd. Paris. — *actoribus* 16. *doctoribus* 7.

34. *spernunt* 15. *spernent* 15.

38. *Abstineat* 12. *Abstineas igitur damnis* (sceleribus, quae tibi liberisque tuis exitio sunt); *huiusce eterni* (rei) *vel Vna potens* cet. 10. 11. 12. 15. 17. 19. 20. 21 a m. sec. 22—27. 15—50. 51—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. unde haec restituit Ach.

39. *est* non exstat in 11. 19. 22. — *nec* 22. 23. 24. 65.

41. *et pravis* 16.

43. *unquam* 21.

Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est. Procul hinc, procul inde puellae
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam si quid dignum Censoris fecerit ira
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius; et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum et castigabis acerbo
Clamore ac post haec tabulas mutare parabis.
Vnde tibi frontem libertatemque parentis,
Quum facias peiora senex vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat?
   Hospite venturo, cessabit nemo tuorum.

44. *Nec* 12. 45.

45. *Intra quae pater est* 1. 11. 29. 75. prob. Schurzfl. — *ac* pro *hinc* 11. 12. 22. et *hac* 10. 17. 19. 20. 21. 24. 45. *profani* pro *puellae* 11. *procul hinc, procul ite puellae* recte, opinor, in literis ad me datis emend. Cl. Herel, qui suspicatur, vocem importunam *inde* ab indocto librario repositam esse, ut τῷ *hinc* responderet. Id quoque legi in duobus MSS. Paris. monet Ach. Verbis tamen *hinc* et *inde* forsan innuuntur diversae aedium partes.

46. *ut cantus* 16.

47. *pueris* 22.

48. *ne* recepi ex 13. 27. 47. Idem conj. V. Cl. Herel. *nec* in plerisque libris. *non* in quibusdam.

49. *obstet* 1. 11. 16. 18. 24. 70. 82. *obstat* 19. *obsistet* 23. *obsistat* 10. 12. 13. 15. 17. 20. 21. 22. 25. 27. 45—50 51—69. 71—76. et permulti codd. Paris. Rectius; nisi potius repositum est ab iis, qui metro timebant. v. sup. ad I, 151.

51. *Quandoquidem et similem* 10. 12. 16. 17. 19—27. 45—50. 54. 55. 57—64. et omnes codd. Paris. *Quandoquidem similem* 11. 15. 50. 56. 65—69. 71. 72. 73. 77. Illud probavit Schrader et Ach., hoc Schurzfl. In iisdem libris v. 52. legitur *et quum Omnia* cet. et verba *Quandoquidem — filius*, vel adeo tres versus, 51. 52. et 53, parenthesi includuntur.

52. *morum tibi filius* 12. 17. *morum quod filius* quidam. — *et quum Omnia* cet. 10. 15. 16. 17. 19—21. 23—27. 45—50. 54—69.*71—74. 77.

54. *nimium* 45.

55. *posthac* 24. 77. *aut post haec* 12. 16—20. 24. 25. 27. 45—48. 56. 58. 60. 64. 65. *ut post haec* 57. 59.

57. *facies* 12. 23.

Verre pavimentum, nitidas ostendo columnas;
Arida cum tota descendat aranea tela;
Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox domini furit instantis virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus; et tamen uno
Semodio scobis haec emundat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum vitioque carentem?
Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Vtilis et bellorum et pacis rebus agendis.

60. *et nitidas* 12. 23.

62. *lavet argentum* 10—13. 15. 16. 18—22. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. quos secutus est Ach. *laeve argentum* in reliquis. Ego *leve* scripsi. v. ad II, 12.

63. *furit* 1. 14. 18. 48. 70. 75. 76. 82. *fremit* 7. 10. 11. 15. 20. 21. 23—27. 29. 45. 46. 47. 49. 50. 54—69. 71—74. 77. omnes fere codd. Paris. et ed. Ach. *fremat* 12. 16. 17. 19. *premat* 22.

64. *ut* pro *ne* 19 a m. pr.

66. *Nec* 25. 45. 50. 56. 57. 60.

67. *scrobis* 11. 12. 16. 17. 19. 20. 24. et XX MSS. Paris. *scropis* 23. — *emondat* vet. MS. Rittershus. *mundat* 12. *emundet* 21 a m. sec. *emundat* 11. 23. 24. quod pro vulg. *emendat* recepi. Idem probarunt Sciopp. Veris. IV, 10. et Schurzfl. qui monet, ita etiam legisse Eutichium Gramm. lib. II. p. 2174. ed. Putsch.

69. *tabe* 23.

70. abest ab 23. *patriaeque dedisti* 22. *Patribus civem populoque* emend. et copiose defendere conabatur Bentl. ad Horat. Od. III, 6, 20. putans, ineptam non modo h. l. esse tautologiam, sed inficetam quoque inconcinnamque repetitionem voc. *patriae*. In hac vero repetitione magna potius vis inest, et *patriam populumque* diserte etiam iunxit Ovid. Met. XV, 572. (cui loco eamdem adhibere medicinam, magnae temeritatis est) neque ea prorsus synonyma esse verba, sed *patriam*, quatenus sit ipsa res publica cum partibus suis, maiestate, dignitate, securitate et salute publica, distingui et posse et debere a *populo* s. civibus, iam monuit Iani ad Horat. l. l. Nota Ach. est: " Sub tyranno *populus* exstat, non *patria*: in re publica autem aut etiam sub Principe iusto, moderato et legibus obsequenti *populus* est, *cives* sunt et *patria*: nec ea debent permisceri, nec eorum oblivisci debuisset Bentleius Anglus et civis."

72. *rebus pacis* 23. 25. 27. 46—49. 51—60. 64. 65.

Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos (tu
Nutrit et inventa per devia rura lacerta :
Illi eadem sumtis quaerunt animalia pinnis.
Vultur, iumento et canibus crucibusque relictis,
Ad fetus properat partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis et se
Pascentis, propria quum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulae Iovis et generosae
In saltu venantur aves: hinc praeda cubili
Ponitur: inde autem, quum se matura levarit,
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum praedam rupto gustaverat ovo.
Aedificator erat Cetronius, et modo curvo

74. *nidos* pro *pullos* 84 a m. pr. prob. Schradero in Observatt. p. 70. ubi recte, puto, monet, vulgatam lect. ex glossem. irrepsisse (ut et ap. Claud. III Cons. Honor. Praes. v. 5.), et pullos aviumque fetus a poëtis aliisque scriptoribus, originem vocabuli respicientibus, erudite *nidos* vocari. v. ad V, 143. in Comm. Iuvenalis docte loqui amat, et quis sibi persuadebit, *nidos* librariorum ingenio deberi? Suspicari tamen possis, hoc ex V, 143. petitum esse et a docta manu h. l. adscriptum.

75. *Nutrire* 22.

76. *quaerunt alimonia* 11. ad marg. Glossae: *Alimonium*, τροφεῖον, τροφή; et eadem voce usus est Varr. R. R. I, 8, 7. II, 1, 14. 5, 16. III, 16. Sed alibi, quod sciam, ea non occurrit, et *eadem animalia* h. l. sunt serpentes et lacertae. — *pennis* 10. 13. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54—59. 71—74. Praestat *pinnis*, si verum est, de quo tamen dubitare licet, ita dici plumas, h. e. molliores exiguasque pennas.

77. Fuerunt, qui mallent *gruibusque relictis*: sed hi sententiam h. l. parum perspexisse videntur.

79. *Hinc* 21. — *iam* pro *quoque* 15.

80. *fecit* 11 a m. sec. unde *quum fecit in arborem* conj. Schurzfl.

82. *tunc praeda* 10. 12. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 51. 56—69. 71—74. et dimidia pars MSS. Paris.

83. *levabit* 10. 12. 13. 17. 19—27. 48. 54—63. 65. 66—69. 71—74. et XVII codd. Paris. prob. Ac h. quia sequitur *festinat* et *gustaverat*.

85. *rupto praedam* 61. 62. 63. 66. 67. 68. 71—74. — *gustaverit* 11. (alia lectio, ab eadem manu notata) 22. 25. 27. 49. 50. 56—65. 68. 71—74. *gestaverit* 46. 47. 66. 67.

85. *Cetronius* 1. 11. 12. 14. 19. 22. 45. 49. 70. 75. 76. *Centronius* 10. 15. 16. 18. 20. 21. 23—27. 46—48. 50. 51—69. 71—74. 77. *Caetronius* 17. *Cretonius* 8. et mox v. 92. *Cetonius*

Litore Caietae, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Praenestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Graecis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunae atque Herculis aedem,
Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes; nec parva tamen mensura relictae
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
  Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil praeter nubes et coeli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses;

sed utroque loco *Cetronius*, a m. sec. *Centonius, Ceronius, Ciconius* al. Forte leg. *Centenius* v. ad Liv. 22, 8. pr. ubi eadem fere est lectionis varietas.

90. *ac* 27. 46—50. 54—56. 59. 60. 64. 65.

92. *Cetronius*. v. ad v. 86.

97. *coeli lumen* alii, nescio qui, probb. Cantero Nov. Lectt. IV, 2 ac 5. et Scalig. ad Cirin, sed refrag. Lips. ad Tac. Hist. V, 5.

99. *Cum pater* 13. *Quod pater* 18.

101. *discunt* 15. *et discunt* 19. *edificant* 22. — *ac servant* 22. 23. — *et metuunt* 14. 16. 22. 23. 25. 27. 46. 47. 48. 55—60. 64. 65.

102. *Mosis* 46. 47. *Moyses* 17. a m. pr. 18. 19. a m. pr. 20—24. — *Tradit et arcano* 11. non improb. Schurzfl. ut sensus sit: *ediscunt* ritus Iudaeorum, et *observant*, *quodcumque tradit Moses*, quale est, *non monstrare vias*, nisi Iudaeis, et non circumcisos ne communis quidem aquae usu dignari velle, aut *sitientibus* fontem ostendere. Haec vulgaris interpretandi ratio dura, sed lectio illa omnino probanda videtur, modo post *Moses* non colon, ut vulgo fit, sed punctum ponatur, ut infinitivi *monstrare* et *deducere* non pendeant a verbis *Moses tradidit*, sed narrativi sint sive historici. Ita voc. *quodcumque* aptius est, quam si ad *ius Iudaicum* referatur: nec opus, versus 103. et 104. post v. 100. collocare, quod Scaligero placuisse docet Pithoeus, ut infinitivi illi ad voc. *soliti* v. 100 pertineant: a quo eos vel in vulgari verborum ordine pendere non mihi persuasit Ach. Suspicari possis, in fine v. 103. post voc. *colenti* incuria librariorum excidisse copulam *et*. Sed permulta loca huic similia sunt. v. ad IV, 63.

Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
Ignava et partem vitae non attigit ullam.
Sponte tamen iuvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoque avaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Quum sit triste habitu vultuque et veste severum.
Nec dubie tamquam frugi laudatur avarus,
Tamquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt
Incude adsidua semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros;
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant et eidem incumbere sectae.
Sunt quaedam vitiorum elementa: his protenus illos

103. *Nec* 22.

105. *in causa est* 22.

110. *voce* pro *veste* 2.

112. *rerum cautela* 4. 17. 21. 22.

113. *fortunas si* 25. 27. 46. 47. 57—60. 64. — *servat* 16. 22. 45.

115. *putat atque verendum Artificem* 10. 11. 18—21. 23—27. 45—50. 51—69. 71—74. plerique codd. Paris. et sic ed. Ach. *atque verendi* 12. 16. 17. 21. et multi codd. Paris. quod Pulmannus exponit: verecundae actionis.

116. *crescant* 16.

117. *quocumque malo* 4.

119. *Et solos animi felices* 13. *animi felicis* (scil. esse) 10. 15—21. 23. 25. 48. 54. 55. 57—63. 65. 66—69. 71—73. et XXXIII MSS. Paris. non male! Sed doctior est et Graeca dictio *felix animi*, ut μακάριος τῆς τύχης, εὐτυχὴς τῆς ὁμιλίας cet. et contra *infelix animi* ap. Virg. Aen. IV, 529.

120. *mirantur* et mox *putant* et *hortantur* 10. 12. 15—27. 45—50. 54—69. 71—73. 77. et omnes codd. Paris. unde haec revocavit Ach. *hi nulla* 12. 15—18. 20. 21. 23. 24. 45. 46. 49. 55. 56. 59. 60. 65. et plerique codd. Paris.

122. *peragant* 9. 11. 15. 16. 23.

Imbuit et cogit minimas ediscere sordes.
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet um-
Mucida caerulei panis consumere frusta, (quam
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri: nec non differre in tempora coenae
Alterius conchem aestivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad haec aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias haec per tormenta coactas,
Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno quum turget sacculus ore,

124. *nimias* 4. 5. 20. 21. 22.

125. *insanabile* 22.

127. *nec* 15. 16. *enim* abest a 12. Vetus Schol. haec notavit: "id est, omnia sustinet. Duo negativa confirmativum faciunt.„ Hinc eum legisse *neque enim non sustinet umquam Omnia caerulei* cet. suspicabatur Schurzfl. putans, *mucidi* fuisse glossam τοῦ *caerulei* et deinde textum obsedisse.

131. *concham aestivi* 2. 3. 5. 10. 12. 16.—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et permulti codd. Paris. *Concha aestivi cum parte lacerti* apta h. l. si vile concharum genus intellexeris, quia cum *lacerto* coniungitur. Sed *conchem* et *lacertum* iunxit etiam Martial. VII, 77. *conchem aestivi* cet. 16 25. 50. 56. 61—65. 77. prob. Magio in Miscell. II, 3. et 10. ubi *partem* h. l. dici credebat caudam lacerti, et hanc solam in pretio fuisse colligebat ex Martial. l. l.

134. *negabit* restitui ex 10. 11. 12. 16—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. probb. Lindenbr. et Heins. ad Ovid. in Ibin v. 420. *negavit* 14. 15. 70. 75. 76. 82. quod ἀορίστως accipi potest. *negarit* non male conj. Schurzfl.

135. *quid* pro *quo* al. — *per haec.* 16. 45.

136. *phrenesis manifesta* 11. Priores syll. voc. *phrenesis*, φρένησις, corripuerunt Prudent. Hamartig. 125. et Seren. Samm. 90. Sed horum auctoritati nihil tribuendum esse in rebus metricis, passim monitum est a viris doctis et a me ipso ad Silium. Cuius quia h. l. immemor fui, acerbe me increpuit Heinecke. Licebit eum relegare ad illa, quae ad V, 10. notavi, et cum eo exclamare: en prosodiae Latinae peritissimum!

137. *egenti vivere fato* 10—13. 16. 18—21 a m. pr. 22—27. 45—50. 54—69. 71—74. XXXII MSS. Paris. et ed. Ach. rectius forsan, certe doctius. *egentis* 1. 8. 17. 21 a m. sec. tres codd. Paris. et edd. recentt.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit;
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, quum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines; maiorque videtur
Et melior vicina seges: mercaris et hanc et
Arbusta et densa montem qui canet oliva.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri lassoque famelica collo
Iumenta ad virides huius mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia saevos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venales iniuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam foedae buccina famae?
Quid nocet hoc? inquit: tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet et morbis et debilitate carebis
Et luctum et curam effugies, et tempora vitae
Longa tibi post haec fato meliore dabuntur,
Si tantum culti solus possederis agri,

139. *pecunia crescit* 10—13. 15—27. 48. 54—69. 71—74. 77. forte rectius.

145. *dominus precio* s. *pretio* 11. 13. 16—21. 45. *pretiis ullis* 77.

147. *Armenta* 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. 77. — *mittantur* 16. *mittuntur* 10—13. 15. 17—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. plerique codd. Paris. et ed. Ach.

148. *scaevos* 18. 23.

149. *habeant* 17. 20. 22—24. 27. 45. 46. 49. 56. 60. 65. *habebant* 47. — *credant* 20. 24.

151. *Et sic venales* 16.

152 *quae foedae* 17—21. 23 24. 27. 45—47. 49. 50. 54—58. 61—69. 71—74. et quidam codd. Paris. *tam foedae* 22. — *bucina* 17. 48.

153. *Quid nocet hoc* et mox *lupini* cum Ach. restituimus ex 10—13. 15—21. 23—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnibus codd. Paris. *Quid nocet haec* et *lupinae* 1. 14. 22. 48. 70. 75. 76. 81. 82. quae posterior vox, quod sciam, non alibi occurrit, nisi adiective posita. *tunicam* (molestam) *Lupini* alicuius damnati designari putabat H. Vales.

155. *farra metentem* 22. non male!

159. *solus culti* 25. 46—49. 51—60. 64.

Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis aetate ac Punica passis
Proelia vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa umquam meritis minor, aut ingratae
Curta fides patriae. Saturabat glebula talis
Patrem ipsum turbamque casae, qua feta iacebat
Vxor et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini; sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus altera coena
Amplior et grandes fumabant pultibus ollae.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum causae, nec plura venena
Miscuit aut ferro grassatur saepius ullum
Humanae mentis vitium, quam saeva cupido
Indomiti census: nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quae reverentia legum,
Quis metus aut pudor est umquam properantis avari?

161. *passis aetate* 11. sed *fractis* in marg. — *et Punica* 25. 27. 46. 47. 49. 54—58. 60. 64. — Ante hunc versum excidisse unum alterumve suspicari possis: in sententiarum saltem ordine est, quod severiori iudici displicere possit.

162. *gelidosque Molossos* malebat Scaliger, quod multo concinnius videbatur Plathnero.

164. *merces ea* 10. 11. 12. 15—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et omnes codd. Paris. unde hoc recepi cum Ach. pro *merces haec*.

165. *haud ingratae* 10. 11. 12. 15—18. 20—24. 27. 45. 46. 47. 56. 65. et XX MSS. Paris.

167. *in qua* 15.

171. *postibus ollae* 21.

172. *vestro* 57. — *agro* pro *horto* 15.

174. *ac ferro* 21.

175. *saeva* 23.

176. *Indomiti census* revocavi ex 10. 12. 13. 17—22. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XXV MSS. Paris. h. e. immensi, quo sensu *indomita prela* dixit Plin. XVII, 10. s. 14. *Immodici sensus* 11. 14. 15. 16. 23. 24. 70. 75. 76. 82. et X codd. Paris. quae lectio haud dubie ex interpret. orta. Illam certe librariorum ingenio deberi, quis sibi persuadeat?

178. *et pudor* 18. *Quis modus aut pudor est* in literis ad me scriptis ingeniose emend. Cl. Herel, coll. Horat. Od. I, 24, 1. *Quis desiderio sit pudor aut modus*, qui locus Iuve-

Vivite contenti casulis et collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim
Vestinusque senex; panem quaeramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratae post munus aristae,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi: qui submovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit.
Haec illi veteres praecepta minoribus: at nunc
Post finem auctumni media de nocte supinum
Clamosus iuvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras
Maiorum leges aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo naresque pilosas
Annotet et grandes miretur Laelius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat; aut, longos castrorum ferre labores

nalis forte menti obversabatur. Vox *metus* languet, quoniam cum *reverentia legum* iungitur.

179. *his casulis* 15.

182. *Qui* restituimus ex 11. 12. 13. 16—20. 23—27. 45—50 55. 57—69. 71. 72. 73. 75. 76. et MSS. Paris. tantum non omnibus. *Quis* 10. 14. 15. 21. 22. 54. 56. 70. 74. 77. 82. quod minus aptum videtur, nisi forte ita iunxeris verba: *aratro panem quaeramus mensis* nostris, *qui satis est*, quibus sufficit panis. — *laudant haec* 11. 21 a m. sec. 22. 23.

184. *Contingunt homines* 10. 11. 12. 17—21. 27. 45—49. 54. 55. 56. 60—63. 65—69. 71—74. 77. et XXX MSS. Paris. non improb. Schurzfl. qui comparavit Gr. ἅπτει χόρος. *Contemnunt homines* 13. *Effugiunt homines* 50. 64.

186. Post hunc versum in 16. insertus est iste: *Frondoso pariter requiem capessere lecto.*

188. *quodcumque* 13. 49. 55. 61. 62. 63. 65—69. 71—74.

189. *et nunc* 16.

192. *vigila ac causas age* 17. 19. *vigil ac* 16. 21 a m. sec. 22. 28.

194. *Sit caput* 11. 20. prob. Schurzfl. putans, voce *sed* turbari sensum.

195. *Advocet* 16.

196. *Dirue maiorum* 20.

198. *at* 11. 15. 16. *et* 15.

Si piget et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Vllius subeant ablegandae Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Vnguenta et corium: lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dis atque ipso Iove digna, poëtae:
Vnde habeas, quaerit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae:
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem affari: Dic, o vanissime, quis te
Festinare iubet? meliorem praesto magistro
Discipulum; securus abi: vinceris, ut Aiax

199. *trepido* 10. 11. 12. 16—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73. et omnes codd. Paris. quod restituit Ach. putans, hoc doctius esse, quod mihi secus videtur.

203. *Ne* 63. *Nec* 13. 17. 18. 23. 25. 27. 45—50. 54—62. 64—69. 71—74. Eadem varietas est ap. Virg. Ge. IV, 47. et al. debeturque librariis, qui ignorabant, *neu* vel *neve* passim pro *nec* poni.

206. *poëta* 8. 13. 21. prob. Pith. Sed iunge: *sententia poëtae*.

208. *Haec* 20. — *pueris vetulae* 10. 17—24. 45. — *repentibus assae* 1. 10. 14. 70. 75. 76. 77. 82. *repetentibus assem* 21. 24. quod conj. Schurzfl. coll. V, 144. *poscentibus assem* 11. 12. 15—20. 22. 23. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. et plerique codd. Paris. probb. Grang., Rigalt. et Ach. coll. eodem loco sup. V, 144. qui sane huic lectioni favet, vel potius alteri *repetentibus assem*, quae ad nostram propius accedit et peperit tertiam: *poscentibus* enim est glossa, verbo *repetentibus* adscripta. Sed utrumque forte petitum ex V, 144. Nostram lectionem primus revocavit Carrio Emendatt. II, 9. ubi ex Nonio monet, *assam* dici nutricem, quod semper *assit* s. *adsit* iis, quos nutriat. Sed vetus Schol. est: "*Assa* dicitur nutrix sicca (sole colorata, rugosa) et vetusta, quae lac non praestat infantibus, sed solam diligentiam et munditiam adhibet.„ Gloss. vett. "*Assae*, adsestrices, ἀναγετριαι, ταις τικτουσαις ὑπηρετουσαι, aliquando etiam τροφοι.„ *vetulae pueris poscentibus assae* legebat Is. Pontan. ad Macrob. VII.

209. *Haec* 19. — *alpha et vita* 11 a m. sec. et 64. Cf. Valesiana p. 206.

211. *possum* 10. 13. 15—25. 54—60. 62. 64—69. 71—74. *possunt* 27. 48. 61. 63. — *dico* 27. 61. 62. 63.

212. *Festinare facit* 16.

213. *abis* 66.

Praeteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum teneris: nondum implevere medullas
Maturae mala nequitiae: quum pectere barbam
Coeperit et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua et Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam iam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quae terraque marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Haec ego numquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi.
Mentis causa malae tamen est et origo penes te.
Nam quisquis magni census praecepit amorem,
Et laevo monitu pueros producit avaros,
* Et qui per fraudes patrimonia conduplicare

214. *et Pelea* 15. *aut Pelea* 23. — *vincit* 18.

215. *Parcendum teneris* 10. 17. ut ap. Virg. Ge. II, 363. Id substitui pro vulg. *Parcendum est teneris*. Librarii sexcenties inculcarunt *est*, ubi bona Latinitas illud omittere solet. *Parcendum est pueris* 22.

216. *Naturae mala nequitia est*. 1. *Maturae* 14. 15. 16. 23. 24. 48. 59. 65. 70. 77. 82. *Naturae* 10—13. 17—22. 25. 26. 27. 45—49. 54—58. 60. 75. 76. non improb. Schurzfl. ut *medulla naturae* maxima dicatur κακοζηλία. Idem ex antiquiss. MSS. Paris. restituit Ach. et exponit ita: *nondum implevere medullas*, penitus in teneros, simplices et adhuc *naturae* deditos penetraverunt eorum animos, nondum venis medullisque infixa haerent *mala nequitiae*, scelerum omnium principia, semina. *Nativae* 50. 61—64. 66—69. 71—74. non improb. H. Vales. — Mox ante *quum* insertum est *Ast* in 14. 70. 82. quod extrusi, quoniam abest ab 10—13. 15—27. 45—50. 54—69. 71—77. et interpolationem redolet. — *pectore* 16. 22.

219. Copula *et* abest ab 10—13. 15—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. — *tegensque aramque* 21.

223. *Anquirenda* recte, puto, emend. Grang. v. ad VI, 501. — *putes* 18. 19. 23. 24. 46—50. 54. 55. 56. 59—64. 65. 68. 69. 71—74. 77.

228. *levi* 45. *lacto* 16. — *providit* 45. 16. 29.

229. *fraudem* 24. — *conduplicari* 13. 17. 18. 20. 22. 23. 24. 27. 45. 47. 51. 58. 64. *conduplicandi* 15. Forte rectius, etsi non ignoro, vocem *libertatem* etiam infinitivo iunctam legi, v. c. ap. Prop. I, 1, 28. et Val. Fl. I, 601. — Totus autem versus abest ab 2. 10. 11. 12. 16. 21. neque eum in

Dat libertatem et totas effundit habenas
Curriculo : quem si revoces, subsistere nescit
Et te contempto rapitur metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas : adeo indulgent sibi latius ipsi.
Quum dicis iuveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollatque propinqui;
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriae Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Graecia vera, Menoeceus:
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur et horrida bella capessunt
Continuo, tamquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late et rapientem cuncta videbis.

suo exemplari habuisse videtur vetus Schol. qui illum silentio praetermisit, et verba *dat libertatem* exposuit : auctoritatem et nequitiam permittit. Est haud dubie lacinia, adsuta ab interpolatore, qui verba *Dat libertatem* non concoquebat, nisi talia adderentur. Minus quidem languebit, si *et* v. 228. et 230. pro *etiam* positum acceperis. At quis ferat hanc copulam toties ac vario sensu repetitam eamdemque sententiam ter expressam? Hinc etiam non placet opinio eorum, qui v. 230. *et* ante *totas* delendum putant, ut verbis *Nam quisquis — dat libertatem* πρότασις (quae sic nimis longa est et ταυτολογεῖ), reliquis vero, *totas effundit habenas* cet., ἀπόδοσις contineatur. Toto potius versu eiecto nihil est, quod in h. l. displiceat. vid. Comm.

230. *effudit* 21. 22. 25. 27. 46—49. 4?—63. 66. 67. 69—73.

232. *Sed* conj. Plathner.

233. *credet* 24.

235. *Cur* 22. — *dices* 16. — *stultus, qui donat a., Qui p. levat attollitque p.* 13. Non male, ut ipsa sint patris verba.

236. *levat* 13. 16. 23. — *attolitque* 13. 16. *attolletque* 15. *tollat levetque* 24. — *propinquum* 21.

238. *anquirere* etiam h. l. suspicari possis v. sup. ad VI, 501. — *in te est* 18. 19 a m. sec. 23. 25. 27. 46. 47. 48. 50. 54—69. 71—74.

241. *quarum* (scil. Thebarum) 19. 25. 46. 48. 49. 50. 54—57. 59—69. 71—74. et multi codd. Paris. sed *quorum* 1. 10—18. 20—24. 27. optimi codd. Paris. (Put. Fauch. Alex. Senat. Thuan. et alii) quod doctius est. v. Comm.

243. *et tamquam* 20. — *tibicen* 22. 49.

245. *et late* 10. 11. 15. 17—19. 23.

Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Exspectare colus: morieris stamine nondum
Abrupto. Iam nunc obstas et vota moraris:
Iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.
Ocius Archigenen quaere, atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum
Atque alias tractare rosas. Medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla aequare queas Praetoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, aerata multus in arca
Fiscus et ad vigilem ponendi Castora numi,
Ex quo Mars Vltor galeam quoque perdidit et res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Florae
Et Cereris licet et Cibeles aulaea relinquas:

25. 45—49. 54. 55. 57—60. 64. 65.

247. *caveam* 15—20. 22. 24.

248. *nec grave* 24.

249. *colos* 13. 18—21 a m. sec. 22. 23. 24. 46—50. 54—57. 59. 60. 62. 64. 65. 68. 69. 71—74.

252. *Archygenen* 17. 19. Ego *Archigenen* pro *Archigenem* scripsi.

253. *Opposuit* 22.

254. *togas* pro *rosas* 16. — *est* non exstat in 17. 18.

255. *aut pater aut rex* 10. 11. 15—20. 24—27. 45—50. 54—69. 71—74. plerique codd. Paris. et ed. Ach.

258. *spectas* 18. 23. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74. — *constant* 21. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74.

265. *Non et iactare* 12.

266. *solent* 27. 47. 54. 61. 63. 64. 74.

267. *Quantum* 16. — *in* ante *Corycia* non male inseritur in 10. 17. 19. 23. 24. vel ante *puppe* in 45. — *Coricia* 10. 17. 19. 23. 24. 46. *Coritia* 47. 48. 50. 64. *Corithia* 21. 45. *Corinthia* 22. — *rupe* 21 a m. sec.

269. *ac vilis* 1. 2. 14. 18. 56. 70. 74—77. 82. *Perditus, a Siculis sacci mercator* (qui a Siculis saccum mercaris) 3. 5. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54. 55. 57—69. 71. 72. 73: et permulti codd. Paris. quod perperam probat Plathnerus, quia *saccus olens* sit crocum, quod plurimum in Sicilia, unde et *Sicanium* dicatur Stat. Sylv. V, 3, 41. Ei tamen adstipulatur Ach. qui illam lec. restituit.

270. *pingui* 16. 27. 45. 59. 60. — *antiquo* 22.

Tanto maiores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quippe solet rectum descendere funem,
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus ac vilis sacci mercator olentis;
Qui gaudes pingue antiquae de litore Cretae
Passum et municipes Iovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet: tu propter mille talenta
Et centum villas temerarius. Adspice portus
Et plenum magnis trabibus mare; plus hominum est iam
In pelago: veniet classis, quocumque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Gaetulaque tantum
Aequora transiliet; sed, longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operae pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis tumidaque superbus aluta
Oceani monstra et iuvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor: ille sororis

273. *Victum ex illa merce* 22.

276. *plus h. iam* 21. 22.

277. *vocat te* 10. 27. 47. 54. 58.

279. Secundam syll. voc. *Calpe* in sexto casu corripi, iam miratus est Priscian. lib. VI. Eamdem brevem esse ap. Avien. Arat. v. 1023. observat Curio prava lectione deceptus, qui eum aliis putabat, id propterea fieri, quod *Calpe* etiam tertiae declinationis sit, et *Calpes*, *Calpis* non minus recte dicatur, quam *Calpe*, *Calpes*.

285. *torretur* 11 in marg. non improb. Schurzfleisch.

286. *credet* 17.

287. *lacertis* 7. 12. 15. 17 a m. sec. 20. 21. 22. 46. 61. 62. 63. 65—69. 71—73. et XII MSS. Paris. in his Pul. et Fauch.

288. *navem qui* 21.

289. *tabula dist. uda* 15. 16. 19. 21. 23—27. 46—49. 55—60. 68. XXV MSS. Paris. et ed. Ach. *una* 17. 20. 22. 28. 74. et tres codd. Paris. *unda* 1. 8. 10—14. 22. et VII MSS. Paris.

291. *Conscissum* 16. 21. 22.

293. *piperisve* 19. 45. non male! — *coëmtor* 11. *coëmptor* 15. 16. 19. 21 a m. pr. 23—27. 46—50. 54—69. 71. 72. 73.

In manibus vultu Eumenidum terretur et igni :
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus et tabula distinguitur unda;
Quum sit causa mali tanti et discriminis huius
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
  Occurrunt nubes et fulgura: « Solvite funem,
Frumenti dominus clamat piperisque coemti;
Nil color hic coeli, nil fascia nigra minatur;
Aestivum tonat.» Infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam laeva morsuque tenebit.
Sed cuius votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis cura maiore metuque
Servantur. Misera est magni custodia census.
  Dispositis praedives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro signisque suis Phrygiaque columna
Atque ebore et lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet

295. *at forsitan* 15. 17. 20. 21. 22. multi codd. Paris. et ed. Ach. *ac forsitan* 16. 19. 23—27. 48. 56-- 64. 66 —69. 71—77. *an forsitan* al. Cf. Comm.

296. *cadit* 21. — *trabibus fractis* 10.

297. *zonam morsu tenebit*, ut fere in Luciani dial. mort. XI, 4. τὸ δὲ χρυσίον ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι καὶ πάσῃ μηχανῇ ἐφύλαττον.

298. *suffecerit* 20. 21. 27. 46. 47. 48. 54. *sufficeret* 23.

299. *volvunt* 22.

300. *sufficiant* 16.

301. *Exanguisque* 12.

305. *perdives* 24. *dives* reponi iubebat Curio, et *armis* pro *hamis* Britann. ut metro consuleretur. Neutrum iis venisset in mentem, nisi perperam de *hamis* piscium cogitassent.

Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa quum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis aequanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quae
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Numquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam,
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Haec quoque si rugam trahit extenditque labellum;
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra;

310. *aut eadem* 10. 11. 12. 14. 15. 18. 19. 23. 24. 43. 45. 50. 64. 70. 82. et plerique codd. Paris. *atque eadem* 16. 17. 20. 21. 22. 25. 27. 46—49. 54—63. 65—69. 71—77. et quidam codd. Paris. At quomodo *altera fiet domus*, et simul manebit *eadem?* Id iam monuit Lips. Epistol. Quaest. IV, 25.

312. *quantum* 23. 47. 48. 49. 55. 58. 64.

313. *totum qui* 27. 47. 48. 49. 56—60. 64. 65.

315. *Nullum numen abest* 13. 15. 16. 19. 20. 23—27. 45—50. 54—63. 65—69. 71. 72. 73. — *sed te Nos facimus* 10. 13. 15. 16. 17. 20—27. 45—50. 54—69. 71—74. *sed nos Te facimus* 12. 19. v. sup. ad X, 365. ubi iidem leguntur versus.

316. *Deam, coeloque locamus* 45. et X, 366.

317. *consulit* 16 21.

318. *En quantum* suspicari possis. At v. Comm. — *ac frigora* 21.

321. *dicet* 11. 22. 23. 25—27. 46—50. 54—60. 65.

322. *ludere* 45. *includere* 15. *eludere* alii. v. ad III, 19.

323. *de nostris* 19. 25. 27. 46—50. 54. 55. 57—60. 64. 65. — In omnibus, quas vidi, editt. perperam non post *summam*, sed post *ordinibus* distinguitur.

324. *dignetur* 45.

325. *labellis* 22.

326. *quadraginta* 16. 20 a m. pr. 22. v. ad I, 106.

327. *non* 27. 64.

Nec Croesi fortuna umquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiae Narcissi,
Indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis, uxorem occidere iussus.

328. *Rosci* pro *Croesi* 4. forte e glossa, ad v. 324. adscripta. *Croesi*, regis Lydorum, divitiae cui non sunt auditae? — *vel Persica* 16.

329. *Sufficiunt* 27.

SATIRA XV.

ARGVMENTVM

In hac Satira, ad Volusium Bithynicum scripta, Iuvenalis gravissime invehitur in religiosam Aegyptiorum dementiam, qui non modo monstra Deorum, animalia et olera, sed etiam alii alia huiusmodi numina colant, et ob hanc religionis diversitatem tanto se invicem odio prosequantur, ut caeco nonnumquam furore instincti eos, qui aliis utantur sacris, devorare non dubitent. v. 1—13. *Quae ne quis fabulosa esse censeat et similia iis, quae Vlysses Alcinoo super coenam de Laestrygonum Cyclopumque immanitate et ἀνθρωποφαγίᾳ narraverit* 13—26, *exemplum memorat efferatissimae huius crudelitatis, quod sua actas viderit, et refert, finitima oppida, Tentyra et Coptum, antiqua simultate, nullam aliam ob causam, quam quod diversa coluerint numina, ita arsisse, ut nuper Coptitae cum Tentyritis, diem festum agentibus et larga meri potione oneratis, quo facilior victoria esset, iurgio contendendi occasionem inde ceperint, utque rixa primum conviciis ac clamore, deinde percussione capitum vulneribusque, pugnis et lapidibus inflictis, transacta, mox armis sumtis in praelium exarserit, in quo fugatis Coptitis, unus eorum, qui nimia formidine cursum praecipitans procubuerit, captus a Tentyritis et non modo in plurima sectus frusta et particulas, ut multis sufficeret, sed crudus etiam ac totus corrosis ossibus tanta aviditate devoratus sit, ut qui ex hostibus novissimi venerint, absumto iam toto corpore, ductis per terram digitis aliquid de sanguine eius gustaverint.* 27—92. *Tanta inhumanitate nullum umquam populum saeviisse dicit: non Calaguritanos in Vasconum finibus, qui, longa demum obsidione ad diram redacti famem et ignari adhuc Stoicorum philosophiae, vitam inhonesto modo, humanorum scilicet corporum dapibus, protraxerint* 93—114; *non Tauros, qui homines tantum immolaverint Dianae, non etiam comederint* 115—119; *non Cimbros nec Britannos aut Sauromatas et Agathyrsos* 119—128. *Tum poëta acerbe increpat inimicitiam et odium, quod ferae non nisi in dispar genus, homines autem in se ipsos gerant, quodque prorsus contrarium sit naturae, quae humano generi mollissima dederit corda, et ceteris animalibus*

> *Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos*
> *Affectus petere auxilium et praestare iuberet* (129—174).

Ex hoc argumento intelligitur, poëtae consilium non eo potissimum spectasse, ut religionem vel superstitionem Aegyptiorum derideret (de qua vid. ad v. 2.), sed ut insigni ostenderet exemplo, diversitate religionis huius populi inexpiabile nonnumquam odium et inauditam inhumanitatem gigni. In ipsa Satira (in primis in postrema eius parte v. 129—174.) *magna est orationis vis ac gravitas, rei convenientissima; quae tamen passim, ubi locus est, admixtis facetiis temperatur. — Achaintre haec bene adnotavit: " Inferius tamen hoc opus ceteris eiusdem auctoris videtur; quod non mirum est: nam et senex admodum*

erat, et rem Romanis inauditam narrabat. Non ea bella infanda noverat, quae furor religiosus sequentibus aevis produxit. Quid si Muhumeti fanaticum ardorem vidisset eumdemque manu dextra gladium gestantem, Coranum altera? Quid si Christianorum sancta bella sub crucis vexillo suscepta, les Croisades? *Quid si Albigensibus rogos accensos? Lutheri et Calvini sectatorum et Catholicorum furores sacros? Non iuste minus exclamasset* Adspicimus populos, quorum non sufficit irae Occidisse aliquem..... *Sed cur ea commemorem? Iam non sub crucis vexillo bella et strages sunt inchoandae. Humanitatis ipsius et philosophiae nomine (quod non minus saevum, at ridiculum magis et multo minus excusandum) arma capessuntur, regna et imperia corruunt, urbes diruuntur, agri vastantur hominesque trucidantur. Sic omni tempore inde Principum ambitio prava, aulicorum aviditas et Δημαγωγῶν insania, hinc populorum socordia et imbecillitas miseris mortalibus excidii causae fuerunt terramque hanc miseram stragis sedem desolationisque fecere.* „

De tempore, quo hanc Satiram scripserit Iuvenalis, v. Comm. ad v. 27. *Minus constat, qua occasione et quo loco composita sit. Vetus Schol.* " *Ad Volusium, inquit, de Aegyptiorum sacris scribit, odio Crispini, qui Aegyptius erat, egens, et modo magister peditum atque equitum factus est.* „ *Vid. ad I,* 26 *seq. et IV,* 1 *seq. Calderinus:* " *Invehitur in mutua hominum odia et feritatem, notans scil. Paridem (v. ad VII,* 87 *seq.), cuius odio fuerat eiectus, sumta occasione ex re gesta, quam in Aegypto viderat.* „ *Lipsius (Epist. Quaest. IV,* 20.): " *Iuvenalem exsulasse sub Domitiano, non abnuerim, et, quod in Divaei libro est, in Aegyptum etiam missum, ultro crediderim. Indicare hoc ipse voluit Sat. XV,* 45. *Ait:* quantum ipse notavi. *Vidit igitur Aegyptum, vel quum inibi exsularet, ut MS. Divaei, vel, ut Suidas, quum in vicina esset Pentapoli s. Cyrenaica. v. Plin. V,* 5. *Haec lustratio Aegypti causam illi praebuit scribendae satirae de immani superstitione Aegyptiorum. Nisi hoc fuisset, cur non pariter aliquid de Hispanis aut Germanis?* „ *Hinc tamen non pro certo affirmare ausim, hanc Satiram non Romae, sed in Aegypto et tempore exsilii, scriptam fuisse. Illud probabilius videtur, et versum* 45. *ad annos quoque iuventutis, quibus poëta Aegyptum lustrare potuit, referre licet. Conf. vita Iuvenalis per annos a me digesta ad a. V.* 833. *et* 874.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec: illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae

3. *ibim* 45. 49. 60. 64.
5. *Memnone* 21—23. 65. Ita ubivis scribendum putabat Harduin. ad Plin. VI, 30. s. 35. X, 26. s. 37. XXXVI, 7.

Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic caeruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et caepe nefas violare et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa: nefas illic fetum iugulare capellae:
Carnibus humanis vesci licet. Attonito quum
Tale super coenam facinus narraret Vlixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, saeva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Laestrygonas atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam vel concurrentia saxa
Cyaneas, plenos et tempestatibus utres

s. 11. — Lucianus (Toxaris c. 27.) dixit, τὸν Μέμνονα βοᾷν πρὸς ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον.

7. v. Excurs. ad s. l.

9. *ac frangere* 10. 12. 16—20. 22 —25. 45—50. 54—69. 71—74. 77.

12. *foetum violare* 45.

13—23. Similiter Lucianus de vera hist. I, 3. Αρχηγὸς δὲ αὐτοῖς καὶ διδάσκαλος τῆς τοιαύτης βωμολοχίας ὁ τῶν Ομήρου Οδυσσεύς, τοῖς περὶ τὸν Αλκίνοον διηγούμενος ἀνέμων τε δουλείαν καὶ μονοφθάλμους καὶ ὠμοφάγους καὶ ἀγρίους τινάς ἀνθρώπους, ἔτι δὲ πολυκέφαλα ζῶα καὶ τὰς ὑπὸ φαρμάκων τῶν ἑταίρων μεταβολάς, οἷα πολλὰ ἐκεῖνος πρός ἰδιώτας τοὺς Φαίακας ἐτερατεύσατο.

14. *narravit* 22. — *Vlixes* recepi ex 17. 19. 20. 58. *Vlyxes* 23. 46. 47. Vulgo *Vlysses*. Cf. ad IX, 65. et XI, 31.

15. *atque* pro *aut* 16.

16. *Moveat* 62. 68. 71. 73.

17. *Scylla* pro *saeva* coniicit Schrader.

18. *Laestrigones* 13. 16. 24. — *Cyclopes* 13. 16. 24. — *et Cyclopas* 10. 11. 17—20. 25. 27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. et XX MSS. Paris. quod arridebat Schurzfl. et Ach. ut exprimeretur res ipsa, grandis scil. Cyclopum vastitas et moles quadrata, versu spondaico durum sonante.

19. *procurrentia saxa* conj quidam male. v. Heins. ad Ov. Met. VII, 62.

20. *Cyaneas* semper suspicatus sum, et nunc recepi ex 28. ut sit appositio et interpretatio verborum *concurrentia saxa*. *Cyanes* perperam legitur in 13. et recentt. editt., Prat., Bipont. al. Vulgo *Cyaneis*: at saxa non concurrunt Cyaneis, sed *Cyaneae* scil. rupes s. cautes sunt ipsa *saxa concurrentia*; neque probanda est sententia Ach. qui *Cyaneis* putat esse nom. plur. accus. tert. declin. pro *Cyanes*, ut *patreis*, *sorteis* cet. pro *patres*,

Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phaeaca putavit?
Sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
De Corcyraea temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
  Nos miranda quidem, sed nuper Consule Iunio
Gesta super calidae referemus moenia Copti;
Nos vulgi scelus et cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus a Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. Accipe, nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit aevo.
  Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium et numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Coptos et Tentyra: summus utrimque

sortes. Nam *Cyaneis* est nom. adiect. (v. Comm.) et vox quatuor, non trium syllabarum, quarum et secunda et tertia brevis est. *Sicaneis* emend. Schrader audacter invitaque Minerva, et *saxa Cyanea* Dausqueius ad Sil. XIV, 545. pag. 628. contra metri leges et κακοφώνως. — *plenos vel* 21.

22. *grunisse* 46. 47. 50. 60. 64. *grunnire* 13.

24. *Hic* 20.

25. *temeti* (scil. *minimum* v. 24.) recte, opinor, emend. Schrader, idemque et nobis in mentem venit. Hoc non refellitur saltem exemplis laudatis ab Hein. qui perperam iungit *multum lacrimas* ap. Virg. Aen. III, 348. *quantum fides* ap. Liv. I, 46. extr. (ubi Ducker ita legendum censebat) et similia. — *diduxerit* 16. *deduxerit* 12. 13. *deduxerat* 2—4. 7. 11. 15. 17. 19—22. 21—27. 45—49. 55. 57—60. 65. 66. et omnes fere codd. Paris. contra usum loquendi et metrum; nam priores syll. vocis *temetum* producuntur.

26. *haec* 12. 17. 19. 21. 22. 45.

27. v. Excurs. ad h. l.

28. *Facta* 20. — *Combi* 24. *Compti* 22. *Coctae* 19. *Cepti* 23. Cf. ad v. 35.

29. *scelera* 2. forte rectius.

31. *populos* 16.

32. *produxit in aevo* 13. 22.

33. *Inter finitimas* sc. urbes emend. Salmas. Exerc. Plin. p. 447. Sed iunge *inter finitimos Coptos et Tentyra*

34. *et* deest 19. — *satiabile* 13. Ego potius versum hunc pannum esse crediderim, a versificatore aliquo assutum. Causam non expiscari potest Hein. Quia ταυτολογικῶς dicta sunt *vetus*, *antiqua*, *immortale*, *numquam sanabile*, ut et *simultas*, *odium*, *vulnus*.

35. v. Excurs. ad h. l. — Monumenta residua *Tentyris* et *Copti* v. in "Description de l'Egypte, ou Recueil des Observations et des Recher-

Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacumque
Vnguenta et flores multaeque in fronte coronae:
Hinc ieiunum odium: sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae.

ches qui ont été faites en Egypte pendant l'expédition de l'armée Française.,, Paris. 1818. T. II. trois. Livr. Chap. X.

36. *vulgi* 16. 17. 19. 20. 22. 23. 28. 45.

37. *Colit* 23. — *credit* 22. 25.

39. *multis* pro *cunctis* 15.

40. *Visaque maiorum* 7. — *maioribus ac ducibus* 11.

41. *nec magnae* 11. *magnae ne* 45. *magnae nec* 23. — *gaudia vitae* 22.

42. *Sentiret* 16. 45. 67.

43. *luce ac nocte* (cum ingrata elisione) 10. 11. 12. 17. 19. 20. 21. 27. 45—49. 54. 55. 57—60. 64. — Pro *iacentem*, h. e. stratum, Plathner conj. *calentem* scil. ab iis, qui assidue ei incubant. Ego malim: *quo nocte ac luce iacentes Septimus interdum sol invenit.* Ex *quo* facile fieri poterat *quem* propter compendium scrib.

44. *interdum* 1. 14. 18. 25. 48. 57. 58. 59. 65. 66. 67. 69. 70. 75. 76. 82. *interea* 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19—24. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 51. 55. 56. 60—64. 65. 68. 71—74. 77. et XXXII MSS. Paris. ex quibus illud revocavit Ach.

44. 45. *horrida sane Est Coptos* recte, opinor, conj. Schrader.

46. *ripa* (scil. orientalis Nili, in qua sita Coptus) pro *turba* 3. 5. 7. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19—27. 29. 45—49. 54. 55. 58—63. 65. 66. et dimidia pars MSS. Paris. forte et vetus Schol. cuius glossa est: *Latini ripa*, quam Schurzfl. eam putabat dici, quae tum sub potestate Latinorum fuerit.

51. *genuinum odium* 11. 21. quod et male conj. Merula. *geminum* 19. 20 a m. sec.

52. *hoc tuba* 22.

Dein clamore pari concurritur, et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine vulnere malae:
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer. Adspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et sane quo tot rixantis millia turbae,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aenea; sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae.
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
Ergo Deus, quicumque adspexit, ridet et odit.

53. *Deinde clamore* 24. *Dehinc clamore* 10. 11. 22. 23. 25. 27. 54—63. 65. 66—69. 71—74.

55. *cuidam* 12. — *ac nulli* 4. — *caeco certamine* (in quod caeci vel caeco impetu ruebant) quidam libri, teste Pithoeo, nescio qui. Recte, opinor; saltem longe venustius.

56. *aspicies* 23. — *tota* pro *cuncta* 25. 27. 46—49. 55—60. 64.

58. *plenos sociorum* 11.

59. *tamen ipsi* 46. 47. 49.

60. *quia* pro *quod* 22.

61. *sane quod* 15. 45. 46. 47. 49. 50. 54. 55. 58. 66—69. 74. *sana quo* 28. *sanae quot* 48. 64. *Saneque quo* 15. *Sanaque iam quod tot* 25. 41. 56. 57. *Sanaque iam quot* 59. 60. 65.

62. *Sic* 21. 27. 54. 58. 64. 74. *Sic vivant* 64.

63. *inclinantes* 21. *inclinantis* 65.

64. *seditione* 10. 12. 15. 16. 21—24. 45. 46. 47. 49. 50. 54. 55. 59. 60. 65. omnes fere codd. Paris. et ed. Ach.

65. *sed hunc* 12. — *qualis Turnus* 12. *qualis se Turnus* 21. *qualis et Turnus* 61. *quali se Turnus et Aiax* 11. 15. 17. 23. 25. 45—47. 49. 51—60. 62. 65—69. 71—74. et XXX MSS. Paris. Male: nam hi saxis se ipsi non percussisse dicuntur. *quali Turnus* 19. *quali vel Turnos* 10. 20. quod arrisit Ach. *quali et Turnus* 16.

66. *Et quo* 27. 46—50. 55. 56. 59—65. 68. 69. 71—74.

71. *Ecce Deus* 21. Non male! *Deos* 50.

A deverticulo repetatur fabula. Postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet et infestis pugnam instaurare sagittis;
Terga fugae celeri praestantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Praecipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba: nec ardenti decoxit aeno
Aut verubus; longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa coeli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor et te
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver

72. *deverticulo* scripsi pro vulg. *diverticulo*, Latinitate ita postulante. *Deverticulum* enim et *deversorium* dicuntur a *devertere*, h. e. ab uno loco ad alium se convertere; a quo differt *divertere*, quod adhibetur de duobus, qui diversam instituunt viam, unde *diversus* et alia: quae verba male vulgo a librariis confunduntur. v. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 9. (ubi veterrimi codd. nobis favent) Burm. ad Petron. 10. et ad Virg. Ge. III, 293. Bentl. ad Terent. Eun. IV, 2, 47. et Ernesti clav. Cic. v. *devertere*.

73. *aucta* 16. *auctis* 27. 46. 47. 48. 56—60. 64. 74. *actis* 25. — *pars altera amittere ferrum* 12.

74. *pugnas inferre* 2.

75. *fuga* 1. 8. 11. 15. 17. 19—22. plerique codd. Paris. et ed. Ach. — *sceleri* 9. 21. 22. — *instans* 9. *praestant instantibus omnes* vetus MS. Merceri, qui emend. *Terga fuga celeri praestant instantibus Ombis.* Schrader conj. *praebentibus omnibus*, et Lubinus *praestantibus hostibus*. Mox v. 76. *Pampae* (qui vicus erat vicinus Tentyris) legendum pro *palmae* putabat Salmas. Exerc. Plin. p. 452. B. Quis vero, ut situm urbis designet, eam vico alicui dicet vicinam esse?

77. *hic* 10. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 45—47. 49. 50. 54—60. 62. 64—69. 71—74. 77.

79. *Frustra* 16. 22. 23. 24. 46. 47. — *ac* 27. 46—50. 54. 55. 59—65. 68. 69. 71. 72. 73.

81. *aheno* 25. 46—50. 57—60. 62. 64—69. 71. 72. 73. v. ad III, 285.

84. *Hinc* 10. 21 a m. sec. 23—25. 27. 45—50. 58. 61—69. 71—74.

87. *sed quae* (sc. *turba* v. 81.) emend. Schrader.

88. *nihil* 17. 20. 23—27. 45. 46. 47. 49, 50. 56. 58. 60—69. 71—74.

Sustinuit, nil umquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quaeras et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. Vltimus autem,
Qui stetit absumto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, haec fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunae invidia est bellorumque ultima, casus
Extremi, longae dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deo- (rum
Viribus abnuerit dira atque immania passis,

89. *non* pro *ne* 16.

90. *voluptates* 22. — *ultimum* 24. — *ultimus auctor Qui venit* conj. Schrader.

91. *Qui sitit* malebat Lubinus. At sitis sanguinis, quae huic homini fuit, satis exprimitur v. 92.

93. *ut fama* 1—5. 10—13. 15—17. 19—27. 45. 47. 49. 51—60. 65. 68. 69. 74. et omnes fere codd. Paris. quosque vidit Britan. qui tamen *ut* delendum putabat, ut versus staret; offensus haud dubie eo, quod alioquin syllaba secunda voc. *Vascones* h. l. brevis esset. Eadem corripitur a Prudent. περιστεφ. I, 93. et a Paulino Nolano ad Auson. Carm. X. v. 203. 212. 218. Ptolemaeus tamen et Strabo III. p. 111. scribunt Οὐάσκωνες et τὸ τῶν Οὐασκκώνων ἔθνος. Suspicari itaque possis, recte legi vel *Vascones, fama est, alimentis* in 48. 61—64. 66. 67. 71—72. 73. vel *Vascones, ut fama, alimentis* in 17. nisi malis: *Vascones fama est alimentis talibus olim Produxisse animas.* — Mox *elementis talibus* 8. quod Pithoeo placuisse mireris. *humanis carnibus* 13. — *usi* pro *olim* 7. 9—13. 15. 16. 17. 19—23. 25. 27. 45—50. 51. 55. 57—69. 71. 72. 73. XXX MSS. Paris. et ed. Ach.

94. *illinc* 23. 27. 46. 47. 49. 58.

95. *bellorumque culmina* 29.

96. *dura* 21. *durae* 15.

97. *qui nunc* 21 a m. pr. 22.

99. *cunctas herbas* 16.

101. *Pallore ac macie extemes* quidam cod. Pith. — *et maciem* 10. 19 25. 46—49. 55—60. 64.

104. *Viribus* 8. 10—27. 45—50. 54—77. 81. 82. quod interpretantur:

Et quibus illorum poterant ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis praecepta monent: nec enim omnia, quaedam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.
  Nobilis ille tamen populus, quem diximus; et par
Virtute atque fide, sed maior clade Saguntus
Tale quid excusat. Maeotide saevior ara
Aegyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut iam, quae carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hostia. Qui modo casus

virilibus animis, vel viris fortibus. Quae ratio dura est, etsi ferrem eam in poëta lyrico; et diversa mihi videtur dictio illa *cognatis maculis* inf. v. 160. quae iudice Hein. simillima est. *Vrbibus* cod. Alex. tres alii Paris. et recentt. edd. Pral. et al., h. e. Calaguri, Numantiae, Sagunto, ut vulgo putant; aut *urbibus* poët. pro *urbi*, Calaguri, et hoc pro civibus, ut passim, et apud Graecos πόλις, Αργος, Ελλὰς, de quo v. Facius ad Eurip. Orest. v. 46. Sed haec quoque ratio longe petita est, lectio tamen illa ab Ach. recepta. Poëta forte scripsit *Civibus*, vel *Fortibus*, vel *Talibus*. *Ventribus* conj. H. Vales. coll. III, 167. IV, 107. XIV, 126. ut pars pro toto (pro viris) posita sit et error natus ex comp. script. *utribus*. — *abnueret* 21.

105. *ipsorum* 61. 62. 63. 65—69. 71—74.

106. *vescantur, sed melius* 23—26. 45—48. 54. 56. 58—60. 64. 65. *vescuntur, sed melius* 19.

108. *facienda putant* scil. praecepta 10—12. 15. 16. 45.

110. *nostras Graiasque* 22. *notasque* conj. H. Vales.

113. *dicimus* 68.

114. *Saguntos* 19. *Sagunto* 22. — Versus 113. 114. 115. alii ita distinguunt: *Nobilis ille tamen populus, quem diximus (et par Virtute — Saguntus), Tale quid excusat*; alii sic: *Nobilis — diximus, et par Virtute atque fide: sed maior clade Saguntus Tale quid excusat*; alii denique ita: *Nobilis ille — diximus, et par Virtute atque fide, sed maior clade Saguntus, Tale quid excusat*, ut verba sic iungantur: *Nobilis ille populus*, Vascones, *et Saguntus*, ei *par virtute atque fide* cet.

115. *Fata quid accuset?* conj. Schrader.

119. *Qui* pro *Quis* restitui ex 11.

Impulit hos? quae tanta fames infestaque vallo
Arma coëgerunt, tam detestabile monstrum
Audere? Anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri nec Britones umquam,
Sauromataeve truces aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis

47. 20. quia mollius est et doctius. v. Drakenb. ad Sil. II, 645. VII, 538. IX. 651. X, 417. XIII, 450. XV, 668. Heins. et Heyne ad Virg. Ecl. I, 19. II, 19. Gron. Obss. ad script. eccles. c. 21. Bentl. ad Horat. Serm. I, 4, 41. 5, 79.

124. *Britones* 1. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 20. 23—27. omnesque edd. vett. *Brittones* 17. et edd. recentt. Prat. et al. *Brytones* 19. *Bistoris* 21. *Bistones* 22. Io. Schraderus in Observatt. libro p. 4—6. docte de h. l. ita disputavit: " *Britones* in numerum ferarum et immanium gentium referuntur. Id dolens Marklandus iniustam genti maculam delere tentavit ad Stat. Sylv. IV, 2, 38. reponens: *Cimbri, nec Teutones umquam, Sauromataeve truces.* Vir doctus in Actis Lips. An. 1729. p. 383. testatur, ei accedere quatuor MSS. in quibus *Sauromataeve* legatur; in aliis duobus esse *Bistones* (ut in nostro cod. 22.) vel ex comp. scribendi *Bitones* vel *Btones*. Lectio *Bistones* reperitur etiam in cod. Perizon. eiusque vel in primis ratio videtur habenda, quod ipse Iuvenalis haud leviter eam confirmat, *Sarmatas* et *Thraces* similiter iungens sup. III, 79. ut ante Martialis XII, 8, 9. Thracum vero feritatem et crudelitatem omnes omnium temporum scriptores fere notaverunt. Sed et plurimos et locupletissimos diritatis atque immanitatis Britannorum testes ex vetustis monimentis excitavit Barth. ad Claudian. laud. Stil. II, 246. et praecipue Cons. Mall. v. 51. et Rutil. I, 500. Claud. b. Get. 568. Avien. D. O. T. 418 et 749. Horat. Od. III, 4, 33. Aut igitur vulgata Iuvenalis scriptura servanda est, aut locus, quem *Britones* obtinent, *Bistonibus* adsignandus. *Britones* autem et *Britanni* ita dicti a vocab. *Brit*, quod proprie versicolorem, depictum et coloratum denotat: nam moris fuit, ut Britannorum nurus cutem caeruleo colore inficerent. Nota Ach. est: "Futilis est Marklandi emendatio: nam his temporibus Cimbri, Teutones, Britones, Sauromatae, Sycambri ceterique omnes Europae septemtrionalis populi truces et feri erant; nec inde sequitur, Britannos hodiernos, Francos, Germanos, qui ab iis ortum ceperunt, eiusdem feritatis esse participes.,,

125. *Sauromataeve* pro vulg. *Sauromataeque* revocavi ex 11. 17. 20. 21. 22. 24. 45. 49. et quatuor MSS. de quibus vid. quae modo dixi ad v. 124. *Sauromataeve* 19. — *nec* pro *aut* 15.

126. *immane* pro *imbelle* 25. 46. 43. 49. 54. 55. 57. 59. 60. Sed voc. *immane* modo praecessit. — De metro h. l. vid. sup. ad VI, 274.

127. *sutilibus* pro *fictilibus* conj.

Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Nec poenam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quae lacrumas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet casum lugentis amici
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturae imperio gemimus, quum funus adultae
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi. Quis enim bonus et face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a coelesti demissum traximus arce,

Schrader coll. Virg. Aen. VI, 414. ubi v. Cerda et Heyne. — *solidum* 74. — *phasellis* 25. 27. 46—50. 55. 57. 58. 61. 62. 64. 66. 73. At v. Comm.

133. *pars ultima* 81. *pars intima* 64. ex emendat. Britann. ut sensus sit: lacrymae sunt, quae interiorem sensus nostri partem pietatemque patefaciunt.

134, *casum lugentis amici* recte, opinor, conj. Curio coll. Virg. Aen. II, 93. *casum* legitur in 16. et III codd. Paris. *lugentis* in 10. 21. 22. 24—27. 45—50. 54—69. 71. (in quo tamen vitiose *lucentis.*) 72. 73. 74. et XV MSS. Paris. Vtrumque nunc recepi pro vulgata lect. *causam dicentis*, quae vix cuiquam placebit, nisi Hein. qui eam tuetur coll. VIII, 27. XII, 46. Virg. Aen. VIII, 619—621. et XI, 171. Pro *casum* forte quidam librariorum reposuerunt *causam* et deinde alii aptum ei vocabulum *dicentis* commenti sunt.

136. *fletus* 27. 47. 50. 54. 64. *fletum* 44. Alterutra lectio videtur probanda. v. sup. ad VI, 623.

140. *Vt minor* coniicit Schrader. — *aut face* 61. 62. 63. 65—69. 71—74.

141. *qualis* 16.

142. *separet hoc nos* 23. *separat haec* (natura, vel pietas, humanitas et misericordia) *nos* 10. 24. 25. 27. 46—50. 54—69. 71—73. probb. Mancin. et Ascens.

143. *A grege brutorum* 16. — *solum* 22.

146. *duximus arce* 45.

Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas;
Aedificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.
  Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est; quum rastra et sarcula tantum
Adsueti coquere et marris ac vomere lassi
Nescierint primi gladios extundere fabri.

151. *et migrare* 25. 27. 46—50. 54—69. 71—74.

152. *ac* 19.—*linquere terras* 21.

154. *limine* recepi ex 16. 17. 19. 20. 23—27. 45. 46. 47. 49. 50. 55—69. 71—74. et XX MSS. Paris. *limite* in reliquis libris.

158. *aut una* 45.—*tueri* 16.

163. *rapida* 13. 19—21 a m. pr. 22. 23. 28. 68. et quidam codd. Paris. solenni errore.

166. *ac* pro *et* 13. 17. 20. 22. 23. 45.

168. *Nescierant* Serv. ad Virg. Ge. II, 540. *Nescierunt* 23. Male, etsi non obstat metrum; de quo v. ad Sil. V, 264. *Nescirent* 10. 11. 13. 16. 20. 24. *Nec scirent* 21. 22. *Nescirint* rectius videbatur Schurzfl. — Mox *extundere* restitui ex 2. 4. 10. 17. 20. 21. *excudere* 15. 19. 25. 27. 46—50. 54—64. 66—69. 71—74. 81. et Serv. ad Virg. l. l. *excludere* 65. *extendere* (scil. cudendo s. malleo, h. e. cudere) 14. 16. 18. 22. 23. 24. 70. 75. 76. 77. 82. Cf. Heyne ad Virg. Aen. VIII, 665. in Var. Lect. ubi iam monuit, *extundere* exquisitius esse id. qd. *excudere*, tum et omnino proferre, invenire, ut Virg. Ge. I, 133.

Adspicimus populos, quorum non sufficit irae
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo;
Vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tamquam homine, et ventri indulsit non omne legumen?

IV, 515. 328. Antiqua haud dubie scriptura fuit *exūdere*, et inde orta haec varietas: *extundere*, *extendere*, *excudere*, *excludere*, quae etiam in MSS. Paris. reperitur.

472. *quonam fugeret* 19.

SATIRA XVI.

ARGVMENTVM

Conditionem militum multis partibus meliorem, quam paganorum, esse ostenditur v. 1—6, *α) quod illi ab his non facile ullam accipiant iniuriam eamque impune iis inferre possint, quum proprios habeant iudices, et lege Camilli extra vallum litigare vetentur, conmilitones autem non modo reum per fas ac nefas tueantur, sed damnatum quoque vindicent* 7—34; *β) quod confestim iis, et quoties lubeat, ius dicatur, et neque initium, neque finis litium in longinquum differatur tempus* 35—50; *γ) quod peculium iis sit castrense, et hinc ius testandi vivo adhuc patre* 51—56; *δ) quod phaleras, torques aliaque virtutis praemia consequantur, quum ipsius ducis referat, et honorari milites et locupletari* 56—60.

In priore huius Satirae parte v. 1—34. *poëta satis ingeniosam ei formam induisse et, dum aperte commoda militiae recenset, tecta ironia ac laudis specie vituperationi imposita nimiam militum licentiam insolentiamque, quam illis temporibus vix Imperatores coërcere audebant, perstringere videtur. Eam non integram superesse quidam opinati sunt, quia tam brevis forte est, et argumenti tractatio non omnibus numeris absoluta: nam plura militiae commoda atque privilegia, cum legibus, tum Imperatorum edictis constituta et concessa, a Polyb. VI*, 39. *Lips. Mil. Rom. V*, 19. *et de magnit. Rom. I*, 6. *aliisque memorantur. Sed quis poëticam rei expositionem ita ad calculos vocabit? — Quo loco et qua occasione haec Satira sit scripta, parum constat. Nonnulli putant, eam a Iuvenale, quum primum iussu Domitiani venerit in Aegyptum, compositam esse in Paridis pantomimi invidiam, quo auctore ab Vrbe remotus sit et falsa honoris specie cohorti praefectus, et militiae laudari commoda, ne Paris conditionem poëtae, quod maxime optaverit, miseram esse crederet et infelicem. Sed Iuvenalis non a Domitiano et Paride, sed ab Hadriano in exsilium est missus (vid. vita eius): unde in huius saltem Imperatoris et hi-*

strionis, qui ei in deliciis fuit, invidiam haec scripsisse censendus est. Si tamen poëta noster huius carminis auctor fuit, suspicari malim, occasionem ad illud conficiendum ei oblatam fuisse a Gallo, *amico, in militiam eunte. Verum vero haec Satira Iuvenali sit tribuenda, iam olim fuere, qui addubitarent. Scholiastes, a Barth. Advers. XIV,* 16. *laudatus, haec adnotavit: Quidam dicunt, non esse Iuvenalis, sed ab eius amico appositam. Vetus Schol. Pithoei: Ista a plerisque exploditur et dicitur non esse Iuvenalis. His adstipulantur Grotius ad Luc. III,* 14. *Rutgers. Var. Lect. IV,* 4. *p.* 338. *Angel. Decembr. polit. liter. p.* 59 *seq. Barth. l. c., Plathnerus, Bahrdt et alii; sed refragantur Dempster. ad Coripp. p.* 137. *Scaliger, Schurzfleischius aliique multi. Neque haec lis facile dirimenda est, quum in utramque partem quaedam eaque satis gravia disputari possint. In antiquissimis libris hanc Satiram non exstare testatur Valla: penultima est in codd. nostris* 12. *et* 15. *nec non in aliis Calderini, quod probat Schol. Barth. Primis quoque versibus ingrata, ne dicam insulsa, inest tautologia, qua eadem notio quater exprimitur:* felicis militiae, prospera castra, secundo sidere, fati benigni. *Hoc tamen Satirae principium si exceperis, non plane dedeceret Iuvenalem, eam scripsisse: nam et a stylo eius rhetoricaque rerum tractatione haud abhorret, et politissimis placet facetiis. Nonnulla etiam eius loca tamquam Iuvenalis laudantur tum a Servio in Virg. Aen. I. et II. tum a Prisciano lib. VIII. c.* 9. *et* 14. *Quae quum ita sint, Satira haec vel ab ipso Iuvenale, forsan admodum sene, aut non satis limate, vel ab antiquiore saltem scriptore, qui haud invita Minerva animum ad satiricam poësin applicuerit, composita videtur. Schurzfleischius monet, stilum variare secundum aetatem et Iuvenalem forsan valde senem scripsisse hanc Satiram, quum in Aegyptum a Domitiano (immo Hadriano) relegatus esset. Plathnerus contra suspicabatur, eam a quodam erudito literatore ad stabiliendum figmentum huius relegationis fuisse conditam. Adnotatio Heineckii est haec: " Non facile adduci potero, ut credam, hanc Satiram Iuvenalis esse; quippe in tractatione summae inest quod displiceat et a Nostri consuetudine alienum videatur. Iuvenalis si talem materiam tractare voluisset, haud dubie de commodis militum copiosius disputasset. Sed hic auctor quam ieiune versatus est in suo argumento tractando! Promittit loqui de commodis communibus militum, sed loquitur tantum de uno. Primis vero Satirae versibus nemo offendetur, qui meminerit,* castra *saepius dici pro ipsa expeditione. Conf. Oudend. ad Lucan. I,* 374. *Si expeditio prospera est, opto, ut ego quoque secundo omine eius particeps sim. Expeditio enim bene cedere potest, et tamen singuli homines possunt esse infelices. " Hoc itaque est sapere; et offendere potest voc.* castra, *non felicitatis notio toties inculcata.*

Quis numerare queat felicis praemia, Galle,
Militiae? Nam si subeuntur prospera castra,

2. *nam et si* 50.—*iubeantur* 22. 66. *lubeant* 15. *subeantur* 10. 13. 16. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 45—50. 54— 60. 62. 64. 65. 67. 68. 69. 71—74. 77. XXVIII MSS. Paris. et ed. Ach. *Quod si subeantur* non male legit

Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti
Et Samia genitrix quae delectatur arena.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat; immo, etsi pulsetur, dissimilet, nec
Audeat excussos Praetori ostendere dentes
Et nigram in facie tumidis livoribus offam
Atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus iudex datur haec punire volenti,
Calceus et grandes magna ad subsellia surae,
Legibus antiquis castrorum et more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a signis. Iustissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Vltio, si iustae defertur causa querelae.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit

Priscian. lib. VIII. Displicet certe *nam*, quoniam mox *etenim* sequitur.

3. *excipiet* 15. 25. 27. 46—49. 51—63. 66—69. 71—74. quidam codd. Paris. et ed. Ach. *accipiat* 16.

5. *commendat* 19. 23.

6. *genitrix Samia* 16. *genitrix* pro *genetrix* substitui ex 16. 21. 22. 60. 64 postulante sic etymologia a *genitum* vid. Schelleri praec. stili bene Lat. p. 26. 30. 34.

9. *et* abest a 16. totusque versus a 7. et 23. de quo v. sup. ad II, 24.

11. *et tumidam in facie nigris livoribus offam* 11.—*faciem* 15. 21. 22. 72. 73.

12 *oculos—relictos* 10—13. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 51—69. 71—74. 77. XXXII MSS. Paris et ed. Ach.

13. *Bardaicus* 1. 2. 4. 11—24. 45. 70. 75. 76. 81. 82. et dimidia pars MSS. Paris. ut ap. Capitol. in Pertin. c. 8. *Bardiacus* 3. 5. 10. 25. 27. 46—50. 54. 55. 58. 61—69. 71—74. 77. probb. Calder. et Casaub. ad Capitol. l. l. *Bardyacus* 56. 57. 59. 60. 65. Ita et libri variant ap. Martial. IV, 4, 5. ubi in optimo MS. Palat. *Vardaicus* legitur. v. Comm.—*hoc* 45.

16. *nec* pro *ne* 15. 46—49. 54. 55. 58. 61—64. 66. 67. 71. 73.

21. *officiunt* 10—13. 15. 17. 19—22. 24—27. 45—50. 54—69. 71—71. 77. plerique codd Paris. et ed. Ach. *afficiunt* 16.—*curabilis* 1. 11. 18.

Vindicta et gravior, quam iniuria. Dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagellî,
Quum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Vrbe?
Praeterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Vt veniat? Lacrumae siccentur protenus, et se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
  Da testem, iudex quum dixerit; audeat ille,

25. 45. 46. 47. 49. 50. 56—59. 65. 66. 67. 70. 75. 76. Vetus scholion est: ut satis cures, quemadmodum effugias illos. *plorabilis* quidam. *Consensu magno officiunt. Curabitis, ut sit* 10. 44. 15—17. 19—24. 27. 48. 54. 55. 60—64. 65. 68. 69. 71—74. 77. plurimi codd. Paris. et ed. Ach. Tum verba *Curabitis, ut sit* cet. sunt vel militum increpantium togatum, qui militem accusare audet, vel potius poëtae, obiurgantis togatos s. cives, accusatione militis novum sibi incommodum, idque priori gravius, importantes. Parum interest, quocumque modo legas, et vulgata forte lectio non repudianda propter insolentiorem usum vocis *curabilis*, nisi forte hic ipse varietatem lectionis peperit. H. Valesius legendum putabat: *curabit is, ut sit Vindicta gravior quam iniuria.* hoc sensu: an dabit operam *is*, sc. laesus (dictum per contemtum), ut vindicta facinus excedat? an iste nescio quis vindictam exiget aut exigere conabitur accepta iniuria maiorem, graviorem?

22. *Vindicta gravior* 10. 11. 15. 16. 17. 19—22. 25. 27. 45. 46. 47. 49. 50. 54—62. 64—69. 71—74. 77. plerique codd. Paris. et ed. Ach. prob. Schurfl. et Hein. ut sit Graeca positio. Syllaba utique finalis, natura brevis ob caesuram, aut sequentibus duabus vel tribus consonis, modo producitur, modo corripitur, v. sup. ad I, 151. et VI, 109.

23. *mulino* 14. 18. 61. 63. 70. 75. 76. 81. 82. *Mutinensis* 10. 11. 12. 16. 17 a m. sec. 20. 21. 23—27. 45—50. 54—60. 62. 64—69. 71. 74, 77, XXIV MSS. Paris. et ed. Ach. Vtrumque in codd. suis iam legit vetus Schol. qui haec notavit: "*mulino corde*, i. e. ignavus. In alio *Mutinensis*. Rhetor aliquis de Mutina." Nostra tamen lectio praeferenda ob sarcasmum, qui ita perit, quemque a librariorum ingenio profectum vix crediderim. *Mutinensi* 15. 17 a m. pr. 19. 22.— *Vagilli* 22. 24.

24. *tot caligas, tot Millia clavorum* 14. 18. 61. 63. 70. 82. IV MSS. Paris. et MS. liber. Dempsteri, qui ad Coripp. p. 192. intellexit ictus calcium, quod probavit Schurzfl. coll. Valtrin. de mil. Rom. p. 176. et Castalion. Obss. p. 84. *tot caligatos milites, Millia clavorum* 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54—60. 62. 64—69. 71—77. 81. et XXXI codd. Paris. Sed illud venustius. *caligato* 42. 66. Plathneri nota est haec: "Liber noster mediae notae *caligato*. Inde fallor, an legendum *caligatae* scil militiae. *Caligati* sunt milites manipularii ap. Theodos. Imp. L. XXII. C. de Nupt."

29. *iudex quem dixerit* 7. 10—13. 15. 16. 17. 19 27. 29. 45—50. 54—

Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi?
Et credam dignum barba dignumque capillis
Maiorum. Citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus aut campum mihi si vicinus ademit
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo;
Debitor aut sumtos pergit non reddere numos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni:
Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Taedia, mille morae; toties subsellia tantum
Sternuntur; iam facundo ponente lacernas

69. 71—74. 77. omnes codd. Paris. et ed. Ach. qui h. l. ita exponit: *Da testem*, esto, sit tibi dandus testis tuorum verborum, *quem iudex dixerit*, scil. acceperit, vel potius quem addixerit ad testimonium.

30. *pugnos vidit qui* 10. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77.

34. *contraque furorem* conj. Schrader.

38. *Aut* 10. 13. 15. 16. 17. 19—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77.

39. *vetulo* restitui ex 7. 10—13. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 23—27. 45—47. 50. 54—69. 71—74. 77. et XXIX MSS. Paris. *vetula* 22. *patulo* (h. e. ingenti) 14. 18. 48. 49. 70. 75. 76. 82. Sed nostra lectio haud dubie exquisitior. Libum dicitur *vetulum* ob vetustatem vel huius ritus et sacrificii, vel possessionis agri lapidisque terminalis. Vtrumque vero ad scelus augendum valet. *Vetus in triviis lapis* dicitur Tibull. I, 1, 12. al. 18.—*plus* 22. 46—49. 57. 58. 66. 67. 71. 72. 73.

41. Conf. sup. ad XIII, 137. ubi idem versus legitur, et unde eum huc translatum esse marginique adscriptum suspicari possis. Sed huic quoque loco aptissimus est, et hinc ab ipso forte poëta repetitus.

42. *inchoet* pro *inchoat* revocavi ex 10—13. 15. 17. 19. 20. 21. 23—27. 45—50. 54—64. 61—69. 71—74. 77. et Serv. ad Virg. Aen. II, 102.

43. *nunc* 16. *tum* 13. 21. 22.

45. *Sternentur* 17. et XXXI MSS. Paris. teste ac prob. Ach.—*iam* recepi ex 7. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 19—22. 24—27. 45—50. 54—69. 71—77. *nam* 23. *tum* 14. 18. 70. 82. *cum facundo poscente lucernas* vel *lacernas* conj. Schrader,—*lucernas* 7. 11. 17. 19. 20. 25. 39. 40. 45. 46. 48. 49. 54—57. 59. 60. Barthius Advers. XIV

Caedicio et Fusco iam micturiente, parati
Digredimur lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, praestatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis praeterea testandi militibus ius
Vivo patre datur: nam, quae sunt parta labore
Militiae, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater. Ergo Coranum,
Signorum comitem castrorumque aera merentem,
Quamvis iam tremulus, captat pater. Hunc labor aequus
Provehit et pulcro reddit sua dona labori.
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Vt, qui fortis erit, sit felicissimus idem,

46. hanc lectionem vulgatae praefert, modo reponatur *poscente lucernas*, ut sententia h. l. sit: Quum tantum temporis frustra exspectaveris, quantum loquacissimos causidicos, diem dicendo eximere suetos, in Vrbe lassare possit, ut alter ad indicandum serum diei tempus *lucernam poscat*, alter urinae iniuria vix morari sustineat; abibis tamen non solum non expedito negotio, sed nec proposita actione.

46. *Caeditio* 68, 71. 72. 73. *Ceditio* 47. 48. 56. 59. 60. 62. 64. *Caditio* 19. *Caecidio* 21. *Caecilio* 2. 30. prob. Barth. l. l. Cf. sup. ad XIII, 197.

47. *Egredimur* 20.

49. *illis* 10—13. 15. 16. 17. 19—27. 45. 46. 47. 49. 50. 54—69. 71—74. 77. At male sic eadem vox repetitur.—*tempus praestatur* 11.—Perperam post *placitum est* distinctio posita in omnibus quas inspexi editionibus.

56. *captet* 17.—Vox *labor* me semper offendit, quae mox sequitur et modo praecessit. Quam inepta etiam est sententia haec: *labor reddit sua dona labori*? Hanc miror nemini interpretum displicuisse praeter Britannicum, qui auctor est, ut reponatur: *Hunc labor aequus provehit; et plucro reddi sua dona labori, Ipsius certe ducis hoc referre videtur* (ea ratione) *Vt qui fortis erit* cet. Melius, opinor, nitori carminis consuletur hac emendatione: *hunc favor aequus* (favor iustus meritusque ducis) *Provehit* ad honores ac dignitatem, *et pulcro reddit sua dona labori* scil. militiae.—Emendationem meam *favor aequus* proximis firmari versibus vulgaremque lectionem ineptam esse censet ill. C. de Haugwitz.

57. *reddet* 22.

58. *ergo* pro *certe* 12.—*haec referre videntur* 25. 27. 46—49. 55—60. 65.

59. *Et* 20. *Vt, qui sit fortis, sit felicissimus idem* 22. et IV MSS. Paris forte rectius. *erit*, *sic et* 45. *sic* 73.—*olim* pro *idem* 24.

Vt laeti phaleris omnes, et torquibus omnes

. . . .

60. *Et* 20. et quidam codd. Paris. Henninius emend. *Vt laeti phaleris, armillis, torquibus omnes*, quoniam haec dona militaria etiam ap. Gell. II, 11. et in Inscriptt. coniunguntur, et tum insipida, tum Iuvenali insolita sit ταυτολογία vocis *omnes*. Sed repetitio huius voc. magnam potius vim habet (nam quo plures milites dona et quo plura accipiunt, eo gloriosius id tam toti exercitui est, quam, qui ei praeest, duci), et satis est, a poëta duo tantum virtutis militaris praemia memorari.

EXCVRSVS

AD

QVAEDAM IVVENALIS LOCA.

EXCVRSVS

Ad Sat. I, 157.

Versus perobscurus, cuius et lectio et interpretatio tam dubia est atque tam parum commode expedita ab editoribus, ut Pithoeus profiteretur, nullum in his Satiris locum esse, quem ex grammaticorum glossis minus grammatice intellexerit. Varietatem lectionis supra ad h. l. enotavimus: nunc paucis recensebimus potiores virorum doctorum coniecturas. Nonnulli legendum putant *qui ducit*; Withof. et Schrad. *pix ducit*; Flavius et Ach., versu hoc post 159' posito, *deducat*; Lipsius ad Sen. de ira III, 3. ex vet. cod. *Et latus mediam sulcus diducit arenam*, quod probarunt Scaliger Emend. Temp. lib. V. et Ferrarius Elect. II, 7. qui omnes *sulcum* intellexere de fossa in media arena, qua vivi nonnumquam defossi sint et cremati. Ita et Io. Fr. Gronovius, qui tamen ad Sen. l. l. ex MSS. Britan. reponendum censebat *lucebit* et *diducet*, verbaque poëtae hoc sensu capiebat: Fac Lucilium vixisse aevo Neronis et pro Mucio posuisse Tigellinum, nihil certius fore spondeo, quam ut luceat in illa taeda molestae tunicae et defossus in *media arena sulcum latum diducat*, mediam arenam sulco aperiat ac dividat. Lectiones illae minus forsan probabuntur, quam interpretatio verborum *sulcum diducit*; et hanc adscivi, quia cum viris magni nominis errare malo, quam cum Hein. et Heinr. mirari, eos haerere et errare potuisse in loco satis perspicuo et vix una vel altera fallaci scripturae macula impedito, et etiam nunc aliquem nescire, qualis per tot lustra prostet notatio Gesneri ad verba Plin. Pan. XXXIII, 3. *nemo spectator miseras voluptates unco*

et ignibus expiavit, scil. haec: " *Vnco*, quo iniecto traherentur per arenam: *ignibus*, quibus in tunica illa molesta urerentur homines. Vtrumque supplicium coniungere videtur Iuvenalis I, 155 seq. ubi *lucebis* et *deducis* legendum puto.„ Pro certo iis sumenda videntur, quae dubitantius protulerit vir summus et modestus, verbaque poëtae sic exponenda: Si Tigellinum famosis carminibus notaveris, tunica indueris molesta, stipesque per medium agetur guttur, et unco traheris per mediam arenam. Fortasse tamen non deerunt, qui dubitent primum, exempla reperiri hominis, utroque supplicio affecti, et satisfacere hanc Heinr. adnotationem: " forsan rectius legitur *Aut latum* cet., nisi ex ipsa apud Plinium iunctura vulgatum *et* tueri aliquis velit;„ deinde, poëtam de homine, qui unco per vias urbis trahatur, bene dixisse *deducis sulcum arena*, et *media arena*; denique, magnam inesse vim in loco Plinii, eiusque memorem tum fuisse Iuvenalem. Erunt quoque haud dubie, quibus non minus grata sit mitis sapientia Gesneri, quam ingrata et odiosa inhumanitas et arrogantia paene inaudita duumvirorum illorum, qui Klotzium aemulari malunt, quam virum illum, quem iustis nonnumquam ornant laudibus, sed saepius quoque, quam velint pro summa eius reverentia, alucinatum esse profitentur in eis, quae passim ex Satirico tractaverit. Maxima etiam auctoritas est Ioh. Fr. Gronovii, viri (ut Hein. verbis utar) incomparabilis, cui omnes principatum in his literis concedunt. Nihilo tamen secius improbabunt passim coniecturas eius et emendationes, quas h. l. ne sanae quidem sententiae esse dicunt. Tam humanum itaque est (quod ipse Heinr. profitetur) errare, tam aequum, errantem in viam comiter reducere! tam grata est sapientia, cum humanitate simul et urbanitate coniuncta!

EXCVRSVS

AD SAT. II, 7.

Memorabilis est lectio *puteum* in 59. et 60. Ita iam olim coniecere H. Valesius et Graevius. Ille h. l. ita interpretabatur: " Si quis Aristotelis et Pittaei statuam in bibliotheca collocat, Cleanthis autem signum aliquod archetypon ad *puteum* ponit, quod hic, antequam philosophos stoicus esset, aqua ex puteis haurienda sese tutabatur; et videtur mos fuisse tum Cleanthis imagines prope *puteos* collocandi.„ Hic vero qui idem persuaserat Nic. Heinsio: *iubet Cleanthas servare puteum*, habet imagines

Cleanthis, ex puteo aquam haurientis vel hauriendis aquis apud puteum stautis. Nam Cleauthes, ab inopia vexatus, ut interdiu studiis literarum vacare posset, operam suam locavit Atheniensi cuidam, cuius hortum noctu aqua, ex *puteis* hausta, irrigaret, unde et φρεάντλης dictus est. v. Suidas, Diogen. Laert. et Sen. Epist. 44. Id omnino arridere potest: sententiam tamen illam paulo durioribus obscurioribusque verbis expressam esse facile intelligitur (nisi forte *puteum Cleanthis* legendum); neque vulgata lectio inepta videtur. *Pluteus* s. *pluteum* proprie dicitur asser parieti affixus, vel armarium, repositorium, scrinium, parieti inclusum, iu quo imagines seu libri reponebantur; et hinc ipsa quoque bibliotheca aut museum. Sic forte ap. Pers. I, 106. et ap. Sidon. cuius verba Britan. laudavit: *Hic libri affatim in promptu: videre te crederes aut grammaticales pluteos aut Athenaei cuneos aut armaria exstructa bibliopolarum et bibliothecarum.* Lipsius in Synt. de biblioth. c. 10. huc etiam refert vetus distichon, imagini Virgilianae subscriptum, *Lucis damna nihil tanto nocuere poëtae, Quem praesentat honos carminis et plutei*, (h. e. videtur vivere, qui iu libris et imagine vivit) et *sigilla plutealia* ap. Cic. ad Att. I, 10. ubi tamen optimi libri *sigillata putealia* exhibent.

EXCVRSVS

Ad Sat. II, 149—157.

Esse aliquid pro vulg. *aliquos* olim suspicabar tamquam exquisitius, et nunc recepi e cod. Schurzfl. Probavere hanc lect. Schurzfl., Schraderus et Burm. ad simil. loc. Prop. IV, 7, 1. qui haud dubie Iuvenalis animo obversabatur: *Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit, Luridaque evictos effugit umbra rogos.* Vtrique forte praeivit Homerus Il. Ψ, 103. 104. Ω πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. Ibi in antiquiss. cod. MS. Lips. pro τις legitur τι, quod non spernendum iudicabat Ernesti, ut sensus esset: Non ergo falsum est, apud inferos esse ψυχὰς cet. Eodem sensu Graeci scriptores passim dixere εἶναί τι, et Ovid. Met. VI, 543. *si numina Divum sunt aliquid.* Cf. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 4, 16. et Iacobs ad Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 305.

Vs. 150. *pontum* 1. 70. 75. 76. 81. 82. sed *contum* 2—12. 14. 15. 17. 19—27. 44—69. 71. 74. 77—80. quod restitui, quoniam tanta auctoritate firmatur aptiusque videtur h. l. ubi Iuvenalis subti-

liter illas fabulas et commenta poëtarum explodit. Respexit, opinor, verba Virg. Aen. VI, 302 seq. (ubi etiam, ut h. l. versu seq. de magna umbrarum, transmitti cupientium, turba agitur). *Ipse* Charon portitor *ratem conto subigit velisque ministrat Et ferruginea subvectat corpora cymba.*—Nic. Heinsius pro *Et pontum* vel *contum* malebat *Et Porthmeum* vel *Porthmeaque et* (v. Burm. ad Virg. l. l.); at Sterke in Actis literariis societatis Rheno-Traiectinae Lud. Bat. 1793. 8. T. I. p. 174. *Et cantum et Stygio ranas* cet. h. e. ranas cantautes. Ita legitur in cod. 16. idque placere potest propter exquisitam loquendi formam, et locum Aristoph. de Ranis Act. I. Sc. 4. ubi Charon, ad remum agendum excitans Bacchum, suavissimos dicit ab eo auditum iri ranarum cantus, si remo incumberet. Sed nostra omnium fere librorum lectio non videtur sollicitanda, eaque numerus rerum fabulosarum augetur.

EXCVRSVS

Ad Sat. III, 90. 91.

Miratur vocem angustam, qua deterius nec Ille sonat, (a) *quo mordetur gallina marito.* Sententia horum verborum non obscura quidem, sed parum commode expressa videtur; etsi interpretes tantum non omnes difficultatem eorum vel non senserunt, vel callide dissimularunt. Libri tamen non variant; nisi quod *deterior* legitur in 15. et 24. *maritus* in 16. *Illa* et *quemordetur* in vet. cod. Claverii; unde hic legendum putabat: *qua deterius nec Illa sonat*, *quae* vel *quum mordetur gallina* (a) *marito.* Quae lectio rationi et veritati convenire videtur et Ill. Iacobsio et novissimo Iuvenalis editori Achaintre. Enimvero sonum exilem, stridulum raucumque non gallina edit, quum mordetur, sed gallus gallinaceus, postquam iniit eam et momordit. Bredenkamp. in Syntagmate Opusc scholast. corrigit: *Illa* scil. vox, *qua mordetur gallina* a *marito*, vel *qua deterior nec Ille sonus, quo* cet. Idem *mordetur* dictum accipit pro *obiurgatur*, quia sonus galli, si gallinas increpare videatur, ingratissimus sit et singularis. Sed verbum *mordere*, si de gallis adhibetur, proprio videtur sensu capiendum.

Equidem suspicor, vel *quo* positum esse pro *a quo*, ut XII, 44. *lances a Parthenio factas*, vel pro eo substituendum *cui*, et *quo* vel *cui marito* doctius dictum pro *ille maritus*, *a quo mordetur gallina*; quemadmodum ap. Horat. Sat. I, 10, 16. *Illi*,

scripta quibus Comoedia prisca viris est, et ap. Sil. I, 280. *Haud alium vidit tellus, cui ponere finem Non posset mors una viro.* Hanc coniecturam interpretationemque ceteris praeferendam, sed sanum esse locom censet Hein., quum plura inveniantur exempla ablativi omissa praepositione, v. c. ap. Horat. Od. I, 6, 1. (*Scriberis Vario—alite*) Auson. Epig. I, 16. (*celebraris vate superbo*) Tac. Ann. III, 3. (*Tiberio et Augusto cohibitam*) Mel. III, 6. (*Erythia, quam Geryone habitatam accepimus*) et in aliis aliorum locis, laudatis a Cort. ad Sall. b. Iug. 15. et 21. ab Oudend. et Ruhnk. ad Suet. Caes. c. 19. Idem vero inf. ad XII, 44. monet, in verbis *lances Parthenio factas* Dativum esse *Parthenio* et constructionem vel tironibus notissimam, *Parthenium* autem nomen caelatoris nobis ignoti. Quidquid vero ex his placuerit, sententia est eadem, quam interpretes fere omnes in h. l. inesse putarunt: *Miratur vocem angustam*, exilem vel rancam, quae non minus ingrata est, quam vox galli, gallinam mordentis, h. e. postqnam momordit gallinam; tum enim ultra vires urgere solet vocem acriusque intendere. Bene h. l. comparatur locus Quintil. Inst. XI, 3. *Vox ultra vires urgenda non est: nam et suffocata saepe et maiore nisu minus clara est, et interim elisa in illum sonum erumpit, cui Graeci* χλωγμὸν *nomen a gallorum* (et graculorum) *immaturo cantu dederunt.*

Plathner haec adnotavit: „Abstrusius quid poëtam notasse, fidentissime tibi praesto. Notum est, Cybeles sacerdotes *Gallos* vocari. Erat autem hoc hominum genus lascivum, et tantum non in ipsis templis muliebria patiebatur. Sed plerique etiam testiculos ponebant bilibres (v. inf. VI, 371 seq.), et lascivae mulieres eorum concubitu maxime delectabantur, quod non gignebant (v. inf. VI, 366 seq.). Alterutrum Noster tetigit, tetigit tamen. Nam priori modo satirice *gallinam* vocat Gallum; posteriori vero, quod magis videtur, *gallina* erit adultera, quae cum Cybelico solebat. Nam et Gallis istis vox exilis (v. sup. II, 111.); porro et *mordendi* verbum sic aptissimum: notae quippe amantium blandientes morsiunculae ex Prop. IV, 3, 25. 5, 39. et Ovid. Am. I, 8, 98. „ Cf. intpp. Horat. Od. I, 13, 12. Vereor tamen, ne poëtae sic obtrudantur, quae ipsi non in mentem venere; etsi ingeniosa certe haec videbuntur iis, quibus lubet, in talibus ingenio indulgere.

EXCVRSVS

Ad Sat. III, 231.

Vox *lacertae* admodum torsit interpretes. Britannicus eam accepit de vermiculo, h. e. re vel levissima; Firm. Didot in edit. Ach. de humili et parva casa, quale est lacertae latibulum, Gall. *un trou de lézard*; Schol. vetus, Farnabius, Grangaeus et alii de agello aut hortulo quam minimo, ubi vix unica lacerta latitari possit ac discurrere, ut soleat. Horum sententiae favet Martial. XI, 19, 10. 11. *rus*, *In quo nec cucumis iacere rectus*, *Nec serpens habitare tota possit.* Nonnulli *lacertae* pro *lacerti* dictum vel hoc reponendum censent, ut tantum designetur agri, quantum est spatium brachii inter scapulae et cubiti ossa; Bahrdt. ita παραφράζει: dominum tanti, quantum lacertus vel brachium sanum firmumque colere valeat. Heinsius ad Ovid. Fast. II, 578. omnino *lacerti* legendum putabat, coll. inf. XIV, 293. Arnob. lib. III (ubi Neptunus *maenarum et piscium dominus* vocatur), et Martial. XII, 59, 8. quem versum sic emendabat: *maenae dominus pediculosae*, h. e. pisciculi marini, non magni pretii, (ut *lacertus*, de quo v. Comm. inf. ad XIV, 131.) et sale condiri soliti in vasis s. orcis (ut *lacerti*, apuae, scombri, siluri, pelamides, gerres, cordillae), quo vescebantur ut plurimum mendicabula hominum pediculosa. Heinsii emendationem probavit Schraderus. Alii vero suspicantur, pro *lacertae* vel *latebrae* vel *lacernae* substituendum esse. Posterius hoc sensu capiebat H. Valesius: lacernatum semper esse posse libere, non semper togatum ac toga, longa veste, impeditum, ut Romae.

Nihil horum mihi satisfacit, et crediderim potius, Iuvenalem scripsisse *tabernae*, h. e. casae (quo sensu *tabernas pauperum* et *obscuras* dixit Horat Od. I, 4, 20. et Art. poët. v. 229.), et *quocumque* non pro *quovis*, sed pro *qualicumque* posuisse. Quidquid vero legas, sententia h. l. est: praestat alio quocumque loco agellum et hortulum, vel res tenues ac nullius fere pretii, quam Romae multas aedes ingentesque opes possidere.

EXCVRSVS

Ad Sat. III, 238.

Druso est lectio omnium fere librorum. Quae si vera est, Iuvenalis respexisse videtur ad somnolentiam Ti. Claudii Drusi

Caesaris, de qua v. Suet. Claud. c. 5. et 8. Recte tamen monuerunt iam viri docti non bene *Drusum* iungi cum *vitulis marinis*, h. e. phocis, et ingeniose coniecerunt *somnum urso* vel rectius *somnos urso*, quod etiam legitur in 45. a m. sec. 50. et 64. Notum est, ursos esse somnolentos et per hiemem potissimum in lustris suis delitescere, indulgentes somno et nihil comedentes. v. Aristot. hist. anim. VIII, 22. et Auctor libri de mirab. auscult. p. 1155. Praegnantes etiam ursae, ut verbis Plinii, VIII. 36. s. 54. utar, *primis diebus his septenis iam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum veterno pinguescunt* cet (Conf. Aristot. l. l. et Solin. c. 26.). Idem Plinius lib. IX. 13. s. 15. docet, *nullum animal graviore somno premi* phocis (cf. Oppian. Hal. I, 408. et intpp. Virg. Ge. IV. 432.), iisque *vitulorum* nomen inditum esse, quod *ipsis in sono* (non *somno*) *mugitus sit*: (ἀφίησι δὲ ὁμοίαν φωνὴν βοΐ, Aristot. H. A. VI, 11.) unde et Gallis *veaux de mer* dicuntur.

Quae quum ita sint, mens poëtae ita h. l. capienda videtur: strepitus curruum aurigarumque tantus est, ut vel animalia somniculosa expergefacere queat. Eam non percepit Graevius, qui haec adnotavit: "Qui vitulis marinis Romae possit somnus excuti, dicant, qui eos dormientes viderunt aut Romae, aut usquam terrarum. Locum mendosum esse nemo non videt. Legendum autem videtur *Druso vetulisque maritis*. nam senes sunt somnolenti: quamvis alia possit ratio dari, cur vetuli mariti, qui iuvenculas duxerunt, somno alto sopiti iaceant:„ H. Valesii nota est: "lego *Eripiunt* (omnem omnino tota nocte) *somnum Druso*, homini delicati somni, *vetulisque maritis*, anibus aut certe senibus, quorum somnus deterior et interruptus.„ Iacobs emend. *vitalisve*, quia hoc Drusum, somnolentum hominem, vitulis marinis exaequet, non, ut *vitulisque*, in uno loco quasi coniungat; quod ineptum ei videtur.

EXCVRSVS

Ad Sat. IV, 24—27.

Markland. in Epist. Crit. p. 152. hunc locum sic distinguit et emendat: *Multa videmus, Quae miser et frugi non fecit Apicius: haec tu Succinctus Pharia quondam, Crispine, papyro? Hoc pretium squamae?* Adiecit has rationes: "Vox *Pharia* valentior videtur ad excitandam invidiam et odium adversus Crispinum, utpote Aegyptium, quam illa altera *patria*; et, quod summum

est, si *patria* rctineas, non exinde colligere potes, cuius regionis fuerit Crispinus: *patria* enim *papyrus* non necessario *Aegyptiam papyrum* denotat, quoniam in aliis etiam regionibus nascebatur papyrus.„ Sed contra enm iam ita disputavit Schrader in Observatt. p. 19: " Papyrus Aegyptia adeo nobilis erat, ut Nilus amnis papyrifer appellaretur et Niliaca papyrus ab omnibus celebraretur. v. Muncker. ad Fulgent. I. p. 19. *Succinctus* igitur *patria papyro* notat et designat Aegyptium. Sed contra *succinctus Pharia papyro* non necessario significat Aegyptium, quoniam sic succingi poterat alienigena. Deinde constabat inter omnes, Crispinum esse Aegyptium: sufficiebat ergo *patria*. Denique receptae lectioni firmissimum praesidium est in v. 32.ubi poëta similiter silnros Crispini *municipes* vocat. Cf. Salmas. ad Solin. p. 939.„

Vs. 25. *Hoc pretio squamae* (sc. emuntur, h. e. tanto pretio piscis scil. a te *emitur* vel emtus est, quod verbum mox sequitur omittiturque in affectu) 1. 61—63. 68—73. 75. 76. 82. *Hoc pretium squamae* (h. e. tantum pretium est s. ponis mullo s. mulli, piscis squamosi, a te emti) 7. 10. 11. 14—17. 19—27. 29. 45—50. 54—60. 64—67. 74. 83, 84. et omnes codd. Paris. prob. Schradero. Sed piscem potius *squamas*, quam *squamam* dici crediderim. Neque tamen placet duplex illa ellipsis: *hoc tu facis? hoc pretio squamae* emuntur? Suspicor poëtam scripsisse: *hoc pretio squamas* scil. emisti?

Vs. 27. Ferrarius in Elect. I, 18. *maioris* legit contra metri leges, et hunc locum ita interpretatur: " *Apulia* hic non est regionis nomen, sed mulieris praedivitis orbae, quae donatis a captatoribs pisces carius vendebat: duos enim hic de more perstringit Iuvenalis, *Crispinum*, qui millibus sex (i. e. CL coronatis) mullum emerat, et *Apuliam*, quae hamata heredipetarum munera, inter quae iure mulli tunc fuere pretiosissimi, maioris vendebat. Cf. inf. VI, 39. 40. et inpr. V, 97. 98. ubi de *Aurelia* sermo est, quod nomen et h. l. fidentius ponerem, si codex manu exaratus ad manus esset, ut sit: *sed maioris Aurelia vendit*. „ Sic etiam multi interpretes *putarunt* mulieris nomen esse apud Horat. Od. III, 4, 10. ubi v. Bentl. — Rectius mentem Iuvenalis percepisse videtur Henninius, qui haec notavit: " Iusta indignatione exagitat agri pretiu piscem emtum, quum sex millibus extra Italiam in provinciis ager emi potuerit, immo quum et in ipsa Italia in fertili illa Apulia (cf. ad IX, 55.), *maiores agri* quam in provinciis venirent eopse pretio: oblique vero

taxat Romanos, qui usque adeo ab antiqua frugalitate descive-rint, ut susque deque babita agri colendi ratione prae nimio gulae luxu *piscem* potius emerent, cuius singulas libras, si modo adulatoria vanitate de magnis maiora non fuerint dicta, venientibus etiam in ponderis rationem *squamis* et interaneorum re-iectaneis, singulis millibus pensarent, quam ut eo pretio agrum sibi compararent. Cf. Colum. Praef. ad lib. de R. R. Obiter etiam vellicat superbum illud delicatorum nepotum patrii soli fastidium, qui non dubitabant pluris emere agros in *provinciis*, quam ut *maiores* fertilioresque eodem pretio in ipsa Italia, in fertili illa *Apulia*, sibi compararent. Legendum ergo sensu plano et obvio: *Provincia tanti Vendit agros*; *et maiores Apulia vendit*. Tangit etiam obiter Appulorum gulam, cui ut obsequerentur, agros suos viliori pretio vendebant. Τὸ *sed* a librariis est ex finali litera τοῦ *agros* praecedentis, et monachorum scriptura *set*, ut sexcenties in vett. MSS. et saepius ad Martial. monuit Scriverius: aut si quis τὸ *sed* tolerare velit, nostram sententiam admittat saltem. „ *Praedia Appula* laudantur etiam iuf. IX, 55. ubi cf. Comm. — Pratens tamen et alii non male suspicantur, minoris quam alibi venisse agros Apuliae, quod magna eius pars, quam poëta respexerit, montibus aspera fuerit ac sterilis (v. Horat. Sat. I, 5, 77 seq. et Senec. Ep. 87. et 91. ubi haec leguntur: *Agri suburbani tantum possidet*, *quantum invidiose in desertis Apuliae possideret*), vel quod Apulia infestetur Atabulo vento, qui plantas frigore adurat, de quo vid. Horat. l. l. Senec. Nat. Quaest. V, 17. Plin. XVII, 24. Gell. II, 22. Alex. ab Alex. III, 22. H. Valesii nota est: "Si Iuvenalis ita scripsisset, necessario addidisset haud dubie mensuram agri venalis, v. g. bina aut trina iugera, ut sensus constaret. Scripsit igitur: *Vendit apros*, *sed* multo *maiores* nullo isto et provinciae suae nomine commendatiores *Apulia vendit*. „

Ceterum scripturam *Appulia* pro *Apulia* revocavi e 60—63. 65. ne metrum laboraret: nam primam syll. voc. *Apulia* brevem esse, intelligitur ex Horat. Od. III, 24, 4. et al. Neque tamen eamdem ob causam auctore Schurzfl. emendandum: *et maiores terra Appula vendit:* nam secunda quidem syll. τοῦ *Apulus* s. *Appulus* corripitur a poëtis, sed τοῦ *Apulia* et *Apulicus* semper producitur, v. c. ab Horatio in Od. III, 24, 4. in Epod. III, 16. et in Sat. I, 5, 77.

EXCVRSVS

Ad Sat. V, 9—11.

In v. 10, qui a librariis videtur corruptus, nulla neque librorum lectio nobis satis facit, neque coniectura virorum doctorum.

Iam pro *tam* 58. — *quum possis* vitiose (nam posterior syll. verbi *possis* longa est) 10. 11. 14—17. 19—22. 24. 25. 27. 45—50. 54—61. 63—68. 70—74. et XXVII. codd. Paris. *quum poscis* 65. (Paris. 1505.) 69. *quum possit* 23. 44. 62. 75. 76. et VIII MSS. Paris. in his Alex., Colbert. 1. et Thuan. 1. *quin possis* 13. *posses et* 26. Haec est omnis varietas lectionis, etiam ea, quam Henninius p. 911. enotavit.

Prateo iudice satius est, poëticam ferre licentiam, quam sensum pervertere. Despauterius malebat *poscit*; quo tamen nihil proficitur. Ascensius emend. *Tam ieiuna fames*, tu tam famelicus, *quum possit* scil. fames, h. c. quum possis, *honestius illic et tremere* cet. vel *Tam ieiuna fames, quum poscis*, quando cupis *tremere honestius illic*, in iniuriosa divitum coena, *et mordere sordes* s. immundas reliquias *farris canini*, panis adeo duri, quem ne canes quidem comesse possent. Priorem emendationem, cui et libri favent, non improbat Prateus et reliquis praefert Plathner, ut poëta eleganter tribuat fami, quod orator famelico tribuisset. — Lubinus et Graevius reponi iubent *quin poscis*, sed diverso modo haec verba et interpretantur et interpungunt. Ille sic: *quin* tu longe *honestius poscis*, postulas et praeoptas mendicando potius tremere et sordidum comedere panem, quam turpiter adulando idem facere in divitum mensis. Hic vere ita: *Tam ieiuna fames?* famesne tanta est, ut illas patiaris contumelias? *quin poscis?* cur non mendicas? *honestius* est, *illic*, in crepidine aut ponte, *et tremere*, frigus pati, *et sordes farris mordere canini*, et sordido pane vesci, quam in mensa divitum tam indigna pati. Hanc lectionem distinctionemque receperunt Henninius et post eum alii. Sed *poscere* simpl. poni pro *mendicare* vix crediderim. — Grangaeus, Britannicus et alii h. l. tacent et difficultatem eius vel non sensisse videntur, vel sapienter dissimulasse.

Equidem non tantum mihi sumserim, ut rem acu tetigisse mihi persuadeam. Quum vero in lectionibus codicum nemo facile acquiescere et levissima unius literae mutatione carminis

nitori atque dignitati consuli queat; veniam spero mihi datum iri, quod in illarum locum aliam (*quum pol sit*) substituerim, quae facile corrumpi potuit ab indoctis librariis, quam tamen, simul ac meliora edoctus fuero, lubens damnabo. Ea certe admissa non video, quid in h. l. displicere possit, si ita cum exposueris: *Tantine* pretii est tibi vel a te aestimatur *iniuria coenae*, h. e. coena iniuriosa, convivium, in quo tot talesque iniuriae tibi ferendae sunt? tanti coenam divitum nobiliumque facis, ut propter eam illas toleres iniurias? *tam ieiuna fames* ut ap. Ovid. Met. VIII, 790. (tantaue et tam dira est fames tua, ut tantas ob eam et tot iniurias patienter feras? *quum pol*, profecto (ut *edepol*, *ecastor*, *hercle*, *mecastor*, *mehercle*) *sit honestius*, *illic*, in crepidine vel ponte, *et tremere*, frigore horrere (quia pauper male vestitus est, ut taceam, quod Grang. monet, plerumque ficte tremere, qui stipem mendicent, unde et forte *tremens Iudaea* dicitur inf. VI, 543.) *et sordes farris mordere canini*, panem sordidum edere, qualis canibus datur? Cf. Martial. X, 5, 5.

Hanc lectionem nunc repudiarem, nisi eam viri summi in literis ad me datis assensione sua comprobassent et aliae, a *Manso* et *Heineckio* substitutae (nam plures mihi non innotuerunt), aliquot mihi scrupulos iniecissent. Huius de sententia non inepta est emendatio mea, sed lenior medicina, si verbis transpositis pro *quum possis* legatur *possis quum*. Enimvero sic et hiatus insolens est concoquendus, et metrum laborat: nam *quum* producitur propter caesuram et hiatum (v. ad IX, 118.); neque assequor, cur ipsa traiectio verborum lenior sit medicina, quam permutatio literarum *s* et *l*, in primis si ex hac exoriatur sententia, quae et gravior satiricoque poëta dignior sit, et doctior librariisque ignotior. Iudice Manso totus omnino locus ex scriptura codicum ita restituendus:

Tantine iniuria coenae?
Tam ieiuna fames quum possit honestius illic
Et tremere et sordes farris mordere canini.

nisi quis malit

Tam ieiuna fames, quae possit honestius cet.

sensus vero apertus est et quidem hic: An tu iniuriosam divitum coenam tanti facis, quum famem tuam ibi adeo non expleas, ut honestius fuisset, in crepidine aliqua aut ponte frigore

uri et esurire? Mihi autem et utraque lectio, et interpretatio non unam dubitationem iniecerunt. Vt taceam, in satiricorum poëtarum oratione, quae pedestris similis esse solet, figura paulo audaciori *famem* dici *tremere* et *mordere panem*, in altera lectione emendatur vulgata, quod mibi tamen vituperationi fuit, altera neque dicendi genere (*tantine iniuria coenae, tam ieiuna fames quum possit — canini?* nam ita proprie interpuogenda aut duplex interrogatio ponenda est), neque sensu facili et apto commendari, utraque autem, saltem illa explicatio a mente Iuvenalis abhorrere videtur. Is enim non famem hoc modo et in illis conviviis haud expleri, sed *inhoneste* tantum, appositis vilioribus epulis vinisque, pelli contendit, et pauperes ridet clientes, qui duas praetexere solent causas, quare a patronis ad coenam vocari ament, honorem sibi ab illis praestitum et gratuitam famis expletionem. Itaque docet, banc coenam, etsi honorifica videri possit, tamen *iniuriosam* esse, nec tanti, quanti ab iis ducatur, aestimandam, et *famem* eorum non tam diram, ut non alia ratione et facile levari queat, quum ventre nihil sit frugalius et natura paucis contenta; *honestius* autem, mendicorum pauperumve more *tremere*, quam tali coenae adhiberi, et *sordes farris mordere canini*, quam famem in illis conviviis propulsare vilioribus cibis vinisque. Hinc deinde colligit, clientes illos inani honoris specie et spe potius bene coenandi, quam famis explendae, duci.

EXCVRSVS

Ad Sat. V, 90. 91.

90. *Quod propter* 23. — *Bochare* 19. 20. 23 a m. pr. *Boccare* 11. 17. 24. 25. 46—50. 55. 57. 59. 61—69. 71—73. 77. *Bocare* 21. *Bolcare* 22. *Bochore* 27. *Bocchore* 11. 58. Hoc arridere potest, ut significetur Aegyptius oleumque Aegyptium pessimi odoris. Cf. Comm. ad v. 88. *Bocchoris* rex et legislator Aegyptiorum, notissimus ex Eusebio, Syncello et aliis. v. Diodor. p. 29. 41. 59. Plutarch. Opp. T. I. p. 901. ed. Frft. et Mémoires de l'Acad. des Inscr. et B. L. T. XIX. p. 20 seq. Maurorum etiam regem *Bocchorem* vel *Bocchum*, non *Boccharem*, dictum putabant Salmas. et alii. — *lavabat* 17.

v. 91. ante v. 90. legitur in 11. Non male; iudice etiam Rigaltio. 'Eum vero totum esse delendum, tamquam pannum a scholastico quodam adsutum, semper suspicatus sum: admodum

certe languet, et magis grammatici, quam poëtae, acumen sapit. Quis enim ferat h. l. *quod* toties repetitum et triplicem olei notationem? Nunc video, versum abesse ab 8. et 75. probante Schurzfl. qui ingeniose suspicatur, eum esse scholium, subiungendum verbis vet. Schol. *Significat oleam Tripolitanum* et ad v. 90. adponendum, ut itaque interpres causam dicat, cur nemo cum Bocchare h. e. Afro velit lavari, quod scil. ille, tamquam adhuc sit in Africa, ubi a serpentibus cavendum sibi sit, oleo Tripolitano malique odoris inungatur. Scholion autem versum expressum esse non est, quod mireris. Id enim tum casu, tum arte scholastici fieri, et sententia vix aliter soluta oratione efferri potuit. Optimis quoque scriptoribus prosaicis, Ciceroni, Livio, Sallustio et aliis multos excidisse hexametros, quis est qui ignoret? Exempla dabunt Scheller in praeceptis stili bene Lat. p. 735. Pott. ad Epist. Iacobi I, 17. et Nolten. in Lex v. *versus*. Fraus etiam tum facilis est interpolatoribus, tum difficilis ad detegendum in poëtis satiricis, qui sermoni propiora scribunt; de quo v. Horat. Sat. I, 4, 40—62. Cf. inf. Excurs. ad IX, 123.

Afros exhibent 13. 21. 22. 82. *Afris* 77. *atris* 10. 11. 12. 14. 17 —19. 20. 23—27. 45—50. 54—74. 76. 81. et omnes codd. Paris Quae lectiones probae sunt omnes; et miror, C. Valesio ineptum insolensque visum esse *atris*, quod nunc cum Ach. e MSS. recepi. Est solenne epitheton serpentium, quorum aliquot genera sunt atro colore. Cf. intpp. Horat. Od. III, 4, 17. Bentl. ad Horat. Sat. II, 8, 95. (ubi eadem est varietas lectionis) Heyne ad Virg. Georg. I, 129. et al.

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 64—66.

Tucia 22. *Tutia* 27. 47. 54. 63. *Tuscia* 11. 19. 23. 25. 46. 48. 56—60. quam lect. multi probant, quia cum *Appula* iungitur. Huic tamen voci responderet potius *Tusca*, et illa matronarum nomina non petita a regionibus populisque Italiae, sed a Iuvenale conficta videntur; nisi potius hic matronam s. puellam peregrinam *Appulam* eo sensu dixit, quo Horat. Epod. II, 39 seq. *pudica mulier — Sabina qualis aut perusta solibus Pernicis uxor Appuli.* Cf. inf. ad X, 299. *Tuccia*, quod iam alii monuere, videtur h. l. Vestalis illa esse, quae hausta cribro aqua pudicitiam suam probavit; qualia et Plin. VII, 35. Suet. Tib. 1. aliique de Claudia narrant. v. Valer. Max. VIII, 1. 5.

(ubi conf. Intpp.) et Plin. XXVIII, 2. et 8. (ubi conf. Harduin.) quibus locis similiter libri variant et *Tutia*, *Tuscia*, *Tuccia* exhibent. Cf. Ernesti clav. Cicer. in Ind. histor. voc. *Tutia*. — *Apula* 19. 21. 22. contra leges metri.

65. 66. Retinui etiam nunc vulgatam lectionem, nisi quod maximam distinct. posui post *amplexu*, et verba *Subitum*, *Miserabile* et *Longum* maioribus literis initial. exprimenda curavi. Possis etiam scribere: *Subitum et Miserabile longum* (diu) *Attendit*, vel interpungere: *Appula gannit*, *Sicut in amplexu*, *subitum et miserabile*, subito et miserabiliter. Sed nostra et scriptura et distinctio praestare videtur, et ellipsis copulae ante *Longum* Iuvenali frequentissima est. v. ad IV, 63. in Var. Lect. *subat et miserabile longum Attendit* rustica mulier et minus experta delicias, emend. Barth. Advers. XXIV, 5. ubi monet, verbis *subare*, *catulire*, *adhinnire* et similibus belluinam effrenemque hominum libidinem exprimi. Cf. Plin. X, 63. Lucret. IV, 1193. Horat. Epod. XII, 11. al. Aptissimum est h. l. *subat*, quoniam cum *gannit* iungitur (ut in Anthol. Lat. v. Comm.): sed reliqua tum verba sic interpungenda: *Appula gannit*, *Sicut in . amplexu*, *subat et miserabile* (h. e. miserabiliter): *longum Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit*. Ita omnino legendum putat Manso, qui monet, se non videre, quid me moverit, ut, reiecta praeclara emendatione, *subitum* meum *et miserabile longum* tuerer, quum quemque suus sensus doceat, quam durum sit vixque ferendum illud, cum uno eodemque verbo *attendit* coniunctum. Enimvero moverunt me leges modestae criticae, quas saepius mihi inculcavit, et quod ille contendit quidem, non vero probavit, lectionem a me servatam, quae tamen non mea est, sed vulgaris omnium librorum, plane ineptam esse, neque tres voces uni verbo commode iungi posse. Veritatem quoque huius emendationis in dubium vocavit vir doctus in Ephem. Hal. ubi monet, verba *longum attendit* nimis tenuia esse et languida post illa *vesicae non imperat*, *gannit* et *subat*, maioremque forsan obscoenitatem in iis latere, ad verbum vero *discit* omnino supplendum esse, quod a pantomimo expressum sit et a se visum.

Attendit Thymelen 31 b. 48. 49. *Tymele* 19 a m. pr. *Timele* 21. 22. — *dum rustica* 16. *tum rustica* 47. 54. 57. 58. 64.

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 116—120.

In optimis editionibus post voc. *uxor* comma, post *una* v. 119. colon vel semicolon, et v. 120. post *Sed* et *galero* commata reperiuntur: quo scabra et hiulca efficitur oratio. Nonnulli v. 117. post *cubili* punctum ponunt, aut saltem *sumere* v. 118. pro *sumebat* dictum putant: quo non tolluntur difficultates, sed augentur. Ego distinctionem mutavi: at ne sic quidem omnia bene procedunt ac fluunt; nam deest copula *et* ante *Sumere* (cuius tamen ellipsis Iuvenali solennis est; v. ad IV, 63.), et verbum *linquebat*, duobus versibus intericctis, non satis commode ad *virum* dormientem v. 116. videtur referri posse. Male etiam tempora verborum subito mutari, *linquebat*, *intravit*, *prostitit*, *ostendit*, monet Ach. Sed tales orationis duritiae passim in poëtis concoquendae, neque sunt tantae, ut propterea necesse sit, vel versus 117. et 118. parenthesi includere, quod Lubinus, vel versum 119. post v. 116. ponere, quod Schurzfleisch. suadebat. Pro *Linquebat* v. 119. Hein. conj. *Inde ibat* vel *Atque ibat*. Manso hunc locum saepius tentatum ita emendandum putat et constituendum: *Dormire virum quum senserat uxor*, *Ausa Palatino tegetem praeferre cubili*, *Linquebat*, *comite ancilla non amplius una*. *Sumens nocturnos meretrix Augusta cucullos*, Sed *nigrum flavo crimen abscondente galero*, *Intravit calidum* cet. Ita vero hunc locum non emendasse videtur, sed depravasse; quod etiam aliorum est iudicium, v. c. viri docti in *Hall. Allg. Litt. Zeit.* a. 1814. pl. 223. qui tamen, si non parenthesin illam, certe vulgatam distinctionem et minorem post *uxor* revocandam, versum vero 118. *Sumere nocturnos, meretrix Augusta, cucullos* interpungendum putat, et verbum *abscondente* cum *ancilla* iungit, quia sic illud *Sed* aptius sit. Enimvero hoc etiam vulgari interpretationi satis convenit, et dura mihi videtur ellipsis *abscondente* scil. *ei*, et quidem iam cunti.

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 124—126.

Versum 124. post v. 126. ponendum censebat Schurzfleisch. Ego potius cum post v. 125. legendum crediderim, quod etiam

Rigaltio et Ach. placuisse video. Sed vulgaris quoque verborum ordo bene se habet. *tibi* pro *tuum* legitur in 11. quod melius et satirice omnino dictum videbatur Schurzfleischio. Barthius (Advers. XXX, 2.) putans, verbum *ostendit* nimis leve et ab h. l. alienum esse, emend. *offenditque*, quod sensu obscoeno dicitur Varroni in Marcipore ap. Nonium. Sed cur lux lucernae non sufficit ad ostendendum ventrem? et cur hoc alienum a tantis libidinibus? *Sub clara nuda lucerna* cet. de eadem re dixit Horat. Sat. II, 7, 48 seq. et Sen. de Ben. VII, 9. extr. *Matronae nostrae ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendunt.*

Versus 126. post v. 129. legitur in 74. et post v. 128. in vetustis codicibus, e quibus eum primi restituere Io. Cuspinianus in vita Sigismundi Caes. p. 400. et Pulmannus: nam plane abest ab 10. 11. 14—17. 19—23. 25—27. 45—73. 75—77. et XXX codd. Paris. Henninius monet, se retraxisse eum in suum locum, unde monstrante viam sensu exciderit ob praetextatam licentiam, mox vero a curiosulis receptus eo migraverit, quo non quadraret. Eiectus est ab iis, qui rei obscenitate offendebantur: eodem tamen, quem nunc occupavit, loco iam exstat in 23. et 84. ad marg. In utroque vero cod. legitur *Continueque iacens*, et praeterea in illo *cunctorum* pro *multorum.*

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 188.

Barthius in Advers. XXIV, 5. hunc versum putabat spurium esse et alienum ab h. l. ubi optima sic interpoletur sententia. "Scilicet, inquit, quidam semi-Gallus aut Italus aut adeo Germanus doluit illo aevo scisse Graece delicatas illas loqui, suo vero turpius esse nescire Latine loqui, quae barbarae alioqui non nimis essent. „ Neque ego dissimulo, mihi semper displicuisse hunc versum, qui magis acumen orationemque rhetoris vel etiam interpolatoris, qui loci Cicer. in Comm. laudati memor erat, quam satirici poëtae redolet, atque a codd. 13 et 22. abest. Importuna etiam est vox *magis*, et manca h. l. sententia, quae quomodo commode expleri possit, vix adsequor. Num sensus est, turpius esse Romanis Latine, quam Graece, nescire? an turpius esse iis nescire Latine, quam Graece loqui? an, quod Ach. monet (cui versus videtur ad rem aptissimus), quum Romanos multo magis dedeceat, Latine nescire

loqui, quam deceat Graece scire et Graeca Latinis intempestive miscere. Omnia haec non modo languent, sed etiam male expressa sunt.

Olim arbitrabar, fraudem librarii in hoc versu latere; idemque suspicati sunt Henr. Stephanus (in dialogo de bene instituendis Graec. ling. studiis p. 92.) et Lubinus. Ille emendabat, *Quo sit turpe magis*; hic melius, *Quum sit turpe minus*, quod recepit Marshall. ut mens poëtae sit: Quandoquidem minus turpe et inhonestum esse reputatur, linguam vernaculam ignorare, quam sermonem Graecum non intelligere. Ego olim tentabam: *Omnia Graece* scil. proferunt s. loquuntur, *Quum sit turpe magis nostris ea scire Latine*, vel *Quae sit turpe magis*, (turpius) *nostris* (nostratibus) *nunc scire* (quod compendiose scribitur *n̄c scire*) *Latine*, quam Graece eloqui, quoniam tam foeda sunt et inhonesta. Sed nihil horum nunc mihi arridet, et vix dubito, quin versus hic pannus sit, a scholastico quodam adsutus, quo rescisso expedita sunt omnia.

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 276.

Locus obscurus et a librariis forte corruptus. *corruca* 16. 48. *coruca* 23. *caruca* 13. Rectius forsan *curuca* 17–22. 24. 59. 60. vel *curruca* 2. 3. 5. 10–12. 14. 15. 25. 45–47. 50. 54. 56–58. 64. 68. 70. 74. 77. 81. 82. Neutra vero vox alibi reperitur, et barbarae videbantur Alciato Parerg. Iur. VII, 5. qui vel *urtica*, vel cum aliis *eruca* reponendum censebat. *eruca* 61–63. 65–67. 69. 71–73. Ita dicitur insectum parvissimum, brassicas depascens, Gr. κάμπη, Germ. *Raupe*; non *uruca* vel *huruca*, quae tamen scripturae in quibusbam libris Iuvenalis, ut et Columellae aliorumque, reperiuntur. *uruca* 1. 75. 76. *huruca* 49. 55. Vellem tamen Alciatus verborum simul illorum, quae substituit, sententiam adiecisset, quam haud facile expedias; nisi forte hominem nihili stolidumque *erucam* vocari censeas, quemadmodum Plautus Truc. V, 5, 59. *campas* pro *nugis* dixerit. — *cucurra* s. *cocurra* emend. Scriver. et sic a Carisio h. l. citari monet. Vetus scholion h. l. est: "*Vruca* mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallitur, quum agit personam mariti (aut ex emendat. Schurzfl., qui a femina sua sic frequenter fallitur, quum adsciscit personam mariti): vel, ut alii dicunt, genus est animalis foedi, spinosi, ut eri-

cius. *Vruca* autem est proprie illud, quod in faba nascitur, aut gurgulio.„ Cf. Stewech. ad Apuleii Apolog. p. 495. Salmas. Exerc. Plin. p. 893. et ad Tertull. Pall. p. 187.

EXCVRSVS

Ad Sat. VI, 343.

Simpuvium restitui ex 1. 10. 17—20. 24. 68. 69. 71—73. quae scriptura etiam reperitur in Plin. XXXV, 12. s. 46. Cic. ap. Non. 4. n. 434. et Varr. ibid. 15. n. 12. Vetus scholion h. l. est: " *Simpuvium*, vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices lavare (leg. *quo P. libare*) solebant: *simpuvium* autem, quia omnes sacerdotes *simul bibebant*; unde *simpuviatrix* illa dicitur, quae porrigit poculum ipsum. „ *Sympuvium* 11. 12. 14—16. 22. 25. 26. 45. 47. 48. 50. 54. 56—67. 74. 77. 81. 82. *Sympinium* 49. 55. quod a συμπίνειν, combibendo, dictum putant. *Simpluvium* 21. 23. *Symptuium* 46. *Sympullum* 70. At forte scribendum *Simpulum*; vel, si veteres Romani, ut vulgo putant, secundam syll. huius voc. non produxere, sed corripuere, *Simpullum*, quod etiam editum in 75. et 76. Festus: *Simpulum*, inquit, *vas parvum* (forte *simplum* s. simplex), *non dissimile cyatho* (vel ligneum, vel fictile), *quo vinum in sacrificiis libabatur, unde et mulieres rebus divinis deditae* simpulatrices *dicuntur.* Varro L. L. IV, 26. *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis* guttum *appellarunt; et quo sumebant* (vinum) *minutatim, a sumendo* simpulum *nominavere. In huisce locum in conviviis e Graecia successit epichysis et cyathus, in sacrificiis remansit guttum et simpulum.* In Fulgent. de prisco serm. et in Isidori Glossis *simpulo* conviva dicitur, et *simpulator* amicus sponsi assiduus cum eo in convivio. In Inscriptt. *simpulariarius*, qui simpula facit. Figuram simpuli exhibet Causeus Mus. Rom. T. II. p. 3. tab. 2. Conf. Harduin. ad Plin. XXXV, 12. s. 46. et Ernesti clav. Cicer.

EXCVRSVS

Ad. Sat. VII, 12.

Magna est h. l. varietas librorum, et nostrorum et Parisiensium, in nominibus propriis. *Alcyonem* 15. 23. 25. 26. 50. 56—60. 67. 70. 77. 82. Alcyone Aeoli, alia Marpessae, alia Atlantis filia. v. Heyne ad Apollodor. I, 7, 4. et 9. III, 10, 1.

Halcyonem 61. 63. 65. 66. 74. *Halcyonem* 62. 68. 69. 71—73. — *Alcinoem* 14. 16. *Alcinoen* 27. 45. 47. 48. 55. *Alcinoe* Stheneli, et alia Polybi filia. De illa v. Apollod. II, 4, 5. de hac Parthenii Erotica c. 27. *Alcinohen* 49. *Alcynoem* 24. *Alcynoen* 10. 54. 64. *Alchinoem* 22. *Alchinoen* 17. 20. *Althinoen* 21. — *Alcione* 46. *Alcionem* 18. 19. *Alcionen* 60. *Altionem* 12. — *Alcitheon* 1. 75. 76. unde suspicor, h. l. *Alcithoen* legendum esse. Schraderus vel *Autonoen* e VI, 72. vel *Alcathoen* ex Ovid. Met. IV, 1. substituendam putabat. Sed *Alcithoe*, Ἀλκιθόη, non *Alcathoe*, Ἀλκαθόη, dicebatur mulier Thebana, quae spretis Bacchi Orgiis in vespertilionem mutata est. v. Heins. ad Ovid. l. l. — *Alcinoum* 4. Hoc nomen fuit Hippocoontis filio, de quo v. Apollod. III, 10, 5. et regi Phaeacum, notissimo ex Hom. Odyss. Z, 197 seq. H, 57 seq.

Bachi 21. 22. *Pacci* 1. quod forte non respuendum, et a nobis nunc receptum est. *Paccius* et *Faustus* videntur esse nomina poëtarum, et *Alcyone*, *Thebae* ac *Tereus* tituli tragoediarum, quas illi scripsere. *Paccius* poëta sic non nisi h. l., quod sciam, memoraretur, ut et *Faustus*, nisi hic idem est, qui perstringitur a Martiale XI, 65. *Paccii* tamen vel *Pactii* et *Pacciae* passim laudantur in antt. lapidibus et inf. XII, 99. Cic. ad Div. IV, 16. Tac. Hist. IV, 41. et Ann. XIII, 16. 36. XV, 12. Martial. XIV, 78. al. *Bacchi* quoque, si haec lectio vera est, non Dei nomen esse crediderim, sed poëtae nobis ignoti, qui forte non *Bacchus*, sed *Bacchius* dicebatur, quod nomen passim occurrit. v. Bentl. ad Horat. Sat. I, 7, 20. At vix dubito, quin librariis debeatur hoc nomen, quod illis notius erat, et ad Deum, *Alcithoes* punitorem, ab iisdem relatum sit: ut adeo poëta scripserit *Alcithoen Pacci*. Vtrumque recepit Ach. Neque tamen magnopere repugnaverim, si quis *Alcyonem* s. *Alcyonen* propter auctoritatem librorum retinere malit. Possis etiam suspicari, pro *Baccho* s. *Bacchio* et *Paccio* substituendum esse *Accium* s. *Attium*, insignem poëtam tragicum, qui Pacuvii bellique Numantini temporibus vixit; vel potius, suadente C. Valesio, legendum esse *Bassi*, ut designetur Saleius Bassus, de quo v. inf. ad v. 80.

Pro *Terea* male *Therea* 24. et *Terrea* 19. 23. De *Tereo* v. Comm. sup. ad VI, 644. et inf. ad v. 73. Fuit argumentum ac titulus multarum tragoediarum, quas Sophocles, Euripides, Livius Andronicus, L. Attius aliique scripserunt. Sic et *Thebais*

(h. l. *Thebae*) inscripta olim non modo carmina heroica, sed etiam tragoediae, v. c. eiusdem Attii et Senecae.

EXCVRSVS

Ad Sat. VII, 62.

Euoe restitui ex 4. Est nota vox Baccharum εὐοῖ (ex εὖ οἱ) et exclamatio, quum praesentis numinis sensu perturbarentur ac furerent ut εὐᾶν et σαβοῖ (v. Virg. Aen. VII, 389. et Ovid. Met. IV, 522.), unde Bacchantes Εὔιοι γυναῖκες dicuntur Eurip. Phoen. 660. et ipse Bacchus passim Εὔοις, *Euius*. v. Barnes. ad Eurip. Bacch. 141. et Bourdin. ad Aristoph. Thesmoph. 999. Eadem voce etiam Horatius in summo enthusiasmo usus est Od. II, 19, 5. 7.—*ohe* 10. 15. 24. 25. 50. 54. 56—60. 62—69. 71—74. 77. quod probabant Britan., Farnab., Schurzfl., Bahrdt et alii, coll. Horat Sat. I, 5, 12. II, 5, 96. Martial. IV, 91, 1. Plaut. Aulul. I, 1, 16. al. quibus locis fastidium satietasque hac voce designatur. Sed *ohe* multi dixere, *euoe* vero praeter Horatium nemo, nisi de ipsis Bacchis: adeoque hac voce magis, quam illa, carminum Horatii indoles et character adumbratur, ut mox v. 68. seq. Virgilianae Aeneidos, habito respectu loci de Alecto Aen. VII. Errant autem, qui *euoe* et *ohe* vocabula esse synonyma, vel *ohe* etiam in Horat. l. l. scribendum existimant.—*euhoe* 9. et 23 a m. pr. ut ap. Sidon. Epist. VIII, 9. *Forsitan Satiricum illud de Satirico non recordaris: Satur est, quum dicit Horatius Euhoe.*—*hohe* 11. 13. *hoc* 16. 17. 22. 27. 45. *ehohe* 21. *Heuhoe* 14. 18—20. 23 a m. sec.. 49. 55. *Heuohe* 12. 46—48. 61. 70. 75. 76. 82.—Conf. Horat. Od. II, 19, 5. 7. et Virg. Aen. VII, 389. quibus locis eaedem librariorum aberrationes reperiuntur.

EXCVRSVS

Ad Sat. VII, 80.

Iaceat Lucanus in hortis Marmoreus 12. 14. et V codd. Paris. ut emend. Gronov. Obss. III, 13. extr. probb. Burm. ad Anthol. II. p. 66. et Schurzfl. qui audacter totum h. l. ita corrigebat: *Iaceat Lucanus in hortis Marmoreus. Sit Serrano tenuique Saleio Gloria tanta licet, quid* cet. ut sententia h. l. esset: statuas poëtis positas non solvere aes alienum, quo teneantur. Sed, ut

alia taceam, ita certe *stet* dicendum erat, non *iaceat.* Sic *aeneus ut stes* ap. Horat. Sat. II, 3, 183.

et pro *at* 11. 14—25. 27. 30. 45—50. 54—63. 65—69. 71—73. *sed* malebat Gronov. l. l.—*Sarrano* 11. 18—21. 23. 24. 28. 30. 59. 61—63. *Sarano* 27. 46—48. 54. 58. 64. *Sarnano* 22. Gentis Atiliae cognomen in numis et marmm. *Saranis* vel *Sarranus* scribitur, et a devictis *Sarranis*, Tyriis, h. e Poenis, vel potius a *Sarrano*, antiquo Vmbriae oppido (unde *Sarranates* dicti Plin. III, 14.), deducitur a Drakenb. ad Sil. VI, 62. et Perizon. Animadv. hist. c. 1. p. 24. et 33. ubi doctissime de familia agitur Atilia multique errores vulgares refutantur. Vulgatam contra scripturam *Serranus* tuentur Heins. ad Virg. Aen. VI, 845. et alii, qui propter historiam, ex Cic. Rosc. Amer. c. 18. Plin. XVIII, 3. et Valer. Max. IV, 4, 5. notissimam, Atilio hoc cognomen a *serendo* datum putant. Ita tamen *Serenus* vel *Seranus* certe dicendus erat.—*Saleo* pro *Saleio* 71. *Salivo* 48. *Salino* vel *salino* perperam 10—12. 14—17. 19—24. 45. 46. 61—63. et forte vetus Schol. cuius glossa ex emendat. Pith. et Schurzfl. sic legenda videtur: "Nomina sunt poëtarum pauperum; aut a *Serrano* vase fictili, in quo Atilius Serranus solebat mendicare (forte *manducare*). *Saleio* (f. *Salino*) *tenui*: ait mendicorum catillum fictilem, in quo ea, quae salsa sunt, apponuntur.„ Ascensius probabat utramque lectionem *Serrano* et *tenui salino*, quod *marmoreis hortis* opponi arbitrabatur. Sed v. Comm.

EXCVRSVS

AD SAT. VII, 120.

Mira est in hoc versu varietas lectionum. *Pelamydum* 1. 3. 5. al. *Pulamidem* in quibusdam libris, ut πηλαμίδες ap. Aristot. VI, 16. *Pellamidum* 17 a m. pr. 19. *Pilamidum* 21. Sed πηλαμὺς et πηλαμύδων rectius scribi monet Hesych. *Pelamydes* dictae forsan παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μυεῖν, quod in luto se occultant, saltem ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, a luto in quo eas nasci dicit Festus. *Pelamydum Afrorum et veteres epimenia bulbi* 4. prob. Iun. vid. Comm.

aut abest a 19. *aut veteres* 5. 12. 15. 25—27. 46—77. *et veteres* 2—4. 10. 11. 14. 16—18. 20—24. 45.

Mox *Afrorum* pro *Maurorum* libri tantum non omnes, quos sequutus sum, 2. 3. 5. 10. 11. 16—25. 27. 28. 45—50. 54—

69. 71—74. 77. Deinde *epimenia* 1—5. 10. 11. 12. 14—18. 20—23. 26. 27. 45—50. 56. 58. 63. 70. 74—77. *epymenia* 24. *epimedia* 19. *epimenida* 25. 54. 55. 57. 61. 62. 64—68. 71.—73. quod probant Calder., Britann. et Farnab. ut appositio sit, quoniam Plinius XIX, 5. dicat, ex genere bulborum esse *scillam*, et duo genera *medicae*, masculum albis foliis, feminenm nigris et tertinm genus cibis gratum, quod *epimenidium* vocetur. Hinc nonnulli *epimenidia* emendant, ut sit proceleusmaticus, et Ge. Merula *epimendia*, quae lectio reperitur in 59. 60. 69. Fuere etiam, qui suspicarentur *ormenia*, caules. Has coniecturas sugillavit Casaub. ad Athen. II, 22. et defendit nostram lectionem, ex qua tamen commodam sententiam vix elicias. v. Comm. Quid, si scribatur *epimaenia*, et poëta hoc vocab. effinxerit ex Gr. ἐπιμαίνεσθαι, insanire, furere, inpr. amore, unde ἐπιμαίνια, scil. φάρμακα dici possint amoris remedia sive stimuli? *Bulbis* enim stimulari Venerem, notum ex Athen. II, 64. X, 58. ed. Schweigh. Plin. XIX, 5. s. 30. XX, 9, 40. Martial. III, 75, 3. XIII, 34. Ovid. Rem. Am. v. 797. 798. et Colum. X, 105. 106. ubi Pompon. haec notavit: "Genera bulborum Graecis nominibus notantur, differuntque odore, suavitate, sapore, colore, magnitudine, omniaque ferventis naturae sunt, ideo libidinem accendunt. Pythagoras de bulbis librum composuit Megarensibus. M. Varro et Apicius scribunt: *aqua decoquant bulbos*, *qui Veneris usum quaerunt*; hoc modo in nuptiis apponuntur.„ Conf. ibid. Wernsdorf in Poët. Min. T. VI. p. 56. 57.—*bulli* 11. 21. 43. probb. Schurzfl. et Lips. Epist. Quaest. IV, 25. ubi laudantur Glossae ad oram cod. Divaei scriptae: *Bulli*, *pisces exigui vilissimi*, et e Glossar. vet. edito ab Henr. Stephano: *Bulli*, Κρυσοκανθαροι. Idem tamen Lipsius monet, vulgatam lectionem non spernendam videri, quum et Martialis IV, 46, 11. *bulbos* ponat inter munera, causidicis mitti solita, et Plinius XIX *bulbos* in *Africa* natos maxime laudari dicat.

EXCVRSVS

Ad Sat. VII, 218.

Acoenonoëtus nomen ficticium paedagogi, quod restitui e vet. Schol. qui exponit: "Eunuchus paedagogus, aut communi carens sensu (ἀκοινονόητος), proprium papatis.„ Cf. Gell. XII, 12. et inf. ad VIII, 73. ut de *pappate* sup. ad VI, 633. *Acoenonaetus* 70. 75. 76. 81. 82. quod putant esse Graec. ἀκοινώνητος,

alienus a familiari consuetudine (ut ap. Cic. ad Att. VI, 1. et 3.), et hinc arrogans, vel rigidus, severus. Grangaei nota est haec. "Ἀκοινώνητος Graecis est exacte verum rectumqe persequens; vel qui nihil habet cum alio commune; aut cuius alter particeps non est: hic enim paedagogus partitur alterius mercedem, at nemo cum illo." Sed Schurzfl. iam recte monuit, ita *Acoenonetus* scribendum esse, quod tamen h. l. leges metri non permittunt.—*Acuncteus* 20. *Achinetus ipse* 15. 16. *Achenetus ipse* 24. *Acaenetus ipse* 10. 27. 46—49. 54. 56. 57. 64. *Acenetus ipse* 18. 19. 23. 25. 45. 58. 60. *Acoenetos ipse* 59. *Acoenetus ipse* 11. 14. 17. 21. 22. *Acoenitus ipse* 50. 55. 61—63. 65—69. 71—74. 77. quod credunt esse nomen vel proprium, vel fictum ab ἀ priv. et κοινός vel κοινότης, ut designetur homo, qui sui tantum, non communis commodi rationem habeat. Illud *ipse*, quod in plerisque libris legitur, ab ingenio hominis, lacunam versus explentis, profectum videtur.

EXCVRSVS

Ad Sat. VIII, 147.

Damasippus ex 10—12. 14—27. 45—50. 54—69. 71—74. 77. omnibusque MSS. Paris. praeter Putean. restitui h. l. et v. 151. et 167. ubi vetus Schol. monet, ita legi in aliis codd. Haec lectio firmatur omnium fere librorum auctoritate et h. l. aptissima est. Ficto nomine designatur vir nobilis et δαμάσιππος, domitor equorum, qui vulgo Graecis ἱππόδαμος dicitur. v. Comm. ad I, 59. *Damasippus* etiam cognomen fuit Liciniae gentis et notissimi Praetoris, qui Carbonem interfecit (v. Vellei. II, 26. et Cic. ad Div. IX, 21.); nec non eius, qui statuas amabat, de quo v. Horat. Sat. II, 3. Cic. ad Att. XII, 29. 33. et ad Div. VII, 23.

Lateranus 70. 75. 76. 8[illegible] 82. cod. Put. et 1. inf. v. 167. Ita quoque significatur quilibet nobilis vel summus magistratus: nisi re vera talis olim Lateranus vixit. Ex hac familia clarissimus fuit Plautius Lateranus, Messalinae adulter et Consul designatus a V. C. DCCCXIX, quo in Neronem coniuravit et occisus est. v. Tac. Ann. XI, 30. 36. XIII, 11. XV, 49. 60. *Lateranorum egregiae aedes*, quarum mentio fit inf. X, 17. sitae in Coelio monte, quo loco deinde extructa D. Iohannis aedes sacra et basilica, quae a Constantino M. dono data est Sylvestro, summo

Pontifici, et vulgo nunc *Lateranum* dicitur. Conf. notata in Var. Lect. ad VII, 139.

EXCVRSVS

Ad Sat. VIII, 190.

Vox *triscuria* in omnibus fere libris legitur, sed expeditu difficillima est. Fortasse ita dicuntur admodum vel extreme scurrilia scil. facinora (ut *triparcus*, *trifur*, *trifurcifer*, *triportentum*, *trismegistus*, *triveneficus*, *triperditus*), non, quod Prat. et Ach. putant, triplices in circo discursus.—Scaliger de Emend. Temp. lib. V. et ad Catull. corrigit *transcurria*, ut poëta innuat, patricios *transiisse ad scurras*, orchestram vel potius ludos, h. e. ex senatoribus factos esse scurras.—Libri non variant, nisi quod *triscuria* exhibent 11. 18. 21. a m. sec. 23. 46—48. 58. 64. de qua lect. Scaliger l. l. ita disputat: "Novi, qui malit scribere *triscuria*; nam *triscuriam* ingens cura, ut est reipublicae, quae sane cura digna fuerat patriciis. Priscianus: Composita a verbo *Curo*, *Securus*, *Obscurus*, *Tricurium*. Festus ex Livio: *Solicurio in omni re curiosa.*,,—*tricharia patriciorum* conj. Petitus ad Leges Att. p. 245. seq. (p. 329. ed. Wessel.) quoniam spectaverint cruciarum Laureolum in *tricha* destitutum.—*strictoria* omnino legendum putabat Is. Voss. ad Catull. p. 55. 56. ubi haec notavit: Sic vocabantur tunicae strictae, quibus non histriones tantum et comoedi, sed et ipsi quoque patricii et senatores, deposita toga et neglecta honoris et dignitatis suae ratione, in conviviis, in ludis et spectaculis, passim et palam spectabantur.

EXCVRSVS

Ad Sat. IX, [illegible].

Ita leguntur Graeca in 1. 70. 75. 76. 81. 82. In reliquis vero codicibus ab indoctis librariis vel prorsus omissa sunt, v. c. in 25. 27. 45. 58. 61. vel admodum corrupta, et in multis quoque non Graecis expressa literis, sed Latinis. Nec mirum: *Graeca sunt; non leguntur.* ἤθους γὰρ γλυκέος ἄνδρα κίναιδον 10. 18. 23. 48. 50. 56. 57. 59. 60. 62—69. 71—74. et XI codd. Paris. quae verba vulgo referuntur ad *blandas tabellas*, et ita explicantur: *Hominem enim cinaedum blandi dulcisque moris* scil. εἶναι κρίνει,

vel simpl. πρέπει, esse decet s. convenit. Sed dura est haec ellipsis, neque intelligitur, cur poëta haec Graece dixerit. Nam quod putant, summam Virronis mollitiem iudicari, quum Graecus sermo plus suavitatis blanditiarumque habeat et effeminati sit, eo uti, id quidem parum probabile videtur.—ἤθους γὰρ γλύκεα ἄνδρα κίναιδον 47. ἤθους γλυκὺς ἄνδρα κίναιδον 46. ηθους γλυκεος μην ανδρα κιναιδον 20. ηθους καιπερ γλυκυν ανδρα κιναιδον 49. 54. 55. αιθος γλικου ανδρα κιναιδος 14. 17. αιθος γλυκυ κιναιδον ανδρος 19. ετος γλυκυ και ανερα κιναιδος 24. ηδοσης γλυκυ ανδρα κυναιδου 11. Alias aliorum nugas praetermittimus.—Schurzfleischii nota est haec: "Qui ex Homero rem repetunt, acute ii quidem, sed Iuvenalis non fuit acutus, qui tam simplicem sensum Graecis verbis dixerit. Vox ἄνδρα in codice nostro literam secundam puncto subnotatam habet. Id notat, literam eiiciendam esse. Quid si nos punctum illud unicum elegantissimam doceat scripturam, et monstret, in Iuvenale emendandum esse; αὐτὸν γὰρ ἐφέλκεται ἄστρα κίναιδον, vel propius ad veterem scripturam αὐτὸν δ' ἕλκει γλυκὺν ἄστρα κίναιδον. Sed prior lectio, quum parodia sit pressior, plane placet, et spondere ausim, ita Iuvenalem scripsisse, ut Naevolo persuadeat, fortunam in turpibus etiam rebus a genesi dependere, et simul idem credentes Romanos derideat. In Schol. pro *ipse ad se trahit* possis legere *ipsum astrum trahit* vel *te trahit*, ut legerit, σὲ γὰρ αὐτὸν ἐφέλκεται ἄστρα κίναιδον.„ Mihi aptior facetiorque videtur nostra lectio, neque adsequor, cur Iuvenalis illa Graecis expresserit verbis, vel, si Homerica in rem suam convertere voluit, de quo vix dubitare possis, tam multa immutaverit, nec potius acutam Homeri sententiam variatione unius vocis lepide transtulisse censendus sit. v. Comm.

EXCVRSVS

Ad Sat. IX, 40.

Sententia huius loci est: *Computat* accurate cinaedus avarus, quaecumque mihi dono dedit, *ac cevet*, et tamen libidini indulget, cui imperare non potest; vel, calculum et rationem mecum subducit, dum explet libidinem. *Cevere* proprie significat clunes movere more canum (v. comm. ad Sat. II, 21.) et aptius h. l. verbum est, quam *canet* vel *cavet*, quae plerique interpretes pro eo substituerunt. *ac cevet* 1. 60. 65. 69. 70. 75. 76. 82. *et cevet* 31. 49. 54. 55. 61—63. 66—68. 71. 72. 77. 81. et cod. Pat. *atque cevet* adversus metrum 25. 56. 57. *atque cenet* 59. vitiose.

— *et cavet* 24. 73. Rectius *atque cavet* 10—12. 14—23. 27. 45 —48. 50. 58. 64. 74. et XXXIV codd. Paris. "Id sensum satiricum minus offert, sed honestiorem: *cavet* scil. ne in computatione decipiatur et ne plus aequum in suum drancum conferat," Brit. et Ach. *Cavet*, ne plus accipiat servulus, PRAT. Eamdem lectionem defendit Schurzfleisch. his verbis: «Poëta Naevolum, quod nihil a divitibus donorum acciperet, consolatus est a v. 32. reiiciendo culpam in astra, homines etiam cinaedos regentia. Finito sarcasmo v. 38. seqq. infert Naevolus, illa patienter quidem se ferre, sed hoc intolerabile esse, quod quidem pathici sint avari, qui etiam, quae dederint, obiiciendo exprobrent et omnia accurate computent, pactamque mercedem inde decurtent. Quis inde non videret, τὸ *cevet* h. l. ἄτοπον esse, ubi non nisi de rationibus agitur? Sed illo mos est quorumdam Criticorum, ut non nisi vocabula casca aut etiam praetextata in bonos auctores inculcent, ad nescio quos codices provocantes.» Enimvero *cevet* in plerisque legitur libris, nec video, cur alienum sit ab h. l. ubi poëta ostendit, ridiculum esse hominem, qui dum libidinem explere cupiat, tam avarus sit, et libidinem eius maiorem esse avaritia.

EXCVRSVS

Ad Sat. IX, 60—62.

Melius ne 59. 60. a quibus etiam *hic* abest, ut ab 25. 57. *melior* 27. 47. *melior nec hic* 48. 58. *melius nae — legatus fiet amici* 24. idque malebat Britann. hoc sensu: *nae*, profecto, *hic*, Romae, *melius*, cum maiori emolumento, *legatus*, internuncius et veluti leno *fiet amici pulsantis cymbala*, sacerdotis Cybelei: maius lucrum ita faciet puerulus *rusticus*, qui pauperrimus est et aliud nihil habet, quam matrem et casulam et catellum. Grangaeus: certe melioris conditionis est comes idemque draucus Galli *cymbala pulsantis*, quem per provincias errans stipem mendicandi gratia ducit una cum matre cet., quam ego, qui tecum soleo. Non magis probanda Achaintrii explicatio: *An hic rusticus infans*, verna, *legatus*, ex testamento datus, relictus, *melius fiet* sc. portio hereditaria vel proprietas (alterutrum subauditur) *amici tui cymbala pulsantis*, quam mei, qui cet.? Omitto alias aliorum nugas.

Vs. 61. *caculis* 8. 9. 75. 76. h. e. servis rusticis, vernis; propr. servis militaribus. v. Plaut. Trin. III, 2, 95. et Pseud. Argum.

Varr. L. L. IX, 3. et Fest. Vulgatam lectionem ex Sat. XI, 153. XIV, 167. 179. ortam putabat Pithoeus. — *cum lusore* 10, 12. 15. 16. 18—25. 45. 46. 48—50. 54—69. 71—73. *cum iussore* 11.

Vs. 62. *legatum* ex 1. 48. 75. cod. Put. et altero Pithoei post Farnab. Lubin. Prat. et Maittar. substitui pro vulg. *legatus*, quae lectio inepta videtur, certe ineptas peperit interpretationes. Nescio, utrum legerit Ferrarius, qui Elect. II, 16. h. l. ita exposuit: *meliusne* ergo, i. e. lautius legatum Villici filius capiet a pathico, quam draucus ipse, qui non agrum colit, sed dominum? At sic poëta dixisset *legatarius fiet*, vel *legatum capiet*: neque ita satis congruunt reliqua verba *cum matre et casulis* cet.

EXCVRSVS

Ad Sat. IX, 123.

Hic versus, qui silentio praetermittitur ab interpretibus, quoties eum legi, semper me offendit (nam et languet, meraque repetitio est v. 119. et *idcirco* plane ineptum videtur h. l.); semperque putavi, hanc esse glossam in margine adscriptam ad v. 119. *his praecipue causis, ut linguas mancipiorum contemnas*. Quorum verborum haud dubie interpretamentum fuit: *Idcirco ut possis linguam contemnere servi;* quod quum in textum irreperet, perperam a librariis in eum, quem nunc occupat, locum est translatum, et *possim* repositum pro *possis*, quod tamen et ipsum in 17. 18. 24. 46—49. et quibusdam MSS. Paris. legitur. Eo minus autem illi dubitarunt, quin haec verba ab ipso poëta essent profecta, quum glossa ista versus esset hexameter; quod vero vel casu fieri potuit coeco, vel parva verborum transpositione. Conf. Excurs. ad Sat. V, 90. 91.

Has coniecturas vidi postea firmari auctoritate non tam cod. 13. e quo hic versus una cum seq. eiectus est (ut treceuti alii; undo haud quidquam fere momenti habet in re critica), quam duorum MSS. Paris., a quibus abest, et codicis vetustiss. 8. in quo versus 118—124. hoc ordine ac modo leguntur:

Vivendum recte, cum propter plurima, tunc est
Idcirco, ut possis linguam contemnere servi,
Praecipue causis, ut lingua, mancipiorum
Contemnas. nec lingua mali pars pessima servi.

Deterior tamen hic, qui liber noverit illos,
Quarum animas et farre suo custodit et aere.
Vtile consilium cet.

Hinc Pithoeum quoque iam olim versum huuc tollendum de medio, ut supposititium, aut potius duplicem quasi censuisse animadverto. Sic in eodem MS. mox post v. 134. legitur hic: *Gratus eris. tu tantum fucis imprime dentem.*

EXCVRSVS

Ad Sat. X, 150.

Distinctionem maiorem posui post *elephantos*, non post *tepenti*, ut hic quoque versus ad superiora et ambitum finesque Africae referatur. Henninius et alii h. versum connectunt cum seqq. ut sensus sit: Aethiopiae et *elephantis*, h. e. Mauretaniae s. Africae *rursus*, adhuc, *additur*, adiungitur Hispania. Sed non bene sic Africa designatur et vox *imperiis* additur. *Versus* pro *Rursus* conj. H. Vales. hoc sensu: ad Aethiopiam versus aut adversus Aethiopiam et terram elephantorum. Ego olim suspicabar legendum esse *Prorsus*, plane. Sed v. Comm. — *aliosque elephantos* exhibent 10. 14–27. 45–50. 54–74. ut epitheton ad diversitatem vel terrarum Libyae, in quibus elephanti sint, vel elephantorum in Mauretania et Aethiopia, seu Aethiopia occidentali et orientali, vel ipsorum Aethiopum spectet. De hac v. Comm. eamque significari putabant Grangaeus, Rigalt. et alii, ut *alii* propr. non *elephanti* sint, sed Aethiopes. Cf. Stat. Theb. X, 85. Multo probabilior videtur emendatio Plathneri, qui *albosque* coniiciebat coll. verbis Ptolemaei: *Iuxta Libyam magna Aethiopum regio, in qua elephanti, albi omnes, et rhinocerotes et tigres sunt.* Elephanti vulgares sunt fere cinerei (*grau*), rariores rubri s. rufi, et rarissimi candidi; unde in regnis Pegu et Siam de solo titulo *Regis candidi elephanti* cruenta olim bella orta esse memorat M. le Blanc in Itinerar. Hac emendatione recepta totus hic versus ad Aethiopiam denotandam pertinet. Sed in Aethiopia *omnes* elephantos fuisse candidos, quis sibi persuaderi patiatur? et *albi* ap. Ptolem. sunt forsan cani s. cinerei. Aptiores quoque h. l. sunt *alti elephanti*. v. Comm. Ill. Iacobs haec adnotavit: " Legendum *Furvos Aethiopum ad populos* (v. ad XII, 104.) *Albosque elephantos Additur imperiis Hispania.*

Elephantum genus Aethiopiae finibus proprium requiri, iam intellexit Plathnerus, et Ptolemaeus in Aethiopia elephantos *albos omnes* tradidit, an ex rei veritate, nec ne, nihil ad rem.„

EXCVRSVS

Ad Sat. X, 312. 313.

Magna est h. l. lectionis varietas, quae librariorum stupori debetur. *quascumque mariti Exigere* (h. e. exigunt vel exigere solent, scil. ab adulteris) *irati* restitui ex 5. 12. 18. 24. 25. 27. 46—49. 54—69. 71—74. et XII MSS. Paris. probb. Pulm. et Gronov. Obss. II, 14. ubi magna exemplorum copia ostendit, multa passim per infinitivum modum pronunciata esse, sive in oratione obliqua, sive per ellipsin verbi finiti, quae librarii et improvidi correctores vexarint. *quascumque mariti Exigere ira* 15. adversante metro: unde *quascumque mariti Exigere ira potest* 2. 36. et MS. Canteri (v. eius Lectt. nov. III, 6.), prob. C. Vales. *quascumque mariti Exigere irati debent*, *nec erit felicior astro* 4. 16. 23. et duo alii codices, quos memoravit Gron. l. l. in qua lectione, ex duabus conflata, verbum *debent* abundat. Hinc metri fulciendi causa *quascumque mariti Exigere irati debuit* 45. *quascumque mariti Exiguo irati*, *nec erit f. a.* 50. et duo MSS. Paris. *quascumque mariti irati faciunt* 35. *quascumque mariti Irati debent* 3. 13. 17. 19—22. 38. 43. 75. 76. et XIV codd. Paris. prob. Lips. Epist. Quaest. IV, 25. Enimvero non mariti *debent* poenas, sed adulter; nisi supplendum censeas *exigere* vel *capere*, *petere*, *repetere*, *sumere* scil. ab adultero, quae tamen ellipsis dura est. *quascumque mariti Irati debet* 10. *quascumque maritis Iratis debent* 77. *quascumque mariti Irati debent rivalibus. exigit autem Interdum* cet. 13. *quascumque maritis Irati debent* 14. 28. et ita conj. Lips. l. l. Commodam tamen sententiam vix inde elicias. *quascumque maritus Exigit iratus* edd. recentt. Farn. Prat. et al. quae haud dubie est emendatio nostrae lectionis. *et poenas debet quascumque mariti Exigere irati* corrig. Schurzfl. ut mens poëtae sit haec: *debet* filius tuus *exigere*, sustinere, luere, omnes *poenas irati mariti*, h. e. quas hic ab adultero repetere solet. Sed quis umquam *exigere poenas* hoc sensu dixit? *quascumque maritis Iratis debet* 70. 82. Non male: nam *poenas* vel supplicium *debere* dicitur is, cui vel metuendae, vel potius luendae ac solvendae sunt, ut fere *ludibrium debere ventis* ap. Horat. Od. I, 14, 16. ubi iam monuit

Iani, has loquendi formas ductas esse e Graeco ὀφλεῖν vel ὀφλισκάνειν γέλωτα ap. Aristoph. Nub. 1031. et Eurip. Med. 1049. Praestiterit tamen *quascumque mariti Exegere ira*, h. e. saepe exegerunt vel, ἀορίστως, exigere soleat. Cf. Iani art. poët. p. 291. Enimvero vix dubito, quin recepta a me lectio sit a Iuvenalis manu profecta et deinde a librariis vel scholasticis, qui illum infinitivi modi usum, de quo supra dixi, ignorabant, immutata, substituto verbo *debent* vel *debet*, quod docta manus, tamquam ellipsin supplendam, margini adscripserat. — Manso haec adnotavit: "Veram structurae vim assecutus est Gron. Obss. II, 14. Miror tamen, nemini interpretum in mentem venisse, latere posse sub *irati mariti* gignendi casum huncque pendere a vocula *est*, sive librariorum incuria in fine v. 312. e contextu amissa, sive a poëta ipso consulto omissa et supplenda." Miretur sane: si vero pessimam omnium rationem a me propositam dicit, non probat; licebit et mihi, de illa ratione eamdem sententiam ferre.

EXCVRSVS

Ad Sat. XI, 173.

Versus expeditu difficillimus et hinc forte eiectus e 13. quae profecto facillima nodi solvendi ratio est. Maximam nobis molestiam creat vox obscura *pytisma*, de qua v. Comm. *pytismate* exhibent 1. et plerique codd. tam scripti quam editi, tam nostri quam Parisienses. *pitismate* 10. 17. 19. 27. 46—48. 58. 64. 67. *petismate* 22. *pitysmate* 11. 18. 28. prob. Valla, ut *orbis Lacedaemonius* sit trochus e pinu, ἐκ πίτυος, quem assidua rotatione oleo uncta mulier *lubricaverit* s. levigaverit: de quo Graecorum, inpr. Spartanorum, ludo v. Comm. *pedeumate* exhibet vetus membr. Mureti, quem vide in Var. Lect. X, 6. *pitteumate* alia Taubmanni, ab eo laudata ad Plaut. Pers. V, 2, 67. *pede nudo* liber lac. Schegkii, qui in Praemiss. et Obss. Epist. c. 5. hanc lectionem defendit, ut mos Graecorum innuatur, quos in conviviis nudos saltasse (*pede libero pulsasse terram* Horat. Od. I, 37, 1.), doceant Athenaeus et Cic. Pis. 10.

Quae lectiones quum non arriderent aliis, dici vix potest, quantopere in iis emendandis operam luserint. Potiores eorum coniecturas paucis recensuisse sufficiet. — *paedaemate* suspicabatur Caecil. Minutian. de orthogr., et *pedemate* (ut legitur in 63. 68. 69. ad marg. 71. 73. 74.) Bapt. Egnat. Racem. c. 17.

Brodaeus Misc. V, 26. et Britann. ut vel designetur βίβασις Λακωνικὴ, genus saltationis, *lubrico pedemate*, πηδήματι, saltu vel celeri pedum mobilitate, in *orbem*, gyros et ambages, circa tibicinem in medio sedentem atque canentem, exercitae (v. Pollux, et Lucian. de Saltat. c. 10. Opp. T. IV. p. 347. seq. ed. Schmid.), vel, quae Brodaei sententia est, *orbis* sit ligneum tympanum, in quod desiluerint, quodque modo saltantes circumduxerint pedibus, modo per longum spatium super stantes uno impetu lubricando agitaverint. — *pitylismate* vel *pytilismate* conj. Politianus in Misc. II, 37. 38. et Iul. Scalig. Poët. I, 22. ut sit exercitatio in *Laconico* (v. Comm.) facta, qua quis summis pedibus ingrediens manus protenderit ocissimeque moverit, alteram retrorsum, alteram prorsum, de quo v. Galen. II. — *petteumate* recepit Farnab. ex emendat. Mureti in Var. Lect. X, 7. ubi haec vox deducitur a Gr. πεττεύειν, talis s. calculis, πεττοῖς, ludere, ut h. l. significetur dives aleae studio deditus, qui mensam ex marmore Laconico assidue ludendo *lubricet*, h. e. poliat. Cf. vs. seq. — *pyreismate* vel *pyreysmate* corrig. Alciatus Parerg. Iur. VI, 3. ut sit exercitatio quaedam Laconum, vel nudorum oleoque unctorum, in sudatorio, Laconico, πυρεύματι s. πυριατηρίῳ. — *proptysmate* Mercurialis art. gymn. I, 10. putans intelligi petulantiam ditiorum, qui multo sputo (προπτύοντες, insputantes) irrigaverint Laconicum eiusque pavimentum lubricaverint, ut facile quis cadere potuerit. — *pitteremate* Eberh. Mollerus, qui hanc lectionem Lubino probavit excitatis aliquot veterum scriptorum locis, inpr. Luciani. — *pygismate* Lips. Epist. Quaest. IV, 25. ubi monet, πύγισμα poëtae Siculo dici paedicationem, et verbum *lubricare* obscoeni quid praeferre, *orbem* vero *Lacedaem.* partem vocari aversam et diviti pueros Lacedaem. tribui, quoniam ea gens Iuvenalis tempore maxime mollis et pueri inde oriundi in nobilium deliciis fuerint. Cf. Philostr. vit. Apollon. IV. et Martial. IV, 55, 6. 7. — *poppysmate* Flavius Coniectan. c. 51. ubi docet, verba *poppysma* s. sibilum (v. sup. ad VI, 584. in Comm.) et *lubricare* de re obscoena adhiberi, et *orbem Lacedaem.* esse nates aut praeposteram Venerem, quoniam Spartanos primum ad athleticam nudasse corpora et inde libidinem in pueros exarsisse, tradant Thucyd. et Cicero. — Lipsius l. l. dicit, Iac. Susium suasisse, ut pro *orbem* substitueretur *orbum*, h. e. senem orbum, divitem ac foedum, qui nescio quid obscoeni fecerit vel potius passus sit. — *urbem* legitur in 23; inepte.

EXCVRSVS

Ad Sat. XI, 193.

Praeda caballorum Praetor legitur in 1. 11. 14. 16. 48. 50. 56. 70. 74—77. et nonnullis MSS. Paris. et tam copiose quam erudite defenditur a Gronov. Obss. IV, 24. ubi monet, acerbo sale perstringi munerarium, qui, dum *similis triumpho*, triumphanti, triumphantis ritu habituque praesideat Circensibus, magnum se virum putet, quum re vera sit *caballorum praeda*, h. e. prodiga illa impensa in equis aurigisque alendis, exercendis, producendis, comedatur miser, patrimonium exhauriat sub vana specie honoris et intereat. Cf. sup. I, 59. 60. Lips. ad Tac. Ann. I, 15. et Heins. ad Claudian. Fescenn. v. 11. Ingeniosa profecto interpretatio, quae tamen paulo longius petita videri possit. — *Praedo caballorum Praetor* exhibent 10. 12. 15. 17—27. 45—47. 49. 54. 55. 57—69. 71—73. et plerique codd. Paris. prob. Grot. ad Capellam p. 174. Nonnulli, v. c. Schol. in cod. Iunii, Praetorem ita dici putant propter equos ab hostibus raptos; alii vero per iocum aut paronomasiam, quod vel optimos equos invitis dominis vili auferat pretio, vel iniquus certaminis iudex s. brabeuta sit, et palma praemioque s. brabeo fraudans meritos et victores equos efficiat, ut exiguo vendantur pretio et vel a se emi possint. — *Perda* emend. Salmas. (ad Solin. [p. 465. et ad Trebell. Poll. de XXX tyrannis c. 17. in Hist. Aug. p. 305. 312.) h. e. perditor φθορεύς, ut *scriba*, *advena*, *transfuga*, *heredipeta*, *homicida*, *parricida* et inpr. *officiperda* ap. Caton. distich. IV. n. 43. et Isidor. in Gloss. — Praestiterit *Praeco*, praedicator, laudator, *caballorum*, equorum vel aurigarum victorum, ut *praeco virtutis* ap. Cic. pro Arch. c. 10.

EXCVRSVS

Ad Sat. XV, 7.

Illic caeruleos, nec piscem *fluminis* 23. *Illi caeruleos*, *hi piscem fluminis*, *illi* 4. et 9. *caeruleum* emend. Nic. Heins. ad Virg. Aen. III, 329. ad Prop. II, 12, 1. et 23, 101. (al. 32, 45.) et ad Claud. laud. Stilic. II, 167. quibus locis docet, literam *m* produci propter hiatum et caesuram, neglecta ecthlipsi. Cf. sup. ad I, 151. II, 26. IX, 118. et XII, 36. Refragatur

his Schrader Emendatt. p. 136 seq. ubi monet, Grammaticos, praestantiores quidem, nihil eiusmodi tradere, adeoque loca, quibus viri docti se tueantur, aut suspecta esse, aut perspicue mendosa. Meo qualicumque iudicio talia si et excusanda, tamen non sine necessitate obtrudenda sunt poëtae, et, quamvis illa emendatio Heinsii arridere possit, ut Iuvenalis innxerit duo verba sing. num., *caeruleum* sc. piscem et *piscem fluminis*, leviori mutatione nitori carminis (si nitor est, nec potius nostra lectio, quae doctior est, magis placet multis) consuli poterit, si reposueris: *Illic caeruleos, hic pisces fluminis*. Ita sibi respondent *pisces caerulei*, h. e. maris caerulei s. marini, ac *pisces fluminis*: et nunc video, ita legi in cod. 15. — *Illic aeluros* non male corrig. Brodaeus Miscell. VII, 2. probb. Lindenbr., Nonio (de esu piscium c. 2.), Schurzfl. et Plathnero, quoniam non satis constet, marinos pisces ab Aegyptiis cultos fuisse, et ex ipsorum potius religione Iove nihil dignum in mari gigni posse docuerit Plato et ex eo Pierius hieroglyph. lib. XXXI pr. *Felis* contra, quae Graecis dicitur αἴλουρος (et hinc quoque *aelurus* Gell. XX, 8. et Hygin. Astron. II, 28. ubi v. Muncker.), Bubasti Aegyptiorum s. Lunae sacra fuit eiusque viva quaedam imago. v. Herodot. II, 66. 67. Athen. l. l. in Comm. ad v. 1. Plut. de Is. et Osir. p. 376. Diodor. I. et II. Iablonski Panth. Aeg. III. 3. §. 3. seq. p. 60. et 66—71. Vulgatam vero lectionem tueutur Grang. et Scalig. ad Tibull. I, 7, 14. et aptius sibi h. l. opponuntur *pisces caerulei* s. maris et *fluminis*. Vellem tamen aliorum scriptorum locis probari posset, cultum piscium marinorum Aegyptiis in usu fuisse.

EXCVRSVS

Ad Sat. XV, 27.

Nomen consulis varie h. l. exhibent codices tam scripti quam editi. *Iunio* 8. 9. 11. 14. 17—20. 23. 70. 75. 76. 77. 82. et XVII MSS. Paris. Recte, opinor. (v. Comm.) nomen corruptum videtur ab imperitis librariis, qui putabant, metri leges prohibere, quo minus servaretur. Sed *Iunio* δισσύλλαβος vox est, et eiusmodi συνίζησις passim obvia. Sic apud Silium (ut ex hoc solo exempla petam) *Pelio* dicitur III, 495. *tenuia* et *tenuis* IV, 147. VI, 19. *semiusta* III, 16. *semiambustus* II, 681. *semianimis* IX, 123. *semiermis* XII, 467. *genua* I, 529. *proinde* II: 353. *alveo*

III, 450. IV, 602. *sinuosa* et *sinuata* II, 172. VI, 226. VII, 503. X, 181. XV, 173. 621.

Iuno legitur in 25. 49. 55—57. 59. et III MSS. Paris. *Ionio* in 15. *vinio* in 16. *iurno* in 22. *Iunco* in 10. 21. 27. 46—48 54. 58. 60. et X MSS. Paris. *Vinco* in 24, 45. 50. 61—69. 71 —74. 81. et V codd. Paris. Lipsius in Epistol. Quaest. IV, 20. monuit, neque *Vincum*, neque *Iuncum* Consulem invenire in Fastis, et posteriorem horum partem intricatam esse propter Consules crebro suffectos. *Iuncus* quidem aut *Iunctus* Commodo regnante cum Severo Consul fuit. v. Lamprid. in Commodo c. 4. et Vlpianus l. XXVIII. Digest. de fideicommissis libertatibus. Sed nec definiri potest, quae vera horum consulum nomina fuerint, nec probabile est, Iuvenalem ad Commodi aetatem vixisse. — Britannicus suspicabatur, *nuper* h. l. ut passim, de longo tempore dici, et *Vincum* forte Consulem fuisse sub imperio Neronis auctoremque coniurationis *Vincianae*, de qua v. Suet. Ner. c. 36. Enimvero ibi in plerisque iisque optimis libris legitur *Viniciana*, et *Viniciorum* gens clarissima fuit. v. intpp. Tacit. Annal. VI, 15. 45. XIV, 40. Sueton. Aug. c. 64. 71. — Grangaeus conj. *Vero*, ut designetur Verus, qui cum Fulvio Consul fuerit imperante Domitiano. Notior est L. Ceionius Commodus Verus, ab Hadriano, et inpr. eius filius, ab Antonino Pio adoptatus. Hic a. V. DCCCCVII. Consul et deinde cum M. Aurelio Imperator fuit.

EXCVRSVS

Ad Sat. XV, 35.

Ombos pro *Coptos* 1. 14. 18. 61. 70. 65. 76. 77. 81. 82. *Combos* 10. 17. 20—22. 24. 25. 45—50. 54—60. 62—69. 71—74. *Cumbos* 19. 23. 27. *Cambos* 16. *Combros* 11. 15. Eadem varietas est in MSS. Paris. Sed in cod. Puteano, qui omnium antiquissimum est, exstat *Copos*, quod ad veram lectionem ducit, quam cum Ach. substitui pro vulgata *Ombos*, quae semper me offendit: nam describitur bellum, *antiqua simultas et immortale odium inter finitima* oppida (v. 33.), inter quae etiam illa propter religionem, commercium rixasque varii generis multo facilius, quam inter ea, quae longiori intervallo dirimuntur, et orire sanc et saevire possunt. *Finitima* autem oppida non sunt *Ombi* et *Tentyra*, sed *Coptus* et *Tentyra* (quod iam monuit

Salmas. in Exerc. Plin. p. 448.): nam *Ombi*, Ομβοι. in Nomo Ombite et ad orientalem Nili ripam, ubi nunc castellum *Cûm Ombo*. *Tentyra* in Nomo Tentyrite et ad occidentalem Nili ripam sita erant et longe ab Ombis remota. *Coptus* vero a Tentyris non nisi XII milliaria abest, capnt non eiusdem qnidem, sed contermini Nomi. Quod iam intelligitur ex Plinio, qui l. V, 9. Thebaidis Nomos hoc ordine enumerat: *Ombiten*, *Phatniten*, *Apollopoliten*, *Hermonthiten*, *Thiniten*, *Phaturiten*, *Coptiten*, *Tentyriten*, *Diospoliten*, *Antaeopoliten*, *Aphroditopoliten*, *Lycopoliten*. A Plinio non multum discrepat Strabo, nisi quod ille a summo incipit et hic adscendit ab inferioribus. Praeterea non *Ombitae* tantum, sed etiam *Coptitae* religiose colebant crocodilos, qnos Tentyritae aversabantur et perseqnebantur. v. sup. ad v. 2. in Comm. Hinc *Coptos* h. l. legendum esse pro *Ombos* recte suspicati sunt *de Pauw* (Recherches philosophiques sur les Egyptiens et les Chinois T. II, p. 160.), et viri docti, a Dusaulx consulti *Barthélemy* et *Larcher*. Qua lectione recepta dispelluntur tenebrae, tum versibus 28. 33. et 35., tum toti satirae librariorum incuria offusae. Eadem firmatur iis, quae de origine erroris adnotavit Achaintre: " Probabilior videbitur mutatio vocis *Coptos* in *Combos* (quod in plerisque MSS. et editt. legitur), quam *Ombos* in *Combos*: facilius est enim unam alteramve literam (in media voce) mutare, quam literam initialem voci cuilibet addere aut detrahere. Vitioso autem vocis sono per saecula IX. et X. litera *m* multa in nomina, verba et adiectivos irrepsit. Inde ex *Coptos* factum *Copos*, ut fert Put. codex, ex eo *Compos*, ex hoc *Combos*, *Cumbos*, *Cambos*, *Combros*: sed quia paulo sapientiores aliqui noverant, oppida horum nominum nulla esse in Aegypto, dempta litera *C*, dixerunt *Ombos*." Huc accedit, quod librarii eodem modo vocem *Copti* corruperunt v. 28. et substituerunt *Combi et Compti*; ut contra Κόμβοι pro Ομβοι, ap. Ptol. IV, 5. (alii Ομβροι, et ap. Steph. Byz. Ολβοι, in Notit. Imp. Rom. s. 20. *Ambo*). Ne tamen dissimulem, quod nobis obverti possit, idem oppidum v. 28. vocatur *Coptus*, et forma nom. plur. nou alibi occurrit. Enimvero haec difficultas non tanti est, quanti nonnullis videri possit, et innumera huius rei exempla passim sunt obvia. Sufficiat unum memorasse, ex ipso h. l. petitum: nam et *Tentyra* in plur. num. nemo forsan dixit praeter Iuvenalem.

A. PERSII FLACCI

SATIRAE VI.

RECENSVIT

COMMENTARIOQVE PERPETVO ILLVSTRAVIT

G. L. KOENIG.

PROOEMIVM

DE

PERSII VITA,

MORIBVS ET SCRIBENDI GENERE

Debellatis tot tantisque nationibus a Romanis omniqne ratione expilatis, ingentes divitiae, quaeque ex his nasci solent, avaritia, luxuria omniaque vitiorum genera, Romam confluxerant, quibus tandem corrupti victores et enervati omnem honestatis et libertatis sensum adeo amiserunt, ut gravissimum servitutis iugum, a turpissimis interdum hominibus sibi inpositum, aequo animo paterentur. Prisca illa animi magnitudo et gravitas, qua Romani veteres reliquas nationes praestiterant, vili cessit adulationi puerilique levitati. Etenim ipsa frugalitas, mater paene omnium virtutum, quibus nomen Romanum vel hostes infestissimos in sui admirationem rapuerat, opibus orbis terrarum in urbem congestis expulsa adeo evanuit, ut in paucis admodum generosioris indolis, qui a communi vitiorum contagio intactum servaverant animum, vestigia eius remanerent. Vmbra libertatis, quam Augustus civibus, magis ut sui ipsius saluti, quam ut eorum commodis consuleret, reliquerat, a Tiberio funditus sublata, (1) Romani, cura rerum publicarum omissa, convertebant animos ad res privatas, atque amor patriae studiumque rerum communium sensim sensimque exstirpabatur. Quum iam ab unius benevolentia aut invidia omnia vel exspectanda vel timenda essent, id omnes agebant, ut quibuscumque rebus possent, gratiam eius aucuparentur, neque quidquam committerent, quod minus illi placeret. Delatorum porro greges, per Italiam omnesque provincias sparsi, non facta solum et dicta, sed ex iis etiam intima animi sensa rimabantur et vel domesti-

(1) Tacit. Annal. I. 15; Dio Cass. LVIII, 20. ibi v. Reimar. Sueton. Tib. 37; Pompon. II, § 9. D. de or. Iur.

corum fidem infestam reddebant. Quam ob rem nemo liberam vocem emittere audebat; vel taciti Imperatorum insaniam resque imperii ruentes adspiciebant, vel obculte et ambigue loquebantur, sortemque suam domi delitescentes lugebant. Inde quoque sermonis indoles et natura colorem traxit; quae, quum antea simplex esset et aperta, quandoquidem nemini fraudi erat, ea proloqui, quae cogitasset, nunc obscuritate quadam obvoluta erat et tecta, atque a naturali simplicitate in dies magis magisque deflexit. (2) Ipsa eloquentia foro relicto vel in scholarum umbraculis abscondita situ conrumpebatur, vel in senatu peregrino fuco oblita in laudandis Imperatoribus sententiisque illorum abiecte comprobandis erat occupata; quumque rerum argumentorumque magnitudo deficeret, inani verborum pompae sententiarumque tumori studebat. Sensu sublimitatis verae, decoris et ingenuitatis obtuso, studium conlocabatur in rebus minutis, et novitatis cupidine et acuminis ieiuni scriptores obscuri et inepti fiebant. Mutata rei publicae forma moribusque pristinis exutis, sermo quidem novis subinde dicendi rationibus et verbis passim auctus est, praecipue a peregrinis, qui undique ex provinciis Romam confluxerant, at multa contraxit, quae antiquam puritatem eius candoremque contaminarent. Multa plebeia et admista sunt, multa adulandi studium invexit; maior tamen conruptelae (3) pars grammaticorum et rhetorum scholis debetur, communique fere furori, quo ad versus conscribendos vulgo compellebantur, (4) omnisque eloquentia et poësis, quam

(2) Huc quoque imago pertinet, quam Tacitus (Hist. I, 2.) temporum, quae Neronis mortem insecuta sunt, adumbravit.

(3) Cur eamdem scripturae rationem servem, quae in deliciis habetur a quibusdam inter recentiores eruditis, conferentibus quae nuper adnotavi ad pag. 416 tomi XII Ciceronis, apertum erit. *T.*

(4) Carmina scribendi studium sub Augusto potissimum apud Romanos ita increbuit, ut ad elegantiam pertineret, versus scribere et recitare. Horat. Epist. II, 1. 108 seqq. et 2. 90 seqq. Illud studium, in quod tunc animi vel sponte inclinabant, ab Augusto ipso promotum est cum honoribus, quos poëtis concessit, tum bibliothecarum publicarum institutione. Hic morbus communis non imminutus sed potius auctus est sub sequentibus Imperatoribus, quum unusquisque, nisi animi causa aut otii fallendi scriberet, facilius et commodius poëtices studio nomen se inventurum esse arbitraretur, quam alia quacumque re graviori. Petron. 118. Etiam Tiberius, crudelissimus turpissimusque Princeps, Graeca et Latina poëmata fecit, Euphorionem, Rhianum et Parthenium (de quibus v. Suidam et Voss. de hist. Graec.)

non in naturae et ingenii dotibus, sed in observandis artium praeceptis positam existimabant, in pueriles declamationes abiit et in frigidum troporum et figurarum adhibendarum artificium. Iudicio veri et pulcri semel conrupto, placendi quoque studium scriptores in fraudem inlexit, ut non optima quaeque sequerentur, exemplaque veterum scriptorum imitanda sibi proponerent, verum ut ea chartis iulinerent, quae multitudini probarentur, quaeque in magna frequentia auditorum recitata maximas exclamationes plaususque excitarent. Neque vero ii, in quibus altior spiritus inerat, inmunes erant omnino ab illis vitiis, quae huius aetatis essent; plerique vigore et vi destituti aliorum vestigiis inhaeserunt, et in sententiarum vario ornatu occupati iuventionis et compositionis laudem neglexerunt.

Erant sane illa tempora nulli poëseos generi magis quam satirico adcommodata; nam morum conruptela, luxuriae et profusionis insania vitiorumque omnis generis inmanitas tanta erat, ut contemplanti haec difficile esset, satiram non scribere. Atque his temporibus vivebat *Aulus Persius Flaccus*, (5) natus *Volaterris*, vetusto Hetruriae oppido, sub Tiberio, a. V. 787. prid. non. Decbr. Fabio Persico, Lucio Vitellio Coss., (6) equestri genere, sanguine et adfinitate primi ordinis viris coniunctus. Flaccum patrem amisit annos fere sex natus. Vsque ad duodec-

in Graecis, in Latinis Messalam Corvinum imitatus. Sueton. in Tib. 70. cf. Tacit. Ann. I, 11; XIII, 3. Caligula quidem, qui caedibus, rapinis et stupris omnia miscuit, Virgilii et Livii scripta abolere tentavit (Sueton. Calig. 34.), ingenio illorum scriptorum et gloria offensus, verum illis favisse videtur, qui vel ipsius laudes canerent, vel libidini excitandae versibus suis inservirent. Ne Claudius quidem a Musis erat aversus. Sueton. Claud. 3. 28. 40. Plin. Epist. I, 13. Tacit. Annal. XIII, 3. Nero omnes liberales disciplinas puer adtigit, poësinque exercuit. Suet. Ner. 10, 52; Martial. IX, 27. Tres eius versus non ultimae notae profert Schol. ad Lucan. III, 261. Verum cf. Tacit. Ann. XIV, 16. Satiram quoque aut carmen scripsit, quo Clodium Pollionem, et alterum, quo Afranium Quinctianum, mollitia corporis infamem, perstrinxit. Sueton. Domit. 1. Tacit. Ann. XV, 49. Quamobrem Neronem ab Iuvenali IV, 106. tactum putant interpretes.

(5) Persii gentis raro in Romanorum monimentis mentio fit. Tempore belli Punici secundi circa 544 florebat C. Persius militari laude conspicuus. Annis post hunc paullo minus centum alter C. Persius urbanitate et doctrina insignis. Cic. de Orat. II, 6. Verum dubitari potest, an illi ad nostri Persii genus pertinuerint. Mentio quoque fit Persii poëtae Phocaeensis apud Polluc. in onom. IX, 6.

(6) Cassiodorus natum eum dicit anno sequenti, quod ab Eusebio forsan mutuatus est, quem vide in Chron. ad ann. 2050.

cimum aetatis annum Volaterris mansit. Tum Romam delatus ad *Rhemnium Palaemonem* grammaticum (7) et *Virginium Flaccum* rhetorem. (8) Annos sexdecim natus in disciplinam venit *Annaei Cornuti*, philosophi stoici, (9) eoque patre magis et amico, quam magistro usus est. Amicos habuit a prima adolescentia *Caesium Bassum* (10) et *Annaeum Lucanum*, quem per Cornutum cognoverat, poëtas, quorum ille lyricum, hic epicum poëseos genus secutus est. Erat Persius, ut auctoris eius vitae verbis utar, *morum lenissimorum*, *virginalis fere verecundiae*, *formae pulcrae*, *summaeque pietatis in matrem*, *sororem et amitam.* Adcuratiorem naturae eius atque indolis imaginem in scriptis, quae reliquit, expressam videmus, vividissimis quasi coloribus depictam, cuius pulcritudine adcensi vel inviti cogimur in iudicio de satiris eius ferendo id potius spectare, quod perficere potuisset, si vel aequiori Musis tempore vixisset, vel longior aetas ei subpetivisset ad ea polienda, quae satis pulcre incboaverat, quam iuveniles illos conatus ad severas critices regulas exigere. Est sane quod miremur, tantam gravitatem et constantiam in iuvene praesertim locuplete fuisse, ut omnes voluptates, quibus, ex illius aetatis opinione, vel honeste frui potuisset, respuerit, tantum virtutis et honestatis ardorem, quo eum quavis pagina abreptum videmus, tantam severitatem in omni mollitie castiganda moribusque effeminatis acerbe notandis, ut barbatum aliquem ex priscis Romanis existimes audire. Quod

(7) Rhemnius Fannus Palaemon erat nobilis grammaticus tempore Claudii. Verna natus literas didicit quum paedagogus esset, deinde manumissus Romae docuit. Erat *omnibus vitiis infamis*, *palamque et Tiberio et mox Claudio praedicantibus*, *nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam. Capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate orationis; nec non etiam poëmata faciebat ex tempore.* Sueton. de clar. gramm. 23. Quadragena annua ex schola cepit, nec paullo minus ex re familiari, cuius erat diligentissimus. Ibid.

(8) *Virginius Flaccus* rhetor sub Traiano mortuus est. Scripsit de arte dicendi. Quint. Inst. III, 1; Tacit. Ann. XV, 71.

(9) *Annaeus Cornutus Afer*, stoicae sectae aemulus, magnam humanitatis disciplinarum gloriam nactus est. Philosophiam Romae professus iuventuti ad sapientiam erudiendae omne tempus impendebat. Quum Neronem, insignem eruditionem adfectantem, libere dicto obfendisset, in exsilium est eiectus. Dio Cass. LXII, 29. conf. quae ibi in notis laudantur. Suidas in Κορνοῦτος Cornutum historicum, Livii aequalem, cum hoc philosopho confudit. adde not. ad Pers. Sat. V, 16.

(10) De hoc vide quae notata sunt ad Sat. VI.

autem maxime nos ei conciliat, est pietas sensus, quem erga Cornutum praeceptorem declarat, tam candidus et vehemens, ut quisque animadvertat, in rei magnitudine verbis adsequenda cum magnopere elaborasse, nec tamen sibi satis fecisse. Quibus virtutibus instructus dignissimus sane fuit amicitia et consuetudine *Paeti Thraseae*, (11) summi et clarissimi viri, quocum etiam adfinitate erat coniunctus. Decessit Persius vel septimo vel octavo anno imperii Neronis a. V. c. 815. Auctor vitae eius memoriae proditum reliquit, eum in pueritia *Praetextam* et *Odoiporicon* librum unum et paucos versus in socrum Thraseae Arriam matrem, quae se ante virum occiderat, scripsisse, quae omnia Cornuto auctore a matre Persii abolita sint. Porro, raro Persium et tarde scripsisse, librumque, quem nunc etiam habemus, ultimam manum eius non esse expertum. In huius ultima parte versus aliquot esse demptos, ut finitus videretur, Cornutumque ipsum nonnulla conrexisse, Caesioque petenti, ut ederetur liber, edendum tradidisse. Continet hic liber, a Quintiliano et Martiale laudatus, (12) praeter prologum sex satiras, non pari omnes dignitate, quarum prima ex duarum laciniis composita videtur, etiam ex quarta non pauca intercidisse probabile est. Vt adcuratius de illis satiris iudicare possimus, age videamus paucis, quid et qualis sit satira aut satiricum genus, quod a Romanis inventum, excultum et perfectum est.

Carminis genus, quod satirae nomine insignitum est, hoc habet propositum, ut mores emendet, eoque a libello seu carmine famoso differt, quo id agitur, ut aliquis indigno more

(11) *Thraseas Paetus* Patavinus. Tacit. Ann. XVI, 21. Gener *Caecinae Paeti* et *Arriae*, de quibus v. Martial. I, 14; Plin. Epist. III, 16; Dio Cass. LX, 16. Erat stoicus et admirator Catonis Vticensis, cuius vitam scripserat, atque vir antiquae plane virtutis et inter tot abiectissimos Neronis adulatores solus erectus et constans, intrepidus et gravis, notaque humanitate et clementia. Plin. Epist. VIII, 22, 3. Is Neroni invisus ob multas res, praecipue ob sententiam de Antistio. Tacit. l. c. XIV, 48. Tamen virtutem Thraseae vel invitus adnovit. Plut. reipubl. ger. praec. c. 14. T. XII. ed. Hutt. Adcusatus deinde, Tacit. l. c. XVI, 21, mortis arbitrium adcepit, venisque sectis obcubuit. Tacit. l. c. 31; Sueton. Ner. 37; Schol. ad Iuvenal. V, 36; Dio Cass. LXII, 26. Laudavit eum postea *Arulenus Rusticus*, quod ipsi sub Domitiano capitale fuit, liberque exustus est. Tacit. vit. Agric. 2 et 45; Sueton. Domit. 10.

(12) Quintil. X, 1. *Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit.* Martial. IV, 29. 7 seq.
Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in toto Marsus Amazonide.

infamia adspergatur. Verum ratio, qua satiricus utitur, non in eo posita est, ut praecepta tradantur virtutis, mores candidi laudentur, vitaeque honestas commendetur, verum diversam viam ingreditur, ridet stultitiam, carpit inprobos mores, scelera flagellat, atque, ut breviter dicam, τὸ ἐλεγκτικὸν satirico propositum est. Ad hanc rem non argumenta adhibet, ut morum praeceptor in scholis, aut turpitudine vitiorum communi ratione describit, sed omnes artes adsumit, quibus poëta uti possit et debeat, omnia loca et regiones quasi ridiculi, invidiae et indignationis perscrutatur, eaque inde depromit, quibus lectoris animum, quocumque velit, flectat, simulque teneat atque delectet. Neque vero de universo vitiorum genere agit poëta, sed ut cum personis iuncta esse soleant, loco quoque et tempore definito. Personae possunt esse vel fictae, ad vivum tamen expressae, vel verae, turpitudine notae atque insignes. Quo id adsequitur poëta, ut paucis tantum lineis ductis vividissima vitiorum imago eorumque turpitudo et deformitas ante oculos obversetur, quum hominis, cui ea insunt, sentiendi, cogitandi et agendi rationem velut oculis contemplari videamur. Omnes imagines et similitudines, quibus utitur, e vita communi petitae, aptae atque insignes debent esse, omniaque, quae proferuntur, ita temperanda sunt, ut agi videantur non narrari. Ratio, qua res tractari possint, multiplex est, partimque a poëtae indole et natura, partim ab argumenti ratione pendet. Semper autem impetu aliquo ductus satiricus videri debet vel ridendi vel carpendi, occasionemque oblatam adripuisse non quaesivisse; optimum igitur dicendi genus, quod adhibere possit, hoc est, quod sponte et e re natum, non diu quaesitum videtur. In quo etiam nec acerbitas nocet nec acrimonia, si res ita postulat, dummodo salibus et urbanitate quadam temperata sit, ne in mera convicia res abeat. Si vero studium adparet, omnis satirae vis quodammodo debilitatur et frangitur, praesertim id genus, quod risu et facetiis hominum stultitiam exagitat. Est quidam rerum ordo, qui primo adspectu solutus esse videtur ac liber, qualis esse solet, quum ipsi quieti imaginandi facultati permittimus in latissimum rerum campum, quaecumque lubet, exspatiari, quo tunc in animo res rebus, imagines imaginibus succedere soleant, prout vel simul iunctae fuerint, vel similitudine aliqua copulatae sint. Hunc ordinem imitabitur satirarum scriptor, summamque artem in omni artis suspicione amovenda declarabit.

His lineis de universo genere satirico ductis ad nostrum Per-

sium redeamus, paulloque adcuratius de eo genere disseramus, quod ille secutus est. Videamus igitur primum de argumentis, quae tractanda sibi proposuit, in quorum delectu magna cautio habenda est poëtae. Debent enim esse eiusmodi, ut per se iam lectorem quodammodo adliciant, nota quidem atque insignia, ita tamen animo comprehensa, ut novitatis quoque gratiam habeant, quamquam vel negligentius circumspicienti ubique obvia videantur. In prima satira egit Noster de inportuna scribendi et recitandi cupidine ac de pravo et conrupto venustatis et pulcritudinis iudicio. In secunda de precibus inprobis et ineptis. Tertia desidiosam et mollem Romanam iuventutem perstringit; quarta regnandi cupiditatem rerumque publicarum curam, eorum omnium ignaram, quibus niti debeat. In quinta de vera libertate agitur; in sexta de legitimo divitiarum aut rei familiaris usu. In prima, tertia, quarta et sexta non tam in delectu rerum peccasse Persium dixerim, quam in tractatione, tamen in tertia et sexta meo quidem sensu felicius versatus est. Secundae satirae argumentum minus aptum videtur satirico poëtae, ei praesertim, qui pietatis sensu tam vehementer inbutus est, quam Persius, quamquam Iuvenalis et hoc satis commode tractavit, verum declamatoria ratione magis quam satirica. Luciano risori melius res processit. Sed in quintae satirae argumento deligendo, non e vita communi, verum e stoicae disciplinae penetralibus deprompto, cuius sacris ne ipse quidem satis initiatus fuisse videtur, maxime forsan peccavit. Disputatio enim, quae subtili rerum a communi usu remotarum finitione nititur, in qua animus vel maxime ab oculorum et aurium consuetudine avocandus est, per se iam omnem poëticam tractationem respuit, quique eam nihilominus tamen tentaverit, is neque apud disciplinae rudes neque apud philosophos gratiam inibit. Eiusmodi enim quaestiones verbis scholae omissis, ut poëtae par est, commode tractari vix possunt, nec quivis lector subtilis orationis sensum capere valet, nisi stoicam rationem quasi in numerato habeat. Videmus quidem Persium operam dare, ut scholasticis compedibus liber ita loquatur, ut rem vel rudibus aperiat, verum ipsa eius contentio, quum felici subcessu destituatur, ingrata est lectori, obficitque interdum voluptati, quam ex quibusdam locis satis feliciter tractatis alioquin capere potuisset. Atque tota haec res, quum per se difficillima sit, si cuiquam umquam, ei tantum prospere cedere potest, qui id, quod tractare vult, penitius ipse inspexerit, ut ea seponat, quae omnino

vulgarem rationem non capiant, reliqua ad captum multitudinis adcommodet, magisque sensibus lectorum quam intellectui consulat.

Secundae, quintae et sextae satirae epistolarum forma induta est; sunt tamen proprie disputatiunculae poëticae ad Macrinum, Cornutum et Bassum missae, ex cogitatione aliqua graviori, fortuito quasi scribenti oborta, quam statim adreptam longius prosequeretur, natae. Iniquum videtur statuere, Persium in his Horatianam epistolam imitari voluisse, verum, quod sibi proposuerit, non fuisse adsecutum. Horatianas satiras ab epistolis eius et rebus, quae utroque genere continentur, et expositionis ratione diversas esse, iam viderunt veteres, (13) nuperque *Morgenstern* doctam disputationem de discrimine earum instituit. (14) Non exigenda haec Persii ratio est ad eam formam, quam lectis Horatii aut Iuvenalis epistolis forsan animus complexus ait, quum rationes et viae, quibus poëtae res tractandas efferre possint, innumerabiles sint, nec ad certum numerum natura adstrictae, praeceptaque et regulae huius vel illius formae aut imitatoribus aut lectoribus tantum scribantur, ut habeant, quod sequantur, aut ad quod in legendo adtendant, non poëtis, qui libero cursu, quo impetus et Musae ducant, sequuntur. Illae satirae aut Epistolae ad amicos missae eo consilio scriptae sunt, ut ipsi quasi inscriptionis honore amicique pietate gauderent, lectores vero, quorum ratio praecipue habita est, lectionis fructus colligerent.

Neque eorum opinio mihi probatur, qui perhibent, Persium eum rerum ordinem in satiris servare, quem dialectices regulae

(13) Statius Silv. I, 3. 103 seq.

(14) De satirae atque epistolae Horatianae discrimine. Lips. 1801. In hac disputatione (pag. 52. in notis) reprehendit Casaubonum, qui illas tres satiras epistolas vocaverit: *nam tres Persii satirae*, inquit, *sunt illae quidem quibusdam inscriptae, sed nonnisi dedicationis causa, quae tractandi modum nihil adficiat. Quosdam quidem versus secundae et sextae satirae praemisit, in illa quatuor, in hac sex, quibus Plotium, Macrinum et Caesium Bassum amicos adloqueretur. Sed versus isti aut nihil faciunt aut parum ad argumenti tractationem, quo in altera superstitiosos, in altera sordide viventes locis communibus castigat. At in quintae maxima parte Cornuti praeceptoris encomium pius discipulus prosequitur. Quod qui adfirmat Casaubonus, eum cave ne audias. Nam illa satira tribus et triginta versibus* (21—51, 62—64.) *habet Cornuti laudes. Cetera, quae desunt ad ducentorum versuum summam conficiendam, ad alios quosvis, quam ad Cornutum, pertinerent, nisi forte dicere velis, puerum dictata magistri reddere.*

praescribant. Videtur potius in hac re philosophus non satis adcuratus et subtilis, simulque poëta non satis solutus ac liber. Vnusquisque statim, quacumque satira perlecta, animadverterit necesse est, Persium non uno tenore argumentum detexuisse, sed in singulis partibus elaborasse, prout quaeque illi in mentem venerit, easque curiose interdum et diligenter ita expolivisse, ut ubique ornatum poëtae vel in singulis verbis adnoscas, deinde eas, neglecta arte, quae in commissura caelanda cernitur, composuisse, ut primo adspectu totius operis partes adpareant. Qua ex re conligas, inventionis ubertate rerumque copia magis illum destitutum fuisse, quam rerum singularum tractandi arte, qua probe instructus grammaticorum et rhetorum scholas reliquisse videtur. Poëtices porro ratio postulat, ut res, quas mente tantum et ratione videmus, ita tractentur et exponantur, ut omnia videantur in ea esse mutata, quae sensibus percipi possint. In quo genere Persius ab Horatio longe a tergo relinquitur: ad quos enim scopulos ille temere naufragium saepe fecit, eos prudenti consilio hic semper evitavit. Oblitus est Persius, eas Philosophiae partes, quae in rebus contemplandis positae sunt, eaque principia recondita, quibus morum disciplina nititur, non esse res vulgi, ineptumque esse, multitudinem harum rerum indicem constituere, coram quo philosophi causam suam agant. Etenim in huiusmodi iudicio facilius esse, illas res in risum et iocum vertere, quam gravi disputatione causam obtinere, Horatius non uno in loco comprobavit, neque quemquam fugit, quantos plausus scurrae passim et sanniones tulerint nostra memoria in philosophia critica deridenda, dum defensores eius doctissimi atque acutissimi non intellecti illi quidem causa cecidisse videantur. Innumerabiles praeterea sunt rationes, quibus Horatius usus est, ad rem aliquam haud raro vulgarem novitate aliqua et venustate commendandam, quae ingeniosissimum, versatissimum rationisque humanae peritissimum indicant, politissimorumque hominum commercio et consuetudine usum, quarum pauca tantum vestigia in Persio deprehenduntur. Neque sane est, quod mireris, ita se rem habere. Etenim satiricus in hominum frequentia debet versari, ut eorum ingenia, mores, vitae consuetudinem cognoscat, non in umbra et solitudine, in qua maiorem vitae partem Persius exegisse videtur. Qui quidem in hominum moribus et vitiis describendis summa utitur diligentia coloribusque exquisitissimis: sed in lineamentis, quae ducta sunt, non levem et quasi fugacem artificis manum, sed timentem et

in minutis adcuratam adnoscis, ut statim adpareat, naturam sibi ipsam eum non proposuisse, sed regulas secutum esse et praecepta, eaque imitando expressisse, quae iam ab aliis expressa viderit. Quae causa quoque est, ut loca quaedam non polita solum diligenter, sed cultu operoso undique conlecto paene rigida videantur, quaedam oratorio fuco adeo obducta, ut, quae subsint, nemo perspicere possit. Porro res, exempla, similitudines, quae proponuntur, non domi nata aut sponte oborta, sed schola videntur adlata, ideoque saepe non movent animum lectoris, nec inopinato feriunt, sed frigidum relinquunt adhibitae artis admiratorem. Quae vitia omnia, a quibus ne optimi quidem Romanorum poëtae omnino liberi sunt, ex praepostera rhetorum disciplina, quae tum maxime vigere coepit, repeti possunt, qua prius discerent iuvenes, quemadmodum inventa essent tractanda, quam ipsi rerum cognitione satis instructi, quae cuique argumento forent adcommodata, invenire et excogitare valerent: fierique omnino necesse fuit, ut, dum memoriae infinita illa praecepta inculcarentur, ipsique in legendis poëtis et oratoribus ad ea semper animum adtenderent, seque in illis adhibendis exercerent, ingenium neglectum exaresceret, omnisque generosior et altior spiritus aut exstingueretur, aut saltem quasi compedibus vinciretur, quae omnem liberum cursum retardarent et impedirent.

Dramatica ratio, qua saepe felicissime Horatius utitur, quaeque prudenter adhibita in satiris non ultima laus est, in Persio, qui eam quoque tentavit, multas creat difficultates. Etenim modo adversarium loquentem inducit, eoque dimisso statim alius in scenam prodit, non ille prior; nisi mavis statuere, parum cogitasse Persium, quas partes tuendas semel ei, quocum sibi rem esse finxerit, tribuerit, et inde modo hoc, modo illud defendentem induxisse. Saepe etiam imitatur tantum Noster aliorum sermonem, dictionemque naturae illorum et indoli adcommodat. Difficultas autem inde saepe oboritur, quod in ipsis dialogis non adcurate satis et ipsius et adversarii partes discretae sunt, ut statim cum ex iis, quae dicuntur, tum ex ratione dicendi ipsa intelligas, uter sit, qui loquatur, quum repente orationem excipiens ea dicere pergat, quae adversarius exorsus fuerat, tamquam eius vices sibi essent tutandae. Pertinet quidem haec ratio ad ironiam, sed magnam habet cautionem, ne perspicuitati officiatur, cui a poëtis etiam consulendum est, quae-

que ab iis tantum negligi solet, qui ingenio destituti aliorum inventis utuntur, novitatemque in ornatu solum quaerunt.

Verum in ironia adhibenda Persius saepe nequidquam laboravit. Non videtur enim illa elocutionis figura ardentis esse ingenii, nec ab eo facile posse tractari, cuius animus graviori aliquo commotionis genere conturbatur; est potius ludentis aut risui stultitiam salibus et facetiis propinantis. Quo etiam fit, ut Persius ab ironia, qua uti coeperit, statim deflectat, atque ad pristinam gravitatem et acrimoniam revertatur. Omnino quidem id vitio non verterim, si quis ironiam per totum opus non tueatur, quod ut fiat, a quibusdam pulchritudinis et venustatis doctrinae magistris velut lege sancitum videmus; neque ad Socratem confugio, ut illius exemplo hoc defendam, qui saepe serio dicta ironiae immiscuerit: sed in ipsa ironiae natura situm hoc esse existimo, ut eius vis tum praecipua sit, quum quasi ambigi possit, utrum serio dictum sit, nec ne, id quod tum maxime adcidat necesse est, quum iis, quae ficta mente dicta sint, serio dictis distincta videamus. Verum hoc exquisitiori ironiae genere numquam utitur Noster, semperque fere rem vel adeo deprimit vel exaggerat, ut vel stupidissimus mentem veram possit divinare. Raro igitur in hoc genere pungit, aut aculeum alte in animum demittit, sed id tantum efficit, ut res studio deformata et distorta risum moveat.

Iam de dicendi genere, quo Persius usus est, pauca dicamus. Non est illud hilarum, iocosum, facetum et urbanitate salibusque temperatum, quo Horatius lectores tantopere detinet ac delectat, sed triste plerumque, severum, mordax, acerbitate et acrimonia plenum. Non ridet stultitiam, sed flagello increpat vitia et turpitudinem. Ingenium nactus forsan natura tristius, modestiusque a parentibus in solitudine paene educatus, Romam quidem sed ad grammaticos et rhetores delatus est, deinde in disciplinam Cornuti venit. Hic generosus ille animus iuvenili ardore stoicorum praecepta adripiens e praeceptoris sermonibus res humanas, non ut sint, sed ut esse debeant, cognovit, atque, ut solent, qui erectioris et ardentioris ingenii sunt, formam et imaginem illarum mente concepit, ad quam deinde omnia, quae audisset vidissetve, exigebat. Quae quum animadvertisset ab illa norma longius aberrare, eaque saepe derideri, quae sibi extra omnem dubitationis aleam posita esse viderentur, gravi indignatione adcensus est. Haec deinde quum premenda esset, vixque tuto inter familiarissimos posset effundi,

non solum vehementer aucta est, verum etiam in acerbitatem et acrimoniam abiit. Quae acerbitas praecipue se exseruit in sententiarum conformationibus, in tropis figurisque deligendis, in quibus extrema semper, quae sermonis ratio subpeditet, sequitur, nec semel vel omnem usum et consuetudinem, ut nobis quidem videtur, migrat, ut ea, quae proponat, indignationis vehementiae respondeant.

Hinc magna ex parte aliud vitium ortum est, quo Persii scribendi genus laborat, ambiguitas et obscuritas, quae etiam aucta est brevitatis studio, cui ex stoica forsan disciplina nimium adsuevit, et sententiarum argutiis, quibus tunc homines delectabantur. Verum, ne gravius aequo de Persio conqueramur, hoc utique tenendum est, obscura nos dicere, quae a nobis non perspiciantur, instoque breviora, quae rem, nunc quidem ignotam, significent tantum, non exprimant, nostram rerum cognitionem, nostrum sermonis Latini usum respicientes. Quis autem non intelligit, quae nunc obscura vocamus, perspicua aequalibus esse potuisse, quae nunc dura videntur, ex parte tunc usu fuisse mollita; etiam brevitatis studium, quod nimium esse iudicamus, aut nullum aut modicum iis videri potuit, quibus res ipsae tam notae essent, ut uno verbo abunde ad intellectum indicarentur. Quod si enim tam obscurus aequalibus visus fuisset, quam quibusdam ex recentioribus, qui potuisset censuram Quintiliani effugere, qui perspicuitatem non solum in oratore, verum etiam in poëta requirit? Atque, si volumus verum fateri, loca aeque obscura in quibusvis auctoribus deprehenduntur, difficilioraque passim aenigmata nobis solvenda fuissent, nisi ea veterum grammaticorum diligentia occupasset, atque explicata nobis tradidisset. Verum enim vero prope dixerim, ridiculos eos esse, qui Persium obscuritati studuisse perhibeant, ut delatorum periculum effugeret, aut Neronis iram evitaret. Quasi istis temporibus vel levissima suspicio non vim ipsius delicti habuerit, aut Persius arbitratus sit, Neronem id non esse intellecturum, quod ab omnibus reliquis intelligi optaret. Mihi quidem verisimile videtur, Persium de edendis satiris tum, quum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum in animo habuisse, aequiora tempora exspectare, ut Iuvenalis, ut ipse Tacitus fecit, sed morte eius praematura illud opus imperfectum in amicorum manus venisse, ut ipse vitae auctor, quisquis ille tandem sit, testatur. Quid hi resecuerint vel inmutaverint vel castigaverint, aut quando satiras illas vulgaverint, ipsi vitae auctori ignotum fuisse videtur.

Quod enim dicit, Cornutum unum versum in prima satira mutasse, ne eum ad se traheret Nero, (15) tam absurdum est, ut mirer fuisse, qui huiusmodi quid serio repeterent, nec intelligerent, ex varia codicum lectione grammaticum nescio quem illud somniasse. (16)

In morum turpitudine carpenda dum versatur Persius, res adeo ei indigna atque intoleranda videtur, ut, iudicio ex nostro sensu lato, verbis et dictionibus utatur obscoenis, et in tropis figurisque deligendis omnem modum ita excedat, ut interdum, quid sibi velit, plane nesciamus. Atque, si rem adcuratius consideramus, adparet, eum non illa abominanda adtigisse, quibus homines tunc passim erant coutaminati, sed leviora tantum, et iam dudum, praesertim a delicatulis, more recepta, ad immodicum corporis cultum effeminatamque mollitiem magis, quam ad morum infamiam voluptatumque turpitudinem spectantia. Quid? si ea castigasset, quae Iuvenalis quibusdam locis exagitat, quibus tandem verbis eum usurum fuisse existimemus? Verum illae dictiones, quas adhibuit, rebus, quae notantur, adcommodatae sunt, nec dici potest, eum indignatione abreptum virgineum illum pudorem, quem vulgo illi tribuerunt, exuisse, quum illa verba tunc vel a viris honestis usurparentur, nec Cicero erubuerit in Philippicis suis de rebus foedioribus verbis etiam obscoenioribus uti.

Vt ubique artem redolet Noster, sic etiam in versuum concinnitate numerorumque gravitate et canore. Qui versus, ab Horatiana levitate et negligentia longissime remoti, non tam ob

(15) Verba, quae leguntur Sat. I, v. 121: *Auriculas asini Mida rex habet*, narrat vitae auctor Cornutum ita satis absurde mutasse: *Auriculas asini quis non habet.*

(16) Vitae auctor praeterea haec habet: *Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus* eet. Sic haec Reizius exhibuit, quae aliter apud alios, semper tamen ita leguntur, ut nullus sensus idoneus inde elici possit. Ceterum hoc ita non esse adcipiendum, quasi nunc satira sexta manca sit, quae procul dubio integra est, iam Casaubonus monuit; idemque existimat, versus illos deletos ad novam satiram pertinuisse inchoatam tantum nec dum finitam. Addit praeterea: *Etsi vero certum est, recte Persii librum hodie in sex satiras distingui; in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem invenimus: in multis enim codicibus quinque solum satirae numerantur, quarta ad tertiam adiuncta: in quibusdam continuus est unus liber, nulla satirarum facta distinctione. Sane Priscianus, atque alii grammatici antiqui, quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant.*

id praestantiores existimandi sunt, quam colori, quem Persius satiris suis induxit, aptiores. Non vacat varias doctorum virorum super hanc rem opiniones conligere, quae passim longius, quam a doctrina et elegantia illorum exspectari potuisset, a vero aberrasse videntur. Hoc mihi quidem certissimum videtur esse, virtutes hexametri ab Horatio melius et accuratius esse perspectas, quam nunc ab acutissimis criticis possint intelligi, eumdemque non tam inexercitatum in iis condendis fuisse, quam nunc ex negligentia, quae tamen procul dubio quaesita est, conligere se posse quidam opinantur. (17)

Qui Graecis literis imbutus monimenta Romanorum poëtarum perlustravit, eum non fugit, praestantissimam ingenii partem, quae cernitur in inveniendo, omnibus paene, ex parte saltem, defuisse, eosque non tam inventores rerum esse vocandos, quam imitatores Graecorum et ab eorum exemplis pendentes. Est enim in populorum aetatibus et singularis hominis vita et institutione quaedam similitudo. Omnium mentis facultatum memoria et imaginandi vis prima se exserit, perfectionemque aliquam attingit et maturitatem cum in pueris seu adolescentibus, tum in populis rudibus nondumque excultis. In hac aetate, multis simul aliis rebus in hoc conspirantibus, poëtae solent nasci a natura sola docti atque instituti. In qua aetate quum populus Romanus esset, ingenium minus ei defuisse dici potest, quam otium rerumque ad vitam sustinendam adfluentia quaedam et certus animorum sermonisque cultus. Praeterlabso illo tempore non Musarum sedes ipsi frequentasse, sed commercia cum illis per Graecos quasi internuncios celebrasse existimandi sunt. Inde factum est, ut omnes Romani poëtae a Graecis pendeant, a quibus omnia fere iam occupata invenerant, magisque semper imitationi, quam inventioni studuerint, ita ut recentiores antiquiorum vestigiis insistere soleant. Vt Horatius Lucilium, qui tamen novi generis carminum auctor est habendus, si formam spectes, non materiam, liberiori tamen incessu secutus est, ita Persius ex Venusino fonte hortulos suos rigavit. In explorando autem, quantum Noster Horatio debeat, Casaubonus curiosius, paene

(17) Recte Morgenster l. c. pag. 30 seqq. hac de re iudicat, at paullo severius pag. 47. in notis addit: Persio quidem in tristi illo supercilio, in singulari illa orationis obscuritate maxime opus erat concinnis versibus et canoris, *ne omni dote*, quae praeter sanctum pectus poëtae posset lectorem tenere, carerent poëmata austera.

dicam, iuiquius, quam par est, versatur, quum solum non dictiones sed singula paene verba rimetur, quae utrique communia fuerint, et in quae uterque sponte incidere potuerit. Verum Persii imitatio Horatiana non solum in dictionibus et verbis, sed etiam in sententiis, quas suo more tractavit, cernitur, ad quod imitationis genus Casaubonum minus adtendisse iure mireris. Non dixerim tamen eum omnia satirarum argumenta ex Horatio sumsisse, multoque minus loca in illius satiris et epistolis definiverim, quibus lectis Persio in mentem venerit, hoc vel illud argumentum detexere. (18) Haec sane lubrica est iudicandi ratio, ex qua etiam ea cuique scriptori subtrahere liceat, quae tamen propria eius siut, neminique antiquiori debeantur. Isto modo quis prohibeat, quominus dicamus, et Iuvenalem Persio multa sublegisse: nam is quoque eodem dicendi genere passim utitur, quo Persius usus est, et eadem argumenta tractat, quae ab illo tractata sunt. In rebus huiusmodi diiudicandis semper ante oculos habere debemus, fieri potuisse, ut scriptores eodem sermone usi et neque temporum neque locorum ratione a se longe diversi in eadem saepe iuciderint, parique modo iisdem rebus adfecti easdem imagines, dictiones et verba adhibuerint, praesertim si ea eiusmodi sint, ut non recens cusa sed consuetudine sermonis iam recepta et in medio posita fuisse videantur.

Verum, inquis, iste poëta tam longe ab eo, quem secutus fuerat, relictus, in quo tot tantaque desiderantur, num dignus est, qui legatur? Vtique dignus est, et voluptatem eius lectio suppeditabit et utilitatem. Sunt enim loca quaedam in illis satiris satis bene tractata; incidet lector in imagines et similitudines novas et non ineptas; deprehendet mores et ingenia hominum adcurate delineata; movebunt eius animum sententiae illustres et graves; ostenduntur hic et illic ingenii igniculi, qui desiderium adolescentis praematura morte erepti excitabunt. Ipseque virtutis amor pietatisque sensus, qui ubique ostenditur, efficiet, ut auctor nobis probetur, etiamsi facultate poëtica minus fuerit.

(18) Auctor disputationis Germanicae de A. Persio existimat, ad primam satiram scribendam Persium adductum esse per Horat. Epist. I, 19; II, 94 seqq.; ad secundam per Epist. I, 17. 57. et Satir. II, 3. 284—293; ad quartam saltem ex parte per Epist. I, 16; ad quintam per Sat. II, 7. Plura etiam ex sexta satira ad Epist. I, 2. 145—198. formata esse putat.

instructus. Ac quum Virgilio lecto nec Lucanum nec Silium nec Statium fastidiamus, cur Persium negligamus V nosina Musa delectati, qui, meo quidem sensu, lectorem ab Horatii lectione recentem magis delectabit, quam Statius placere possit, quum Virgilio deposito statim ad eum adcesseris. Ceterum antiquitatis studiosis Persii lectionem fructuosam esse, equidem vix monendum esse existimo.

Magno plausu etiam satiras editas confestim exceptas esse, memoriae prodidit vitae Persii auctor, (19) idemque Martialis testatur et Quintilianus, Patribusque ecclesiae probatum illum fuisse indicant loca, quae passim ex Persio protulerunt. (20) Etenim vel ea ipsa, quae nunc scriptoribus vitio vertere iure solemus, multis tum quodammodo probata erant, sententiarum argutiae, dicendi genus concisum, translationes audaces et obscuritas quaedam orationi inducta. (21) Verum fieri non potuit, quin, quum et res, quarum mentio fit in satiris, coepissent ex parte ignorari, et dicendi genus a vulgari ratione in dies magis magisque discrepare, inter obscuros scriptores Persius referretur, grammaticique ad eum explicandum se adcingerent. Fuerunt, qui putarent, Persii satiras a Cornuto scholiis instructas in lucem prodiisse, atque ex iis scholiis decerpta quaedam fragmenta iis adhuc inesse scholiis, quae nunc circumferuntur. A quorum opinione equidem tam longe absum, ut putem, Persium antiquitus nullis scholiis fuisse instructum, quum iis nihil opus esset aequalibus eius, quibus et cognitae res et sermonis ratio notior erat. Quin probabile est, ne Hieronymum quidem codicem manu exaratum Persii scholiis ditatum aut ante oculos habuisse aut cognovisse, alioquin tam acerbum de obscuritate illius iudicium non tulisset. Neque in scholiis, ut nunc sunt, ullum antiquitatis vestigium adparet; pleraque sunt eiusmodi, ut unusquisque non plane ineptus, lecto aliquo loco, eadem adlinere posset, quia nihil iis inest, quod non ipsis auctoris

(19) *Editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt.* Et paullo supra: *Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore.*

(20) E. g. Lactant. III, 16. 15; VI, 2. 11. Augustin. de Civ. D. II, 7.

(21) Quintil. instit. VIII. 2: *At pervasit quidem iam multos ista persuasio, ut id iam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit.* Et IX, 3: *Verborum figurae et mutatae sunt semper, et utcunque voluit consuetudo mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est.*

verbis continuatur; pauca tantum ex aliquo grammatico non nimis vetusto temere decerpta videri possunt. Sed nescio quo fato id adcidisse dicam, ut nullus locus difficultate aliqua insignis aliquid lucis nactus sit ex illis scholiis, nam vel omnino silent, vel ea explicant, in quibus nemo haereat. Nihilominus tamen ea scholia *utilissima* in Persium passim etiam a doctissimis viris vocantur. Verum quum in antiquioribus editionibus scholia proferantur pleniora, quam ea, quae Casaubonus editioni suae adiecit, nonnullaque a viris doctis inedita laudentur et in bibliothecis adhuc latentia, tota ista de scholiis disputatio ei, qui melioribus praesidiis instructus est, relinquenda mihi videtur.

A. PERSII FLACCI

SATIRAE

PROLOGVS

ARGVMENTVM

Forsan iam Persii aetate more erat receptum, peculiari aliquo carmine reliquis carminibus praeludere, illudque diverso metri genere enuntiare. A poëtis Persio recentioribus haec ratio magis etiam frequentata esse videtur; in primis eam adhibuit Claudianus. Fuerunt, qui statuerent, hunc prologum ad primam satiram pertinere, in quo quid secuti sint, equidem videre non possum. Ceterum sententiam prologi ratione vulgari expressam hanc esse existimo: Quamquam talia de me praedicare non possum, qualia nostri poëtae de se praedicant, neque ullo Musarum commercio usus sum, quo illi usos se esse gloriantur, quos nostra aetas tantopere amplexatur et in pretio habet: tamen carmen meum illorum sacris (diviniis illis carminibus) addere audeo. Potest enim fieri, quemadmodum usus docet, ut aliquis carmina scribat, longe alia re, quam a Musis instinctus; nam fames, ut hoc utar, quae aves ipsas humanam vocem imitari docet, mirus est artifex, et auri spes non dici potest quam praeclaros versus interdum extorqueat.

Nec fonte labra prolui caballino,

COMMENTARIVS IN PROLOGVM.

Vers. 1—3. Equidem carminum faciendorum facultatem solenni illo more nactus non sum, quo nactos se esse eam reliqui poëtae gloriantur, neque bibi ex Hippocrene, neque somniavi in Parnaso.

1. *Nec labra prolui. Proluere* pro madefacere, rigare saepe ponitur; *proluere se vino*, aut *prolui vino* pro potare vinum, vinum largius haurire. Quae vis huic quidem loco per se bene conveniret. Nam ut poëtae antiqui, qui quidem modestiores essent, se bibisse tantum ex Musarum fontibus dixerunt, eorum imitatores non poterant esse modico illo haustu

contenti, ipsique aqua illa, Apollinis et Musarum numine et vi quasi medicata, probe repleti esse videri voluerunt. Sidon. Musas vocat *madidas potata ab Hippocrene*. Illud igitur ipsum potuit Persius ridere, quum illa dictione uteretur. Verum dixit: *Nec labra prolui*, h. e. ne primoribus quidem labris sacros illos fontes adtigi. Hom. Il. χ, 495. *χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνε.* Qui existimant, largiorem haustum his verbis indicari, a pecudibus hoc ductum putant, quae vehementer sitientes non labra solum, sed totam proboscidem aquis inmergunt. Verum hoc alienum videtur. *fonte caballino*, i. e. Hippocrene, quem fontem Pegasus, ut aiunt, ungulae ictu protuilt. Inde Propertius (III, 2. 2.) eius aquam vocat: *humorem Bellerophontei equi*. In adiecto *caballino* non est argutandum, ut existimes, Persium minus honestiori vocabulo usum esse, ut fontis religionem rideret, quia *caballus* equum saepius minus generosum significet. Hoc enim non semper ita se habet; cf. Iuvenal. X, 6. Auson. Epist. IV, 8. Forsan retinuit hoc vocabulum ab iis poëtis usurpatum, quorum stultam adrogantiam perstringere instituit. Non solum ex hoc Persii loco, verum etiam ex multis aliis poëtarum, in primis recentiorum, adparet, et illi fonti et aliis quibusdam singularem vim fuisse tributam, ut aquae illorum haustae facultatem poëticam inspirarent. Homeri et Hesiodi aetate haec opinio nondum erat nata. Neque apud tragicos et Pindarum tale quidquam leginius, quamquam fontium Apollini sacrorum mentio ibi fit. Primum huius rei vestigium occurrere videtur apud Moschum Idyll. III, 77 seqq. Ἀμφότεροι (Homerus et Bion) παγαῖς πεφιλαμένοι, ὃς μὲν ἔπινε Παγάσιδος κράνας, ὁ δ' ἔχεν πόμα τᾶς Ἀρεθούσας. Cuius loci sensus mihi videtur: Vterque erat poëta insignis, alter epicus, alter bucolicus. Verum, an ex illis verbis conligi possit, Homerum ex Hippocrene epici carminis, Bionem ex Arethusa pastoritii facultatem hausisse, dubitari saltem potest, nec huius loci et temporis esse puto, ulterius hac de re quaerere. Mirum sane videri potest, quod Pausanias IX, 28 seq., ubi de Helicone eiusque fontibus loquitur, huius rei mentionem nullam facit. Etiam Plinius maior cum Strabone, quorum uterque loca illa et fontes recenset, neglexisse saltem illud videtur. Solus fere Solinus c. 9. hanc rem verbo tantum adtigit. Videtur itaque hoc recentiorum poëtarum commentum esse, inde forsan natum, quod fontium et aquarum haustu celebrium commoratio in aliquo loco et sedes exprimeretur, simulque quod enthusiasmus, furor ille Bacchicus, quo saepe poëtae abreptos se finxerunt, a bibendo plerumque repeteretur. Fortasse etiam haec opinio, Castaliam bibentibus vaticinandi facultatem impertire, antiquior fuit (Lucian. Iov. Tragoed. T. II. p. 675. ed. Reiz.), illiusque commenti ansam praebuit, quod, quum de uno fonte aliquis poëta insignis finxisset, ab eius imitatoribus ad omnes fontes facile transferri potuit, qui Apollini et Musis sacri essent, mirumque in modum variari atque exornari. Iam apud Propertium (II, 8. 19 seq. ubi v. Passerat. Brouckh. et Burm.) rem adeo excultam deprehendimus, ut, discrimine fontium facto, ex Hippocrene et Aganippe maiores, ex Permesso minores poëtae biberent. Sic quoque fons, unde hauserit poëta,

Neque in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconidasque pallidamque Pirenen

pro carminis genere ponitur, quo usus est. Ex hac re fontes illi varia epitheta nacti sunt; Stat. Silv. I, 2. 6. *vocalis unda e Pieriis fontibus*; cf. II, 7. 12. et V, 5. 2. *docti amnes*; I, 4. 25. *enthea Pimplea, conscia Pirene*; Analect. Brunk. T. II. pag. 344. ἀοιδοτόκοι πηγαί; T. I. p. 218. κράνας Ελικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ.

2, 3. *Nec in bicipiti Parnaso somniasse Memini*. Hoc quoque ad ridiculas poëtarum praedicationes spectat, inde forsan uatum, quod opinabantur, quibus in locis vel Deo vel Deae consecratis somnum caperent, ab horum numine sibi aliquam facultatem inpertiri. Ad ridiculum augendum dixit: *nec somniasse memini* pro: nec somniavi; potuisset scilicet fieri, ut illius rei tam memorabilis oblitus sit. *repente*, temporis momento. *sic*, ut eram ante somnium, sine ulla meditatione et studiis ad rem poëticam pertinentibus. *prodirem* sc. somno in Parnaso capto plane mutatus ab illo, qualis ante somnum fueram. *Prodire* est Graecum ἐπανέρχεσθαι. Epict. 22. ὅτι ἄρνω φιλόσοφος ἡμῖν ἐπανελήλυθε. Ad poëtarum sacra rite colenda non solum requiritur ingenium, verum etiam studium acerrimum multusque usus, quae res poëtis, quos respexit Noster, quique huiusmodi aliquid de se praedicabant, maxime deesse solebat. Quapropter ii, quum gloriarentur, se vel bibendo ex Hippocrene vel somniando in Parnaso repente poëtas factos esse, eo ipso ridendos se praebebant.

4. *Heliconidas*, Musas, a monte Helicone, ubi maxime colebantur, sic dictas. vid. Hesiod. Gen. Deor. princ. Pari ratione vocabantur *Olympiades*, *Parnasides*; sic a fontibus *Castalides*, *Pimpleades*. *Pirene* fons erat in Acrocorintho. *Pirene* vel Acheloi vel Oebali filia vi lacrumarum, quas ob mortem Cenchriae filii ab Artemide interfecti profuderat, in fontem mutata esse dicitur. Fons ille erat inlustris. Pind. Olymp. XIII, 84 seqq. ibi Schol. Ovid. ex Ponto I, 3. 75. Iuxta fontem erat Apollinis simulacrum. Inde et huic fonti vis aliqua tributa est carminum facultatem bibentibus inpertiendi. Religio huius fontis satis antiqua videtur esse, legimus enim in Euripid. Med. 69. σέμνον ὕδωρ Πειρήνης. Ibi Schol. narrat, Aesopum Oceani filium hunc fontem in gratiam Sisyphi invenisse. Huc pertinet Honesti epigr. 4. Analect. Brunk. T. II. p. 289. Pegasum e Pirene bibentem captum esse a Bellerophonte tradidit Schol. Pind. ad l. supra l.: eam ob rem Pegasus vocatur Πειρηναῖος πῶλος Eurip. Electr. 475. et Statius (Thebaid. IV, 60 seq.) disertis verbis et hunc fontem pulsu ungulae Pegasi ortum esse dicit, in quo sane non errasse, ut quidam volunt, sed antiquam narrationem secutus esse videtur, quam et Euripides l. c. fortasse respexit, quae ad nos perlata non est. Verum cur huius fontis potissimum mentionem facit Noster? Ratio in promptu est, quia poëtae huius aetatis, quos vellicat Persius, ex hoc fonte minus vulgari se bibisse frequentius simulabant. Difficiliorem explicatum habet epithaton *pallida*. Alii ad luctum *Pi-*

Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.

renes, matris Cenchriae, alii ad studium seu pallorem poëtarum labore contractum id trahunt. Vtraque ratio dura esse videtur, posterior tamen priori probabilior. Sed cogitandum est, in hoc laborasse poëtas, ut multa scriberent: nam illud studium, quo adsidue carmina poliantur et perficiuntur Noster intelligere non potuit.

5, 6. *illis remitto*, sensus: Omnibus de Musarum commercio et potatione aquarum Musis sacrarum praedicationibus ego non utar, easque, quamquam in medio positas, illis proprias cedo. Hanc vim illud *remitto* h. l. mihi habere videtur. *quorum imagines lambunt Hederae sequaces.* Sub Imperatoribus literarum studium vel colentibus vel similantibus poëtarum celebrium *imagines* vel hedera vel lauro coronatae in bibliothecis cum publicis tum privatis exponi ornatus causa solebant. *Hederae* proprie Baccho sacrae; quoniam autem in eius comitatu Musae ideoque poëtae inveniuntur, hi quoque hedera cincti repraesentantur. Orpheus Arg. 7 seq. ait se Bacchi et Apollinis κέντρῳ ἐλαυνόμενον. A Dioscor. in Anal. Brunk. T. I. p. 499. ep. 25. Ελικὼν vocatur εὔκισσος. *sequaces* naturam haederae exprimit. *lambunt*, ut Virgil. Aen. II, 684. A lingua hoc ad flammas et h. l. ad folia translatum, quae flammarum figuram referunt. Consulto magnifica ratione dicendi Noster utitur, superbiae et fastui illorum poëtarum adcommodata. Illa remitto, dicere vult, poëtis praestantissimis vel illorum ipsorum vel stolido vulgi iudicio. Petron. 83. *Poëta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quae etiam ad imperitos deferre gratia solet.*

Ipse semipaganus. Quanta magnificentia verborum de illis poëtis locutus est, tanta modestia per ironiam de se loquitur, et illorum doctissimorum et Musarum commercio honoratorum virorum amplitudini quasi adsurgens *semipaganum* se vocat. *Paganus* est rusticus, et obponitur militi. H. l. *semipaganus* is est, qui non proprie inter poëtas est referendus, quum bibendo ex Hippocrene somniandove in Parnaso non sit initiatus.

7. *Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.* *Sacra* obponuntur vulgaribus; sunt igitur ea, quae ad omnium intelligentiam non veniunt, ideoque arcana cuiuscumque artis et disciplinae non nisi artem colentibus nota. Possunt itaque sacra vocari praecepta artis poëticae et carmina ipsa. Bene Noster ironiam tuetur, et vocat carmina istorum poëtarum *sacra vatum*, quasi familiariori Musarum commercio earumque adflatui proprio debeantur, suum contra opus simpliciter *carmen*. Hoc *carmen* adferre se *semipaganum*, ait, *ad sacra vatum*, i. e. addere *sacris vatum*, carminibus illis ab Apolline et Musis dictatis. Sic egregie *semipaganus vatibus*, *carmen sacris* obponitur. Sensus hac ratione simplicissimus oritur: Carmen hoc meum edo et, qua par est, modestia praestantissimis poëtarum operibus iam evulgatis adiungo. Alii, inter quos Lambinus, sub *sacris* illa carmina poëtarum intelligunt, quae ad-

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenîque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas et poëtrias picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

servabantur in bibliotheca Apollinis Palatini, quo auctores scripta sua deferre et recitare solebant. Hoc non displicet, verum cave existimes, Persium de delatione carminis sui in illud templum et de recitatione cogitasse.

8—14. Subiicit Persius rationem, quid sit, quod, quum non sit poëta initiatus, carmina scribere nihilominus audeat. Sunt aliae res, inquit, praeter memoratas, quae ingenium hominibus largiri soleant, fames et auri spes. Haec ita extulit, ut eae causae, quas exempli tantum gratia protulisse videri vult, ad illos poëtas transferri posse videantur, tecteque innuatur, quid proprie intelligendum sit, quum illi gloriantur, se somniasse in Parnaso aut bibisse ex Hippocrene.

8, 9. Vel natura infantes fame eloquentes redduntur. Hoc expressit similitudine a psittaco et pica sumpta, quas vulgo ad imitandas voces humanas condocefaciunt, per interrogationem. *Quis expedivit psittaco* i. e. quis fecit, ut psittacus facile eloqueretur. χαῖρε, humanitatis verbum, quo psittacus intrantes salutabat. *verba nostra*, voces humanas. *conari*, cum delectu; *conamur* enim ea, in quibus periculum facimus, et quorum perficiendorum facultas adhuc nobis deest. Quintil. Inst I, 1. *Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur.* Bene itaque hoc de ave dicitur, quam homines condocefaciebant voces coram recitando, quas imitaretur. Ceterum ad luxum pertinebat, psittacos alere et picas, ut intrantes domum salutarent.

10. *Magister artis.* Fames nempe omnes ad omnia dociles reddit. *ingenii* h. l. facultatis poëticae.

11. *artifex sequi*, Graeca constr. et duriuscule pro: artifex in condocefaciendo, ut *sequantur*, adsequantur, exprimant. Per gradus Noster bene adsurgit ad vim famis exprimendam; ea non solum rudes instituere (*magister artis*) verum etiam plane ineptos aptos reddere potest (*ingenii largitor*), quin, quod natura omnino alicui negavit, ei largiri. *negatas* sc. a natura.

12. *refulserit* pro: ostentata sit, vel a stella salutari, quae nautis subito in tempestate adparet, vel ab auri et argenti fulgore sumptum. *nummi dolosi*; qui homines quasi circumvenire et ad ea perducere solet, ad quae apti non sunt.

13. *Corvos poëtas et poëtrias picas*, mares ineptos ad poësin et feminas garrulitate tantum insignes.

14. *Pegaseium nectar. Nectar* h. l. legendum esse iam Barthius monuit ad Calpurn. Sic. Eclog. IV, 151. *Ne-*

ctar vocat carmina sua Pindarus Olymp. VII, 12 seq. et Theocrit. Idyll. VII, 82. cantum. Cantus enim et oratio saepe cum flumine dulci, quod e canentis ore fluit, comparatur, Homer. Il. α, 249. ut eum imbre, Nestor. Larand. Ep. I. Anal. Brunk. T. II. p. 344. ἡδὺς ὄμβρος Ἑλικωνίδος ἀοιδῆς, et cum dulci potu Ovid. ex Ponto III, 4. 55. Martian. Capella lib. IX. *Post hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaseae vocis nectare diffluebat.* Quo loco Martianum respexisse Persii versum existimat Vossius in Instit. Orator. IV, 12. 1. H. l. *nectar Pegaseium* est tam dulce carmen, quam Hippocrenes latices ipsi esse finguntur. qui ab Honesto in Analect. Brunk. T. II. p. 289. Epigr. 3. νεκτάρεαι λιβάδες Πηγάσιδος κρήνης vocantur.

SATIRA I.

ARGVMENTVM

Ambitiosam nobilium in carminibus condendis vanitatem, qua omnia ad ostentationem, neglecto veri, honesti et simplicitatis studio, comparentur, severe reprehensurum poëtam amicus quidam superveniens a proposito dimovere conatur, et sermone super hanc rem instituto initium huius satirae continetur. Ordo sententiarum hic est: Operam ludis scribendo, scripta enim tua nemo leget. — Quid hoc ad me? quasi vero curem pravum meorum civium iudicium, quorum mores omnino gravem censuram merentur. — Sed heus, quis te censorem creavit? — Gravitati et severitati aetatis meae munus hoc convenit. — Non mandabitur tibi, inquam. — Nihilominus tamen vel invitis omnibus, natura vel invitum impellente, scribendum mihi est. v. 12. *Iam ipsius argumenti tractatio incipit, quae est ex dramatico genere. Inducitur enim aliquis, qui praeposteram et inportunam illius aetatis scribendi pruriginem defendat. — Scribimus sublimia. — Scilicet, interpellat eum Noster, ut habeas, quod recites coram hominibus iudicii corruptissimi, quibus probari vehementer cupis.* v. 23. — *Quid alioquin iuvat summo cum labore aliquid didicisse?* v. 26. — *Quasi vero scientiae fructus pendeat omnis ab hominum existimatione, nihilque in se pretii habeat.* v. 27. — *Ain' tu? parvi pendis in ore hominum esse, in scholis tractari, inter pocula frequentari ac laudari, beatus post mortem eo futurus? Quid rides? an erit, qui immortalitati inservire recuset?* v. 43. — *Sentio equidem, quid sit merito laudari; verum adclamationes istas* : Euge! *et* Belle! *quum futilissimorum et vilissimorum scriptorum, ut nunc est, praemia sint, nullus curo.* v. 53. *Quid, quod auditores quoque, variis artibus corrupti, veli-ficentur quidem recitantium auribus, a tergo autem rident.* v. 62. *Age iam, videamus, quale sit populi iudicium! molles et infractos requirit versus, rerumque tumorem.* v. 68. *Cuius rei, si verum volumus fateri, insana ista puerorum in scholis institutione, stultaque antiquitatis verecundia auctores ipsi sumus.* v. 78. *Hinc sermonis corruptela repetenda est, quae adeo in deliciis habetur, ut vel capite fortunisque omnibus rei neglectis populi plausum patroni inde mereri studeant.* v. 91. — *At soni tamen et concinnitatis ratio habenda est, quam priores poëtae neglexerunt.* v. 92. — *Hoc adlatis exemplis ridetur* v. 106. *Quo facto iudicium suum de toto illo genere Noster brevi subiungit. Tandem adversarius, quum nihil praeterea, quo causam suam sustentet, habeat; cur tibi ipse, inquit, nimio veri studio noces? — Quantum ad me, respondet Noster similanter, omnia haec praeclara sint, equidem ulcera haec non tangam. Enimvero, quod aliis concessum furrat, cur non idem mihi concedatur? — Non fiet.* v. 119. — *Quid, si animi sensa literis tantum mandem? Et hae literae, quas nemo fortasse leget, maiori mihi in pretio erunt, quam reliqui omnes, qui mea aetate prodeunt, ingenii fetus. Vos, qui animum habetis inbutum antiqua Graecorum comoedia, adeste recitaturo; vos vero, philosophiae et bonarum artium irrisores, superbi et dissoluti, procul esse iubeo.*

« O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget haec?» Min' tu istud ais? «Nemo hercule.» Nemo?
« Vel duo, vel nemo. turpe et miserabile.» Quare?
Ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem
Praetulerint? nugae. non, si quid turbida Roma
Elevet, adcedas, examenve inprobum in illa

V. 1. Poëta fingit se a quodam interpellatum, dum in satiris scribendis occupatus est. *Curae* h. l. pro rebus omnibus, quae curas iniiciunt, animumque occupant. *quantum est in rebus inane*, i. e. quam inanes sunt plerumque res, quarum causa homines tantopere se torqueant? Graece: ὅσον τὸ κενόν. Omnes fere interpretes haec verba Persii esse, satiram his incipientis, disputant. Casaubonus quidem in eo nescio quid artificii poëtici quaerit, quo totum satiricae poëseos argumentum exhaustum sit. Meo quidem sensu haec verba melius homini, Persium satiras meditantem interpellanti, tribuuntur.

2. *Min' tu istud ais?* dialogi naturae aptum; sic quoque Nostrates: *meinst du mich?* Talibus quaestiunculis, saepe supervacaneis, etiam Latini in quotidiano sermone utuntur. *Nemo hercule*, verba interpellantis, sibique ipsi, quum in respondendo dubitare Persius videatur, respondentis. *Nemo?* Quasi miratur Persius pro certo adfirmantem: nullos omnino lectores satiras esse inventuras. Hoc sentit alter, statimque subiicit quasi ad molliendum omen.

3. *Vel duo vel nemo*. i. e. paucissimi. *turpe et miserabile.* Haec quoque verba monitoris, hoc labore Persium nullam gratiam capturum, reputantis. *Turpe* dixit, quia obficit certe existimationi scriptoris negligi ab omnibus; *miserabile* spectat ad conditionem auctoris eo modo neglecti. Verum hoc *turpe* et *miserabile* ei tantum videri potest, qui multitudinis plausus captat, non item Persio; proinde interrogat, quasi rationem, cur id turpe et miserabile sit, ignorans: *Quare?*

4. 5. Verear scilicet, ne iniqui iudices inique de meis scriptis iudicent? Hoc *verear* intelligendum est. *Polydamas* sapientissimus quondam inter Troianos et fortissimus, cuius censuram Hector verebatur. Res in proverbium abiisse videtur, quo bene Noster h. l. utitur, quandoquidem sub *Polydama* per ironiam censor iniquus quicumque, sive Neronem intelligas sive alium, intelligitur, cuius iudicium multitudo temere sequatur, et *Troiades* praeclare Romani inbelles dicuntur, Troianorum origine tantopere superbientes. *Accius Labeo* secundum Schol. inepta Iliadis et Odysseae versione famosus, in pretio tamen ab aequalibus eiusdem farinae habitus. *Nugae:* Pro nugis habeo iudicium, quod de me ferant Romani. *turbida Roma* pro Romanis variis studiis in diversa tractis, variis adfectibus turbatis, ut verum sentire non possint.

6. 7. *Elevet*, parvi pendat. *Examen* est lingula trutinae. Similitudinem, qua Noster h. l. usus est,

Castiges trutina: nec te quaesiveris extra.
Nam Romae quis non? ah, si fas dicere! sed fas
Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Adspexi, et nucibus facimus quaecumque relictis,
Quum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite. « Nolo. »
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

pauci ex interpretibus intellexisse videntur. *Examen improbum* est lingula non ad perpendiculum erecta, quae igitur perperam indicat duorum ponderum aequalitatem, ergo iniusta, et hoc loco valet pro iudicio iniusto. *trutina*, foramen, intra quod vergit lingula, pro ipsa bilance. Sublata similitudine sensus erit: ne corrigas (*castiges*) iudicium inprobum eorum hominum, quibus recte iudicandi facultas omnino deest.

8—12. Locus difficilis est, et, ut equidem puto, minime sanus. *Nam Romae quis non?* sc. perverse iudicat, in prima de huiusmodi scriptis, *ob hanc rem*, ut ait Horat. Sat. I, 4. 23 seq. *Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures Culpari dignos.* Hanc causam quidem odii aut perversi de satiris iudicii non addidit Noster, verum ex sequentibus ea potest haud difficulter divinari. Illius morum turpitudinis cogitatio poëtam repentino quasi ictu ferit, adeo ut exclamatione nondum plene enunciata, alteram inchoet: *Ah, si fas dicere!* si mihi liceret de istis, qui iniquam censuram agunt, libere dicere. Haec dicit poëta quasi adhuc incertus, quid faciat; deinde animo confirmato pergit: *Sed fas*, sed permissum mihi esse, aut permittendum, existimo *tunc*, *quum ad canitiem*, ad senectutem meam, *et nostrum istud vivere triste*, ad nostram vitam seu vitae genus triste ac tetricum, propensum ad alios reprehendendos, *adspeximus* (per enall. temp. pro praesenti) *et nucibus facimus quaecumque relictis*, ad ea adspeximus, quae facimus nugis relictis, quibus pueri delectantur, ideoque, aetate puerili exacta. *Quum sapimus patruos*, quum sapientiam, prudentiam patruorum nobis sumimus ad aliorum mores obiurgandos (e comoedia forte, ubi patruorum partes in obiurgandis nepotibus versabantur, aut e vita communi petita haec dictio. Horat. Od. III, 12. 3. Sat. II, 3. 88.), *tunc tunc* sc. fas est, aut fas esse existimo. Iteratum *tunc* non solum adseverandi vim habet, sed etiam impetum exprimit, quo ad satiras scribendas Noster abripitur. *Ignoscite*, i. e. veniam igitur date scribendi. *Nolo.* Recusat monitor, quasi de sententia multitudinis, dare veniam. Videtur itaque poëta senis personam induisse, cui censoris munus conveniat, et a moribus et consuetudine senum, eorumque vitae genere tristi ac moroso pravos civium mores notandi castigandique licentiam sibi sumere. Quam quum vidisset ne sic quidem sibi esse concessam, pergit: *Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.* Tamquam imperioso illo *Nolo* motus, incertus adhuc interrogat: *Quid faciam?* deinde naturam suam respi-

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.

ciens consilio subinde confirmato: *sed*, inquit, scribendum mihi est, nam *sum petulanti splene cachinno*. Cuicumque adfectui veteres quasi sedem posuerunt; laetitiae sedem in splene (Aristoph. Thesmoph. 3. ibi Sch.), iracundiae in felle (Iuvenal. V, 159.), etiam in corde (Virgil. Aen. VI, 407.), amoris in hepate (Theocrit. XI, 6. XIII, 71. Claudian. VIII, 241 seq.), non tamen semper sibi constant. Sensus h. l. est: natura sum cachinno petulans, derisor; quod nomen tamen Persius iniuria sibi vindicare videtur. Casaubonus locum hunc a v. 8—12. sic intelligit: Aequum est satiras scribere, quum intuemur senes nostros, vitam tetricam et austeram simulantes a pueritia ad ultimam usque vitae metam, qui nihilominus tamen censores agere volunt. Si hi versus Iuvenalis essent, viro doctissimo adcederem: verum rationem satiras scribendi non poterat Noster repetere ab eo, quod nusquam argumentum satirae alicuius fecit. Ceterum levi literarum mutatione interpretatio loci fit facilior: *Nam Romae quis non? — at qui fas dicere? — Qui fas? Tunc? quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste Adspexi, et nucibus facimus quaecumque relictis? Quum sapimus patruos? — Et tunc ignoscere nolo. — Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.*

13 seqq. Intendit flagellum satiricum Noster in scribendi pruriginem, quam primae satirae argumentum fecit, eamque quasi ex inproviso invadit. cf. not. ad v. 107. *inclusi*, a turba remoti, in cubiculi recessu. Poëtae et oratores in lectulo sedentes solebant meditari. *numeros*, versus. *pede liber*, rhythmi legibus solutus. Sensus est: scribimus et pedestri et ligato sermone. Prima persona pluralis, qua Noster utitur, inridendi vim habet. Emendatio Gronovii (Diatrib. c. XXIV.) concinnitatis laude commendatur: *Scribimus, inclusus numeris ille, hic pede liber. — Grande aliquid.* Quid illud sit, ex sequentibus adparet; idem nempe, quod Petron. cap. 1. *rerum tumorem et sententiarum vanissimum strepitum* adpellat. Eodem sensu Horat. in arte 457 habet *sublimes versus*. De illo sublimi genere, quod epicorum et lyricorum proprium est, in quo sententiae rerum magnitudini, et verba rursus sententiarum gravitati ac dignitati adcommodata sunt, ut apud Prop. II, 8. 10 seqq. Ovid. A. A. I, 206 seqq. sermo esse non potest. *quod pulmo animae praelargus anhelet* simpliciter pro: ac recitandum, sed cum delectu expressum, et apte ad eam vim, quae τῷ *grande* h. l. subiecta est. *Pulmo praelargus animae*, pro: pulmones capacissimi. Aristoph. Ran. 851 seq. ῥήματα δαιομένη sc. γλῶσσα κατάλεπτολογήσει πλευμόνων πόλυν πόνον. Contra hoc vitium in recitando monet Quintil. Instit. XI, 3. *Sunt qui crebro anhelitu et introrsum etiam clare sonante imitentur iumenta onere et iugo laborantia. Quod adfectant quoque, tamquam inventionis copia urgeantur, maiorque vis eloquentiae ingruat, quam quae faucibus emitti possit.*

Scilicet haec populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.

15. Sensus: ut ea scilicet coram populo recites. Hoc ita expressum est, ut recitantis pariter atque auditorum vitia acriter perstringantur, illius cultus mollis et effeminatus, vox fracta, oculi libidinosi; horum incontinentia in studio suo profitendo et levitas. Mos ille scripta sua amicis doctis recitandi multum valuit sane ad Latinae linguae, quam adtigit, perfectionem, ideoque a sapientissimis Romanorum quibusque commendatus est. Quo tamen insaniae processerit, leges apud Iuvenal. I. princ., et III, 10. Martial. III, 44. Aedes saepe magna pecunia a recitante conducebantur. *pexusque togaque recenti*. Non tam cultu corporis praecipue se commendaturus, quam ingenii sui triumphum externo corporis habitu quasi celebraturus.

16. *sardonyche*. Plin. H. N. XXXVII, 23. Haec gemma sculpta sola fere ceram non auferebat, ideoque in signaculis primum locum obtinebat. Ceterum gemma pro annulo posita est. *natalitia*, vel qua natali die solum utebatur, vel quam natali die dono acceperat. In gemmis pretiosissimis parandis, quum primis temporibus rei publicae vitio daretur, plures annulos quam unum digito gestare (Isidor. XIX, 32.), nec finem nec modum Persii aetate noverunt. Quintil. Inst. XI, 3. de cultu oratoris: *Manus non inpleatur annulis, praecipue medios articulos non transeuntibus.* *albus*. Ad pallorem recitantis de eventu recitationis anxii, ut Casaubonus vult, hoc non retulerim, nam in huiusmodi homuncione, tantopere sibi placente, plausumque auditorum cogitatione iam audiente, oculis gaudio et lascivia natantibus eos adspiciente, timor vix locum habere potest; rectius ad splendorem totius ornatus externi trahas. Huc pertinet imago, quam Lucianus de rhetore ad auditorum plausum se comparante adumbravit: *πάνσοφόν τινα, καὶ πάγκαλον ἄνδρα* sc. *εὑρήσεις, διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα* cet.

17. *Sede celsa* i. e. ex cathedra; indicat ostentationem recitantis. *plasmate. Plasma* hoc saltem loco medicamentum videtur fuisse ad guttur molliendum, vocemque suaviorem reddendam. Salmasius ad Solin. p. 85. disputat, *liquido plasmate guttur conlucre* idem esse, quod sequens v. 35: *eliquare et tenero palato verba subplantare*; *μετὰ πλάσματος αὐλεῖν* esse *πολυκάμπτως αὐλεῖν* et *πολυτρόπως*. Nititur quoque Quintil. Inst. I, 8. Ceterum aliter locum legit, post *ocello* delet (.) et ponit (,) ac pro *leges*, habet *legens*. Verum illa interpretatio dura est, vimque verbis inlatam sapere videtur.

18. *Mobile*, quod efficitur mobile gargarizando. *patranti fractus ocello*, i. e. oculis fractis, in libidinem prae gaudio resolutis, quales solent esse patrantium, rem veneream exercentium. Iuvenal. VII, 241. habet: *oculos*

Hic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun' vetule auriculis alienis conligis escas?

in fine trementes; Apulei. in Luc. *oculos udos ac tremulos, ac prona libidine marcidos, iam iamque semiadopertulos*; Horat. Od. I, 36. 17. *putres*. Ceterum hoc sensu τὸ *patrare* alias vix obcurrit: apud Catull. XXIX, 47. est *expatrare* pro: scortorum commercio absumere. Sensus: multa oris, et vocis suavitate magnaque gestus lascivia et venerea oculorum motatione versus pronuncias; ipso molliori obtutu auditores ad libidinem quodammodo escitas.

19 *Heic*, illo loco, ubi recitatur. *neque more probo*, inhonesto et lascivo gestu motos se profitentur. Hoc fiebat tum quoque in iudiciis. *neque voce serena*, tremulis gannitibus. v. Auson. Infra laudandum.

20. *Ingentes Titos.* Quantam vim haec adpellatio, qua Romani alias tantopere delectabantur, h. l. habeat, quisque, vel omni interprete silente, sentiet. *ingentes*. Non satis erat Nostro *magnos* dixisse, vocat eos *ingentes*, quibus quum tam puerilis morum levitas tribuatur, efficitur admirabilis dissimilium coniunctio. Non a vero videtur abhorrere Heinsii opinio, *Titos* a Nostro positos esse pro *Titiensibus*; sic Horat. in arte 342. habet *Rhamnes*. *trepidare*, gestire, subsilire laetitia, gravitatis ac constantiae adeo inmemores, ut morum conruptelam in quocunque corporis gestu declarent. *quum carmina lumbum intrant*, excitant auditores, ut lumbis erissent. De hoc v. Burm. in Anthol. Lat. T. II. p. 495. Lucian. T. II. Asin. aur. 6. ed. Reiz. de pruritu venereo: ἡ δὲ ὀσφὺς ἡμῖν ὑγρῶς ἐπικινεῖται. Auson. Epigr. CVIII, 4 seqq. *Principio tremulis gannitibus aëra pulsat, verbaque lascivos meretricum imitantia coetus Vibrat, et obscoenae numeros pruriginis inplet*. De effectu modorum lascivorum v. Iuvenal. VI, 195 seq. XI, 162 seq. Plutarch. Symp. XI, 15. poësin cum saltatione comparans de vi carminum recitatorum in auditores ita loquitur: μόνον οὐ λέληθε τὴν ἐν ὀρχήσει διάθεσιν τὰ ποιήματα παρακαλεῖν καὶ τὼ χεῖρε καὶ τὼ πόδε, μᾶλλον δὲ ὅλον, ὥσπερ τισὶ μηρίνθοις, ἕλκειν τὸ σῶμα τοῖς μέλεσι καὶ ἐντείνειν, τούτων δὲ λεγομένων καὶ ᾀδομένων, ἡσυχίαν ἄγειν μὴ δυναμένοις. Ceterum illa loquendi ratio, qua Noster usus est, nata quoque videri potest ab effectu tibiae. Iuvenal. VI, 314 seqq.

21. *intima*, eas corporis partes intelligo, in quas sensus lascivi, inpudica voce et gestu excitati, agunt. *scalpuntur*, titillantur. Senec. Epist. 75: *Quid aures meas scalpis, quid oblectas? — tremulo versu* spectat ad rhythmum carminis effeminatum et ad vocem, qua illud recitabatur, libidine et lascivia trementem. Qualia carmina tunc deberent esse, docet Martial. I, 36.

22. *Tun' vetule.* Recitator cogitandus aetate iam provectiore, eoque magis vituperandus. *Vetule*. Hoc verbum convicium fere semper involvit. *auriculis alienis conligere escas* facete dictum pro: alienis auribus scribendo

Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe?
« Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus? »
En pallor seniumque! O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

recitandoque inservire. Aelian. V. H. III, 1. καὶ ἑστιῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς.

23. *Auriculis:* iteratum hoc auget rei indignitatem. *quibus dicas: ohe*, i. e. auriculis eorum hominum, qui in laudando te omnem verecundiam et pudorem adeo tollunt, ut tandem ipse eorum plausus fastidias et fastidium tuum declares exclamando: *ohe!* — *et cute perditus*, etiamsi naturae aliquo vitio erubescere non possis; hoc enim significare videtur *cute perditus*, sive illud de aqua intercute laborante sive de scabioso adcipias.

24—26. Quid iuvat autem, obiicit alter, tantum studii et laboris in literis posuisse, nisi, quid profeceris, etiam aliis innotescat, ut laudem et gloriam, studiorum et vigiliarum fructum, tibi conligas.

24. 25. Doctrinam illam, quae aliis se iactare gestit, expressit per *fermentum*, quod massam, cui admixtum est, inflat tumidamque reddit, et per *caprificum*, quae, quum muris innascitur, illorum compagines solet laxare. Ceterum *quo* est h. l. cui bono, quem in finem. *rupto iecore*, tamquam muri compagibus illa caprifico ruptis. *Iecur*, ut sanguinis officina, sedes omnium adfectuum, praecipue libidinis, quae huiusmodi carmina, de quibus h. l. sermo est, dictat. Propterea ea, quae studiis suis sibi paravit, quasi iecore concepta et innata, ut caprificus muris, finguntur, quae, dum cupiunt evulgari, rumpunt iecur, ut caprificus muros. De industria Noster adversarium ista similitudine utentem inducit, ut et genus studii et pruritus vehementiam, qua ad scribendum et recitandum compellatur, ipse suis ipsius verbis declaret. Observandum praeterea est, adversarium ab alia similitudine, a *fermento* desumpta, ordiri, quam statim, ut sensui suo minus respondentem, inperfectam relinquit et ad aliam transit. Sed et illi *fermento* sua vis est, vanitatemque illius studii indicat, qua is, cui illud inest, inflatus redditur et tumidus.

26. Vt inpensius etiam recitandi studium excuset, addit: *En pallor seniumque*. Haec verba vulgo, vel a Reizio, Persio tribuuntur, at haud scio an melius eius adversario, recitandi causam agenti, adsignentur, quasi dicat: vide, quantum studii et sudoris (id enim per *pallorem* et *senium* intelligitur) in ea re consumptum sit, quam male conlocatum id foret, nisi laudes civium, quasi fructus inpensae, inde conligantur. Misericordia saltem Persium conrumpere studet, quem ratione movere desperat. *O mores!* exclamatione solemni utitur Persius, perversam cogitandi rationem h. l. spectante,

27. Sensus: adeone laus sola finis est studiorum; adeone tota scientia ad ostentationem comparata est. Notum est Graecum proverbium: οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀπορρήτου φασὶ καὶ ἀφα-

«At pulchrum est digito monstrari, et dicier, hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?» Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poëmata narrent.

νοῦς τῆς μουσικῆς Lucian. Harmon. T. I. p. 852. ed. Reiz.

28. At notum esse in vulgus, obiicit adversarius, delectat. Pro: notum esse, posuit: *digito monstrari*; natum hoc ex eo, quod de Demosthene fama ferebat. οὗτος ἐκεῖνος Lucian. Somn.

29. 30. Tune in scholis legi, memoriaeque a discipulis mandari nihili putes? Omnem institutionem et eruditionem in scholis a poëtarum lectione auspicabantur cum Graeci tum Romani. Notum hoc est ex Quintiliano. Praecipue Homero, poëtarum principi, hic honos habitus est, sequenti tempore etiam Horatio et Virgilio. Quod quum nonnisi optimis poëtis contingeret, erit, *in scholis legi*, idem, quod in optimorum censum venire; illamque laudem omnes poëtae ambibant. Martial. I, 35. *cirratorum* puerorum capillis calamistro inustis, ergo comptorum, divitum, nobilium. Martial. IX, 30. 7. *cirrata caterva magistri*. — *dictata fuisse* i. e. lectionibus dictandis et recitandis inservisse.

30—40. Persii haec verba esse cum ex iis, quae proferuntur, rationeque, qua enunciantur, tum ex v. 40. dubium esse nequit. Quaeri autem potest, quo nexu cum antecedentibus cohaereant. Equidem sic existimo. Adversarius inceperat communem poëtarum causam agere, scribendique studium tueri ac defendere, quod gloria inde pararetur non-contemnenda, quae maxima fieret scriptoris, si, quae elaborasset, in scholis discipulis proponerentur atque explicarentur. Huius vices repente occupans eique quasi adstipulans, alia eiusdem generis Persius subgerit, eorumque mentionem facit, quae ut specie honorifica scriptorum vanitatem movere et adlicere possint; verum id facit ratione consilio suo adcommodata. Sic enim ea effert, talemque verborum delectum habet, ut adpareat, quam futilia ea sint, quae tamquam praeclara scribendi incitamenta proferre videtur. Ironia, qua hoc loco utitur Noster, vim etiam augere videtur, quod ea, quae fieri tantum poterant, eamque ob rem conditionatim erant exprimenda, ita narrat, tamquam re vera et ante oculos gerantur. Quin inter pocula, Persius addit, poëtae mentionem faciunt, commendant eius carmina, recitant, laudant. En beatissimam eius conditionem!

31. *Romulidae* eandem vim habet, quam supra v. 20. *ingentes Titos*. *saturi* indicat mensas remotas, quibus remotis vino et variis sermonibus veteres indulgebant. Solebant etiam inter epulas poëtarum carmina recitare, deque eorum vitiis et virtutibus, ut fit ab hominibus cibo et vino probe oneratis, insulse et inepte plerumque disserere. *dia* ad carminum praestantiam spectat. *narrent*. parum adcurate illud quidem, sed secutus est Noster et in hoc et in aliis nonnullis sermonis quotidiani consuetudinem.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat et tenero supplantat verba palato.
Adsensere viri. nunc non cinis ille poëtae
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae. nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla

32. *Hic*, inter pocula. *hyacinthina laena*, a colore, qui erat purpureus aut violaceus. Ceterum non satis constat, qualis fuerit ille flos hyacinthus. Hic cultus nobilem aliquem indicat. Molle vestimenti genus est intelligendum et adcubitorium. In vestitu molli Romani tunc temporis cum spadonibus et mulieribus certabant.

33. *Rancidulum* a vitiato et corrupto cibo sumptum. De commendatione putida forsan adcipiendum, quam carminum lectioni ille praemittit. *balba de nare*, per nares vocem balbam emittens. Omnia haec ad effeminatam huius saeculi mollitiem referri debent.

34. *Phyllidas, Hypsipylas* i. e. carmina tragici argumenti. *Phyllis* Sithonis filia Thracumque regina a Demophoonte, Hypsipyle Thoantis, Lemni regis, filia a Iasone deserta erat; huius historiam argonauticorum scriptores exornarunt. Hinc intelligendum est illud *plorabile*. Persius dicere vult: et si quid aliud, praeter illa priora, vates (per ironiam) habent ad teneros et molles adfectus et dolores movendos apta. Claud. XVIII, 261 de Eutropio spadone: *verbis sonat plorabile quiddam ultra nequitiam fractis.*

35. *Eliquat*, voce molli et effeminata pronunciat; translatum a metallis corporibusque duris, quae igne liquantur et molliuntur. *supplantat*, translatio nota, spectat ad vocem fractam ac balbutientem. *tenero palato*, ut tenelli aut feminae. Haec mala omnia a temporum corruptela ad exquisitam elegantiam iam Ovidii aetate referebantur.

36—40. Reliqui in poëtae laudem consentiunt, nunc procul dubio beatissimus est. Haec ita per hyperbol. enunciata sunt, ut ironiam vel stupidissimus adnoscat.

36. *Adsensere viri.* Magno hoc cum delectu. Primum enim hi *viri* vocantur, qui, quum idem sentiant, quod ille mollis, effeminatis moribus se produnt; deinde illud *adsensere*, grave aliquid sonans et in gravibus rebus plerumque adhibitum, h. l. in re futili usurpatum ironiae vim vehementer mihi augere videtur. *nunc non cinis ille poëtae felix?* i. e. nonne poëta nunc post mortem beatus, nonne immortalitas ei parta est?

37. *non levior cippus nunc inprimit ossa?* Hoc a formula bene precandi mortuis sumptum est: *Molliter ossa cubent.* Hinc illae in sepulchris literae S. T. T. L. hoc est: *Sit tibi terra levis.* Exsecratio contra erat: *Sit tibi terra gravis; urgeat ossa lapis.*

39. *Laudant convivae.* Hoc quoque

Nascentur violae? Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse? et, cedro digna locutus,

egregie. *Laudant* plus est, quam illud superius *adsensere*. Sed laudant *convivae*, ad coenam vocati ab illo nobili recitante, cuius iudicium de pulchro et venusto convivae sequuntur. Innuitur igitur laus non vera et solida, sed falsa et fucata. *nunc non e manibus illis. Manes* pro cinere et deinde pro tumulo ipso ponuntur. Nam opinio erat veterum vulgaris, *manes* simul cum cinere quiescere, ac sepulchro inhabitare. Sic quoque *cineres* pro manibus.

39. Hic versus procul dubio ex interpretamento τοῦ *manibus* prioris versus concinnatus et intrusus est.

40. *Nascentur violae?* Hoc inde videtur natum esse, quod veteres tumulos mortuorum sparsis floribus et corollis solebant ornare. pertinebat hoc ad religionem manium, qui, ut putabatur, libationibus annuis, coronis, floribus cet. delectabantur. Beatissima mortui conditio, cui vel natura ipsa inferias agat, floribus in tumulo sponte nascentibus, videtur indicari. Antipat. Sidon. epigr. in Anacreont. in Analect. Brunck. T. II. 25. Θάλλοι τετρακόρυμβος, Ἀνάκρεον, ἀμφί σε κισσὸς, Ἁβρά τε λειμώνων πορφυρέων πέταλα. Πηγαὶ δ' ἀργινόεντος ἀναθλίβοιντο γάλακτος, Εὐῶδες δ' ἀπὸ γῆς ἡδὺ χέοιτο μέθυ, Ὄφρα κέ τοι σποδιή τε καὶ ὀστέα τέρψιν ἄρηται, Εἰ δή τις φθιμένοις χρίμπτεται εὐφροσύνα, Ὦ τὸ φίλον στέρξας, φίλε, βάρβιτον, ᾧ σὺν ἀοιδᾷ Πάντα διαπλώσας καὶ σὺν ἔρωτι βίον. conf. Anthol. Lat. l. c. Epigr. 99. et Analect. Brunck. Tom. III. p. 303. Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ Μὴ βάτος αὐχμηρὴ, μὴ κακὸν αἰγίπυρον, Ἀλλ' ἴα, καὶ σάμψυχα, καὶ ὑδατίνη νάρκισσος, Οὐίβιε, καὶ περὶ σου πάντα γένοιτο ῥόδα. Videtur quoque privata nonnullorum opinio fuisse, cinerem in flores mutari, idque contingere non nisi probis ac pulchris, ex fabulis heroum in flores post mortem mutatorum fortasse nata.

40—43. *Rides, ait* cet. Ironiam sensit quidem adversarius, sed intelligere se non posse profitetur, quomodo quis laudem, famam nominisque inmortalitatem scriptis suis quaesitam negligere queat. Non enim animadvertit, Persium non laudem omnino, sed falsam illam et inanem, non scripta omnino, sed ea tantum vituperare, quae conrupto multitudinis iudicio adcommodate concinnata sint.

41. *uncis Naribus* pro: risui, subsannationi; quia risu in rugas contrahitur nasus. Nasus in rugas contractus indicat quoque contemptum. *velle recuset* fortius quam: nolit.

42. *Os populi*, laudem et famam, πᾶσι διὰ στόματος εἶναι. *cedro digna. Cedro* pro oleo cedrino positum, et *cedro digna* sunt digna, quae serventur, digna inmortalitate. Vitruv. II, 9. *Ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur, quo reliquae res quum sunt unctae, ut etiam libri, a tineis et a carie non laeduntur.* Horat. in arte 331 seq. *speramus carmina fingi Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?*

Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus?—
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit,
(Quando haec rara avis est) si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
EVGE tuum et BELLE. nam BELLE hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis

43. *Scomber* piscis marinus. Sensus: carmina relinquere, de quibus non est, quod metuas, ne ad salsamentarios et thurarios deferantur.

44—57. Iam remota ironia Noster mentem suam adversario exponit: se laudis quidem studium non omnino improbare, sed negare, carmina ad oures saeculi corruptas esse exigenda, adprobationemque hominum, quae epulis aliisque munusculis empta sit, vanam esse. Bene Seneca Epist. 102. observavit, nihil aeque eloquentiam et omne aliud studium, auribus deditum, vitiasse, quam popularem adsensionem.

44. *ex adverso dicere feci*, i. e. adversarium mihi constitui.

45. *exit*, perficitur, e re figlina. Horat. in arte 21 seq.

46. *rara avis*, phoenix, pro eo, quod raro contigit videre.

47. *metuam* fortius quam: recusem. *cornea fibrâ*, i. e. sensus obtusus, stupidus, qui nulla nec iucunditate nec asperitate movetur.

48. 49. Sensus: nego, ut philosophi omnes actiones ad summum bonum obtinendum dirigendas esse contendunt, ita carmina ad exclamationes auditorum *Euge! Belle!* audiendas esse condenda. *nam* BELLE *hoc excute totum*. *Excute* fortius quam: explora. *Belle hoc totum*. pro: vim et naturam τοῦ *Belle*, ex mente nempe eorum, qui illud adhibent.

50. *Quid non intus habet?* apte ad illud prius *excute* expressum, pro: ad quae scripta, quum recitantur, illam exclamationem auditores non adhibent? nonne ad insulsissima et ineptissima quaeque? Hoc posterius in sequentibus per species expressum.

50—53. *non hic* pro: non in illo *Belle*, et hoc pro: nonne exclamant *Belle!* quum recitatur cet. *Ilias Acci*. De *Accio* supra v. 4. *ebria veratro*. Casaubonus hoc ita explicat: ad quam Iliadem scribendam Accio multa potione hellebori opus fuit. Sed aliam rationem inire possis, ingenio Persii, ni fallor, adcommodatiorem. Quum dicit Noster, carmen helleboro ebrium esse, hoc dicere vult, poëtam, quum scriberet carmen, helleboro ebrium fuisse; sic est apud Sen. Epist. 19. *sermo ebrius*. Ex Plin. H. N. XXV, 21. scimus, nigrum helleborum, candido vehementius, optime in Helicone monte provenisse. Noster igitur furorem Acci poëticum non ex

Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me.
Qui pote? Vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,

Hippocrene, quem fontem non adtigerit, sed ab helleboro, quod in Helicone biberit, repetere videtur. *elegidia.* per contemptum sic vocantur carmina lasciva, mollia, obscoena, deliriae huius aetatis. *proceres*, nobiles et principes Romanorum. *crudi.* Inepta ergo elegidia, qualia a crudis proceribus, quorum gula saepe notatur, poterant profirisci. *dictarunt* sc. amanuensi servo; sic solebant multi Romanorum, literas exarandi molestiam subterfugientes, *quidquid denique lectis scribitur in citreis. Citreis* i. e. e ligno citri arboris in Africa nascentis odorato et pretiosissimo. De illis lectulis, in primis lucubratoriis, egit Casaub. ad Sueton. August. 78. et Burmann. ad Propert. III, 4. 44. Designantur itaque h. l. carmina divitum.

53. *Calidum scis ponere sumen.* Vulgari ratione sic procedendum fuisset: Etiam ad illa, quae forsan minus placeant, exclamant auditores *Euge! Belle!* Non tibi mirum videri debet, scriptor inepte, si ita fit, *calidum* enim *scis* cet. i. e. tu auditores ad plaudendum coena et muneribus conducis. Recitaturi auditores epulis opiparis saepe excipiebant. Huc pertinet lepidum epigramma in Analect. Brunck. Tom. II. p. 334. Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἔστιν ἐκεῖνος, Ὅστις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους. Ἢν δ' ἀναγινώσκῃ, καὶ νήστιας οἴκαδε πέμπῃ. Εἰς αὐτὸν τρεπέτω τὴν ἰδίην μανίην. Sic quoque tunc a causas agentibus auditores et laudatores mercede comparabantur. *Sumen* caput olim coenae (Petron. 36.) pro epulis splendidis.

54. *comitem horridulum*, unum e comitibus minus bene vestitum, ideoque frigoris iniurias aegre ferentem. *Lacerna* vestimentum genus proprie militare, quod ad arcendum frigus etiam togae iniiciebatur. Epitheton *tritae* ad muneris vilitatem spectat. Inter munera, quae locupletiores tenuioribus interdum mittere solebant, etiam vestimenta fuisse, scimus ex Martial. X, 14. 6. Ceterum laudatio ab homine tenui vili munusculo empta ipsa vilissima est.

55. *Et, Verum, inquis, amo.* cf. Martial. VIII, 76. *de me*, de carmine recitato.

56. *Qui pote?* i. e. Qui fieri potest, ut ab istiusmodi hominibus verum audias? *vis dicam?* sc. ego tibi verum. *Nugaris, quum tibi* cet. Hoc omnes, quos equidem inspicere potui, ita interpretati sunt: insulsa scribis carmina, quum non possit fieri, ut ab homine tam obeso limatum aliquod carmen prodeat, secundum illud, quod Graeci dicunt: γαστὴρ παχεῖα μὴ τέκει λεπτὴν φρένα. Sed hac ratione τὸ *nugaris* pro Persio nimis clementer dictum est, et qua ratione, si quis carmina male scribat, possis eam a corporis pinguedine dicere? interdum quidem fieri potest, sed non ubique et semper; Horatius quidem hoc omen deprecatus fuisset. *Nugaris* h. l. esse videtur: non serio loqueris. *quum*

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis altas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos, O patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae obcurrite sannae.
Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli

tibi cet. i. e. quum corporis tui habitus iam indicet, aures ad laudem captandam adrectas esse. *calve*, obprobrium homiui, luxuria perdito, aptum.

57. *Pinguis aqualiculus. Aqualiculus* proprie sordium receptaculum; usurpatur etiam de ventriculo hominis. Senec. Epist. 90. *pinguis* et quae praeterea de aqualiculo praedicantur, indicare quidem videntur helluonem obeso corpore, sed possunt etiam simul eum corporis habitum declarare, in quem se vanissimus quisque componit, qui cupit laudari vehementerque sibi placet. Hac re etiam ridiculus corporis probe saginati habitus augetur.

58—62. Noster pergit: Quid? quod laudantes quidem auditores coram videtis, sed, aversis vobis, laudatio in sannam abit. Hoc ita expressum est: O Iane, te felicem praedico, non est enim, quod sannam a tergo timeas; at vobis, patricii, timendum est, ne in faciem laudati a tergo derideamini.

58. *Iane. Ianus* ex historica persona mythica factus est, estque prudentia in personam mutata, ut Prometheus apud Graecos, perpetuumque fere epitheton eius *biceps*, *bifrons*, profectum ex antiqua sermonis indole, notum est. Ovid. Fast. 1, 65 seq. *nulla ciconia*, nulla manus, secundum Schol. ciconiae rostrum imitans. *pinsit* respicit illius sannae naturam, quam ignoramus.

59. *mobilis* spectat ad motum manus, aurium asinarum mobilitatem significantis.

60. *Nec linguae tantum* pro: Nec lingua tam longe se exserit, *quantum* i. e. quam longe exserere eam solet, quum *sitiat canis Appula. Canis Appula*, species pro genere. Apulia calidissima Italiae regio, canesque propter calorem in primis sitientes linguam exserunt.

61. *patricius sanguis*, patricii, proceres. *quos vivere fas est occipiti coeco*, i. e. qui a natura in occipitiu nullis oculis estis praediti; et hoc pro: qui prudentia, quae in Iano est, non utimini; nam *vivere occipiti coeco* positum est pro: habere occiput coecum, et *fas est* saepe pro: naturae lege constitutum est.

62. *posticae obcurrite sannae*, i. e. respiciatis, ne a tergo derideamini. Vetus scholiast. animadvertit: *sannam* dici os distortum cum vultu, quod faciamus, quum alios irrideamus; inde *panniones* dictos esse, qui non rectum vultum habeant.

63—68. Iam adulationis et iudicii vulgaris exemplum proponit.

63. *Quis populi sermo est?* sc. de carmine recitato. *Quis enim?* subii-

Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues? Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poëtae.

cit, τίς γαρ. Nostrates; *was könnten sie anders sagen?*

64. *Nunc demum*, i. e. in his tandem carminibus, quum ante nemo tam mollem versuum concinnitatem adsecutus sit. *molli numero* i. e. versibus, in quibus molli iunctura effectum est, ut nulla usquam asperitas aures tenellas offendat. Huic rei aptum est *fluere*. Ordo verborum sequentium: *ut iunctura effundat ungues severos per leve*. Explicatio haec est prioris, et translatum hoc a marmoribus tam apte commissis, ut ne unguis quidem eius, qui opus diligentissime exploret, in iunctura seu commissura aliqua haereat. Sidon. Apoll. IX, 7. *Tota* (oratio) *denique liquida prorsus et ductilis, veluti quum crystallinas crustas aut onychintinas non inpacto digitus ungue perlabitur; quippe se nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura removetur.* Vade *homo ad unguem factus* pro polito.

65. *Effundat* cum fluctu, pro: sine ulla offensione transmittat. *severos ungues. severus* proprie de iudicibus, et h. l. bene ad *ungues* translatum, quorum iudicium est de asperitate alicuius rei. *Scit tendere versum* cet. A constructione obliqua transit subito ad rectam, ut ipsa populi verba sine ulla mutatione adferat. Sumpta haec est dictio a fabris lignariis, qui lignum ad regulam explorant, ut ab omnibus partibus aequale efficiant. Hom. Odyss. ε. 245. ξέσσε δ' ἐπισταμένως καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνε.

66. *Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno. Rubrica* est h. l. linea (funiculus) rubrica oblita, qua fabri lignarii et lapidarii utebantur, apud Graecos σπάρτη. Hesych. in h. v. Salmas. ad Solin. p. 187. Est itaque *rubricam dirigere*, hunc funiculum seu lineam extendere, ut lignum seu lapis ad eam exigatur. *oculo uno*, altero clauso explorabant, num ipsa linea rite directa esset lignumque seu lapis cum illa congrueret. Lucian. Icaromenipp. T. II. p. 769. ed. Reiz. ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἑωρακέναι μοι δοκῶ θατέρῳ τῶν ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα. Sensus: Ita scit tendere, ἰθύνειν, ex omni parte aequalem facere, perpolire versum, ut faber lignarius aut lapidarius ad lineam lignum aut lapidem exigit, et hoc simpliciter pro: versus eius sunt politissimi et ad regulas exactissimi.

67. 68. *opus* sc. habet, *dicere* pro: dicendum ei est, scribendum est. *in mores, in luxum, in prandia regum.* Argumenta satirae non indicantur, ut Casaubonus vult. *In* interdum ad laudem spectare, docent Manut. et Graev. ad Cicer. de Offic. I, 9. Sensus: quascumque res carmine celebret. Versabantur ineptissimorum poëtarum carmina plerumque in omnibus luxuriae instrumentis, vitae elegantiis, epulisque lautissimis procerum describendis, haeque *res grandes*, ut putabant illi quidem,

Ecce modo heroas sensus adferre videmus
Nugari solitos graece, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno:
Vnde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,

sententiarum tumore et verbis sonantibus distinguebantur. *dat Musa poëtae*, a Musa instinctus poëta canit.

69 seq. Ineptum hoc populi iudicium poëtam nostrum ad ipsa carminum vitia ducit, quae pro virtutibus amplexabantur tunc temporis scriptores, ad inanes tumores v. 69—75. ad ineptum verborum antiquorum aucupium v. 76—84. ad frigidum studium in figuris doctis ubique adhibendis v. 85—91. ad versuum effeminatam mollitiem v. 92—106. Tumoris vitium institutioni et disciplinae scholarum Noster imputat. Quum, ut supra ad v. 29. monuimus, studiorum et literarum initium a Graecis literis, in primis ab Homeri lectione caperetur (Petron. 5.), linguam Graecam plerumque Romani prius, quam vernaculam addiscebant, quod Quintilianus ipse probat. Inde illud: *nugari solitos Graece*, intelligas. Isti porro tenera adhuc aetate et rerum prudentia non satis instructi ad poëtices et eloquentiae studium a praeceptoribus, ne ipsis quidem intelligentibus, veraeque et genuinae eloquentiae ignaris, perversa ratione adducebantur. Rationem instituendi pueros discimus ex Iuvenal. VII, 150 seq. unde liquere videtur, magistros declamationes dictitasse, quas illi, memoriae traditas, ad facultatem de quacumque re verba faciendi sibi parandam, coram ipsis memoriter recitarent. Ceterum causae in scholis propositae et fictae erant et remotae a communi vitae usu. v. Interpp. ad Petron. 1. Hoc loco institutio apud grammaticos est intelligenda. Quintil. II, 1.

69—72. Ad transitum molliorem faciendum cogitatione supple: Illam argumentorum vanitatem, ineptos tumores ac *rerum grandium* studium prope ab omnibus adamari, ne mireris; *ecce modo* etc. *heroas sensus*. Argumenta in scholis proposita versabantur plerumque in vitiis, moribus ac factis heroum, et in quaestionibus, quae ad vitam parum utilitatis habebant. *heroas sensus* (pro: heroicos sensus) itaque interpretor: heroum orationes, quas habuisse fingebantur, res gestas et fata eorum. *adferre* scribere. *Artifices ponere*, Graecism. *artifices* pro: idonei. *ponere* h. l. pro: argumentum aliquod tractare. *rus saturum*, i. e. rus bonis refertissimum. *corbes* ad instrumenta rustica pertinet. 72. *fumosa Palilia foeno*. *Palilia* erat festum in honorem Palis, vel Dei vel Deae pecorum et pastorum, quod celebrabatur XI. cal. Mai, quo die Romam conditam esse tradunt. In hoc festo per acervos stipularum accensos transsiliendo se lustrabant ruricolae.

73. *Vnde Remus* sc. oriundus est. *Remi* frequens est mentio apud poëtas, famam aut narrationem fortasse secutos, quae ad nos perlata non est. *sulcoque terens dentalia*, ornate pro: arans. Virgil. Georg. I, 46. *Quinti* sc. et tu, Romam arcessitus es ad

Quum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit.... Euge poëta.
Est nunc, Briseïs quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *aerumnis cor luctificabile fulta.*

dictatoris munus obeundum; res nota ex Liv. III, 26.

74. *trepida* aptum epith. coniugi sedulae, marito in induenda toga, quam domo adportari insserat, festinanter operam navanti.

75. *euge poëta.* Plaudit per ironiam poëtae ista ratione instituto. Opinio enim erat vulgo recepta, si omissis omnibus argumentis, quae in communi consuetudine versarentur, omnibusque rebus, ut putabant, humilibus e schola eliminatis, gravioribus subinde rebus et arduis manum admovissent pueri, eos poëtas et oratores magnos esse evasuros. *Lucum* itaque, *rus saturum* cet. posuisse videtur noster pro unoquoque argumento simplici et vulgari, cuius dignitatem tamen v. 73 seq. ostendit.

76—84. Ex pluribus auctorum, qui circa aut non longo post Persii tempora vixerant, locis abunde constat, oratores et poëtas obsoleta ex vetustis poëtarum carminibus verba, dictiones et translationes, cum novitatis studio, tum ad doctrinae ostentationem, captasse. Quam rem, ratione quidem et modo circumscriptam, non inprobavit Horatius Epist. II, 2. 116 seqq. Eodem vitio tunc laborabant Graeci. Lucian in rhet. praec. T. III. p. 18. ed. Reiz. Hoc nimium antiquitatis studium et inanem in captandis verbis priscis et dictionibus obsoletis adfectationem carpit Noster ita, ut ex patrum stolidorum persona, filios suos monentium, pergat.

76. *Est nunc* cet. i. e. multi Acci et Pacuvii (antiquorum poëtarum) studio delectantur et tenentur, quibus si probari vultis, istos veteres imitemini necesse est. *Briseïs* Hippodamia ab Agamemnone Achilli erepta. Hom. Il. α, 189 seqq. h. l. fabula Acci intelligitur illo nomine inscripta. *venosus* deformis, asper. Auctor de causs. conrupt. eloq. 21. *Oratio autem sicut corpus hominis ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur, sed temperatus et bonus sanguis implet membra et exsurgit toris, ipsos quoque nervos rubor tegit et decor commendat.*

77. 78. *Pacuvius et verrucosa Antiopa* pro: verrucosa Antiopa Pacuvii; *verrucosa* pro: tuberosa, horrida, eadem ratione positum, qua supra *venosa*. De *Antiopa* v. Apollod. III, 5. 5. et ibi Heyn. in notis. *moretur* detineat, delectet. Horat. Epist. I, 13. 17. *aerumnis cor luctificabile fulta. fulta* ad Antiopam translatum proprie ad cor pertinet. Tot aerumnae cor cingebant Antiopae, ut illis ipsis aerumnis et miseriis cor fultum, nixum et incumbens habere videretur. Sic interpretatus est locum Turneb. XXVIII, 26. Equidem, quo melius locum expediam, non habeo. Vtrum haec verba ex ipsa *Antiopa* sint, an Noster Pacuvii rationem

Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, DECENTER?

loquendi, ut dictionis duritiem huius poëtae ostendat, imitetur, non facile quisquam expediet. Ceterum illos duumviros a Persio non omnino inprobari, sed puerulos carpi in vitiis illorum, quae non proprie scriptorum, sed aetatis fuere, imitandis et sectandis occupatos, probabile est ex Quintil. X, 1. Vellei. Paterc. II, 9. 3. et ex ipsis illorum tragicorum reliquiis.

79. *Hos pueris monitus*, ut argumenta tragica sibi proponant, et antiquas dictiones sectentur. *infundere* cum delectu pro: dare. *lippos.* Lippitudo vulgare erat vitium Romae habitantium, h. l. eos simul indicat, qui verum videre nequeunt.

80. *Sartago* proprie vas aliquod, in quo varia frigebantur, translatum ad verborum et obsoletorum et novorum conluviem, significatque dictiones duras, insolentes, verborum ludibria, aliaque veram eloquentiam corrumpentia.

81. *in linguas*, i. e. in loquendi morem et consuetudinem. *dedecus* id est, quod supra *sartago.*

82. *Trossulus* olim honoris nomen et equitibus inditum (Plin. H. N. XXXIII. sect. 9.) sequenti tempore homines belli, φιλόκαλοι, κομψοὶ *Trossuli* vocabantur. Senec. Epist. 76. *Idem faciam, quod Trossuli et iuvenes?* et Epist. 87. *O quam cuperem illi (Catoni) nunc obcurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem. in quo Trossulus exultat* duplici ratione potest explicari, vel in quo sc. dedecore, Trossulus, orator seu causarum patronus, se iactat vehementer sibi placens; vel in quo, i. e. quum audit hoc, Trossulus, unus e corona vel iudex ipse, gaudio gestit parumque verecunde plaudit. Prius praeferendum videtur ob sequentia. *tibi* ex vulgaris orationis consuetudine h. l. abundat. *per subsellia*, in iudicio. *levis* ad habitum Trossuli spectat, qui rasus erat et vulsos.

83. *Nilne pudet* cet. Patronos tangit Noster, qui non id agebant, ut reum a criminis suspicione liberarent, sed ut iudicum et coronae, ad cuius gustum orationes suas adcommodaverant, exclamationes captarent. Hoc inprobat Quintil. VII, 3. *cano* auget πάθος.

84. *Pellere capite* pro: depellere a capite. *tepidum* de eo dicitur, cuius ardoris vis iam consenuit, ergo languidum, ieiunum, significat, naturamque τοῦ *decenter* spectat ex mente Persii. Equidem malim *trepidum* legere, ita ut *trepidum decenter* significet adclamationes hominum trepidantium, patronique orationem, ad suas aures compositam, parum continenter cum laetitiae significatione excipientium.

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. doctas posuisse figuras
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceves?
Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.

85—91. Venit iam ad nimium figurarum usum, qui artem redolet, cuius artis suspicio vel maxime oratoribus fugienda est. Vel reus ipse, inquit, ad crimen in iudicio turpi a se removendum non argumentis utitur, sed puerilibus eloquentiae artibus aures iudicum demulcens absolvitur.

85. *Fur es, ait Pedio. Pedium* causae patronum, qui clientis caussam ut suam soleat tueri, cum Casaubono non intelligo, sed reum eum esse puto. *Pedius quid?* sc. dicit contra, qua ratione se defendit?

86. *librat*, i. e. ponderis quid habeant criminationes (*crimina*) exquirit, aestimat *in antithetis rasis*, figuris orationis, quibus contraria contrariis opponuntur. *rasis*, expolitis. Pertinet quidem haec figura ad ornatum et cultum orationis, nimis autem frequenter usurpata, ut omnes huiusmodi deliciae, nauseam movet, et puerile ingenium auctoris indicat. De Rhetorica fucata lepidum legitur phantasma apud Lucian. in Bis accusato T. II. cap. 31. ed. Reiz.

87. *bellum hoc*, vox admirantis plebeculae. *hoc bellum?* cum indignatione Persius interrogat eadem verba repetens. *an Romule ceves?* Summa cum acrimonia hoc. Tu a Romulo oriunde, qui eo nomine tantopere gloriaris, ad hanc indignitatem delaberis, ut ea probes, quae cinaedo tantum possint placere? *cevere* enim est cinaedum agere.

88—91. Sensus, qui his versibus continetur, hic est: Dolor verus me movet, non fictus. Dolor verus omnem ornatum orationis, omnem verborum pompam, omnia, quae artem redolent, respuit, et defensio alicuius rei, non firmis argumentis sed rhetoricis ineptiis confisa, tantum abest, ut misericordiam meam excitet, ut sensum potius eius contra omnem turpitudinem obduratum prodat. Illius oratio ambitiosa non magis me commovebit, quam naufragus me adducet, ut eo ipso, quod cantat, assem ipsi porrigam.

88. *Men' moveat?* scil. naufragus. *quippe* per ironiam.

89. *cantas, quum* cet. Vulgari oratione sic essent efferenda: Erras mi homo, non proferam assem; nam, quod cantas, signum est, te *pictum* (in hoc verbo emphasis latet) tantum in fracta nave esse, i. e. calamitatem tuam esse simulatam. Notum est, naufragos pictam in tabella tempestatem cum nave fracta circumferre solitos esse, eaque re obvios ad stipem sibi erogandam impellere. Iuvenal. XIV, 300 seqq. Qua consuetudine etiam multos, qui numquam naufragium fecissent, ad misericordiam hominum commovendam, abusos fuisse, probabile est.

90. 91. *verum, nec nocte paratum Plorabit. nocte paratum* est lucubra-

«Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.»

tionibus, itaque operose meditatum, quod veri doloris sensus reiicit. Sensus: verum dolorem ex calamitate aliqua captum debebit significare, ita dolorem exprimere, ut ipsa doloris natura postulat. *qui me volet incurvasse*, conseq. pro anteced., qui me volet eodem doloris sensu, quo tenetur ipse, adficere. Translatum hoc ab onere humeris sublato, cuius pondus portantem incurvat. Senec. consol. ad Polyb. *Intelliges non magis tibi incurvari licere, quam illi si quis modus est, cuius humeris mundus innititur.* Epist. 71. *Quid est in tormentis, quid est in aliis, quae adversa adpellamus, mali? hoc, ut opinor, subcidere mentem et incurvari et subcumbere.* Hoc verbum amplius inlustratur a Ciceron. Tuscul. Q. II, 23. cf. Horat. in arte 110.

92—106. Locum, qui sequitur, non ob unam causam difficillimum esse puto. Primum enim iudicium fertur de prava versuum mollitie per iuncturam praesertim effeminatam quaesita. Qua in re etiamsi aures habere aliquis glorietur quam maxime teretes et adsidua optimorum veterum poëtarum lectione eruditissimas, tamen vix tam acute in hoc genere sentiet, nec tam subtiliter iudicabit, quam olim inter Graecos et Romanos forsan de plebe aliquis, vel oratorem audiens vel recitantem poëtam. In lingua enim, ut vocant, emortua, cuius pronunciationis rationem saltem non adcurate tenemus, quae aspera quaeve levia vocamus, ad nostrâm pronunciandi rationem et ad aurium iudicium, Inde factum, referre nobis proclive est, quod itaque non minus vagum et inconstans animadvertimus, quam illam rationem, qua niti soleat. Deinde, quod negligere solent interdum interpretes, Persius est, qui iudicium suum proponat, idemque stoicus, cui de morum disciplina disputanti forsan maior fides habenda sit, quam de versuom venustate et elegantia disserenti, fierique omnino potest, ut illa versuum mollities, quam tetricus ille et morosus censor effeminatam putat et cinaedis dignam, non tam vehementer vituperanda, suoque loco adhibita vel inter virtutes numeranda sit. Porro ex carminibus, ne titulo et inscriptione quidem nobis notis, singuli versus testimonii loco in partes vocantur, quorum sensum vix divinare, nedum adcurate intelligere possumus, ad quem tamen iudicium nostrum, ex parte quidem vel hoc loco, referatur necesse est, nisi velimus testa et luto corvos sectari. Postremo quasi cumulus difficultatis adcedit etiam Persii dicendi genus breve et concisum, troporum interdum duriorum amans, quod per se iam, quum vel de rebus tritis loquitur et vulgaribus, negotium interpreti satis facessit. Nuper de hoc loco disputavit *Meisterus* professor in Acad. Viadro-Traiectina, cuius rationem in Comment. Societ. philolog. Lipsiensis T. I. P. II. p. 103 seqq. expositam cognovi, ad quam lectores quoque amandare necesse habeo, quum ab instituto et consilio meo alienum sit, omnium, quae ille vir doctissimus et copiose et multo cum acumine protulit, rationem habere. Ceterum cogitandus est Persius vel ipse sibi obiicere, vel adversarium obiicien-

Claudere sic versum didicit, *Berecynthius Attin.*
Et, *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin.*
Sic, *costam longo subduximus Apennino.*

tem inducere: Illa, quae disputata sunt de tumore nostrorum poëtarum, de antiquorum verborum studio, de artis ostentatione in adhibendis figuris in medio iam relinquamus; sed hoc saltem negari non potest, iunctura molli adhibita versus fieri venustiores et elegantiores, atque in hoc superiores poëtas ab iis, quos nostra aetas produxit, facile superari.

92. Equidem sic verba iungenda puto: *sed iunctura addita decor est et numeris crudis. Iunctura* optima et suavi verborum connexione et capulatione continetur (Quintil. X, 4.): neque a poëtis utique est negligenda. Horat. in arte 47 seqq. Verum gravioribus neglectis illius nimis curiosa et putida observatione summam poëseos contineri arbitrabantur scriptores; nam ex argumenti dignitate, ubertate inventionis, ex partium conlocatione diligenti et apta, ex sententiarum gravitate et pondere, ex verborum proprietate carminibus suis laudem quaerere non erat poëtarum, qui a Nostro reprehenduntur. *numeris* versibus. *crudis* a cibis incoctis et inmaturis frugibus sumptum. *crudos numeros* eos intelligo, qui non satis expoliti sunt, in quibus omnino inest aliquid, quod offendat. Vel huiusmodi versibus, inquit adversarius, decorem conciliari posse iuncturа.

93. *Claudere sic versum didicit* sc. noster poëta, qui vulgo probatur. *didicit* pro solet. Meisterus sic interpungit: *sed numeris decor est; et iunctura, addita crudis, Claudere sic versum didicit.* Ait enim, si absolute legatur *didicit*, duram esse ellipsin. Verum hoc, sed obcurrit non minus dura v. 85. et *crudis* illa ratione absolute positum pro versibus non satis levibus et molliter desinentibus, aeque durum existimo.

93—95. *Berecynthius Attin* cet. Haec verba, ut duo sequentes versus, exceptis *Et* et *Sic* in principiis, ex carmine cuiusdam poëtae desumpta sunt. *Attin* pastor Phrygius a Cybele amatus, cuius fabula obscura est et magna narrationis varietate inplicita. Nomen ipsum varie scriptura exhibetur.—Plura de illo habet Doering. ad Catull. LXIII. *Berecynthius*, a Berecyntho Phrygiae monte. v. 94. *Nerea* pro mare. Valer. Flacc. I, 450. *Delphin.* Quo adludatur, non facile dixeris: alii putant ad notam Arionis fabulam Ovid. Fast. II, 79 seqq. (cf. Brouckh ad Propert. II, 20, 17.) Meisterus ad delphinum, quem Attin, Phrygius Bacchus, ut putat, produxit, laudatque Ovid. Met. XIII, 597. (sic forsan operarum vitio locus designatur). Versum 95 plane non intelligo. Meisterus existimat, *Et* et *Sic* ad versus laudatos a Persio pertinere, itaque locum distinguit: *Berecynthius Attin Et qui caeruleum dirimebat Nerea delphin: Sic costam longo subduximus Apennino.* Agi putat de itinere maritimo quorumdam ex ordine sacerdotum Cybeles seu Gallorum, atque hoc compsrari cum itinere Attis. Sensum, ait, esse: Mare secuimus, ut Attin patronus noster, ut delphin, quem Sabazius noster produxit, atque ita longo Apennini dorso costam (partem) eripuimus.

Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui?
Vt ramale vetus praegrandi subere coctum.

Etiamsi rationem doctissimi viri minus probes, ingenio tamen eius et acumini meritam laudem non negabis. Verum hoc cuiquam vix persuadebit, *costam* vulgo de quocumque rerum latere dici; Persius quidem (Sat. VI, 34.) cum delectu hoc verbo usus est, audacius paullo Virgilius (Aen. VIII, 463.) *costas aeni* posuit: at *costam subducere Apennini*, pro partem Apennini praeternavigare, adeo durum mihi videtur et insolens, ut quemquam umquam hanc dictionem usurpasse vix crediderim. Ceterum animadvertendum est, Nostrum in his versibus aut versuum fragmentis exemplum dare voluisse clausularum mollium. Quintil. instit. IX, 4. *Est in eo quoque nonnihil, quod hic* (in exemplis ab eo adlatis) *singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus permolle: nec solum ubi quinae syllabae nectuntur, ut in his, Fortissima Tyntaridarum: sed etiam ubi quaternae, quum versus cluditur Apennino, et Armamentis, et Oriona.*

96. 97. Nunc demum, ait, carmina molli numero fluere (cf. supra v. 63 seq.), veteresque poëtas in iunctura adhibenda negligentiores fuisse. Ad rem supra omnem modum augendam pro veteribus poëtis ponit Virgilium, artificem in versuum structura summum, cui tamen censurae livor non pepercit. Ovid. Rem. A. 367 seq. Virgilium ipsum expressit per ea verba, quibus Aeneadem ille auspicatus est. Hac ratione Virgilius designatur a pluribus. *spumosum.* De sublimitate hic agi non potest, quamquam Virgilius ea laude inclaruit (Iuvenal. XI, 178 seq.), neque de tumore, quem illud verbum indicare videtur, sed de scabritie, ad quam exprimendam *spumosum* plane ineptum videtur. Si coniecturae locus concederetur, sic legerem: *Arma virumque hoc non rugosum et cortice pingui? Vt ramale vetus de grandi subere coctum.* Obcurrit *cortex rugosus* apud Ovid. Heroid. V, 28. Priori versu comparat ille ineptus suae aetatis versus cum Virgilianis, quaeritque, annon Virgilii versus horridiores sint et asperiores. Scabritiem, quam illis tribuit, similitudine exprimit ab arbore desumpta, cuius cortex rugosus est et pinguis i. e. crassus. Sequenti versu Noster isti inepto quasi adcinit eadem similitudine utens et ad augendam ironiae vim singula exaggerans. Pro simplici *cortice rugoso et pingui* adsumit *ramale vetus de grandi subere*. Suber, φελλὸς, *korkbaum, pantoffelbaum*, describitur a Plin. XVI. sect. 13. a Theophr. H. Pl. III, 16. ubi v. notas I. Budaei a Stapel. Illa arbor habet praeter interiorem et teuniorem etiam exteriorem et crassiorem corticem, qui exterior certis temporibus detrahendus est. Quod ni fit, sponte dehiscit exterior cortex iam per se scabra rimosaque superficie, et in fragmenta se separat, unde superficies arboris horridior etiam et rugosior fiat necesse est. Posuit igitur Noster ramum vetustum grandis suberis, cortice statis temporibus demendo non culti, sed vetustate iam emortui, solisque ardoribus siccati, hoc enim *coctum* significat (cf. Virgil. Aen. XI, 554.), atque hac similitudine illam ridet,

Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis inplerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis,
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.

qua ineptus iste Aristarchus usus erat, simulque totum eius de versibus Virgilianis iudicium. Meisterus l. c. varios interpretum super h. l. conatus conlegit, in ordinem digessit, singulos examinavit et reiecit. Ipse aliam interpretandi viam ingressus est, quam multo acumine doctrinaeque elegantia sibi muniverat. Argumentis omnibus, quibus ille doctissimus sententiam suam confirmare studuit, omissis, sensum tantum, quem arbitratur his duobus versibus contineri, adferam: Persius priori versu quaerit: nonne tales versiculi v. 93. 94. 95. leviter, spumae et corticis instar, fluunt? ut id magis lepidum reddatur, iurat per Virgilii carmen. Sequenti versu ipse sibi respondet: recte, leves sunt versus, *ut ramale vetus* cet.

98. Iam postulat Noster, ut risum effusiorem lectoribus moveat, exemplum istiusmodi versuum, qui inepto adversario probentur. *Quidnam igitur tenerum* respicit hoc iuncturam eaque omnia, quibus versus teneri et molles redduntur. *laxa cervice.* Hoc intelligo de recitante, qui capitis nutatione et motu concinnitatem et numerum versuum prosequitur, id quod inprobat Cicero in Orat. 18. et Senec. Epist. 114.

99—102. *inplerunt.* Nominativus omissus est. *Mimalloneis bombis.* μιμάλλονες, βάκχαι, βοηδρόμοι. De istis mulieribus, Bacchi currum praecedentibus, parum notum est. *Bombus* proprie sonus, quem apes edere dicuntur examen novum emissurae; deinde sonus cornuum. *inplere cornua bombis* pro inflare cornua. v. 101. *Bassaris* i. q. baccha a *Bassareus* cognom. Bacchi. *Maenas*, a μαίνεσθαι. *lyncem*, curru Bacchi iunctum. *corymbis*, hederae racemulis fructu croceo seu baccis ornatis, habenarum loco. v. 102. *Euion*, εὔιον, cogn. Bacchi. *reparabilis* h. l. active, pro sonos iterans. Non quaerendum solum, quid in his versibus omnino reprehendendum sit, sed quid Persius reprehensione dignum censuerit. Quidam existimant, versus molles factos esse in primis eo, quod primus et tertius, secundus et quartus versus in syllabas eiusdem soni desinant, et quod in primo, secundo et tertio versu eo loco, ubi cum verbo etiam pes terminatur, syllaba inveniatur eiusdem sonus cum postrema versus syllaba. Verum in hoc umquam mollitiem aut elegantiam posuisse veteres, aliunde non constat, potestque fieri, ut id, quod semper vitiosum habitum est, casu aliquo in illos versus inrepserit, ut in optimis et Graecorum et Romanorum carminibus haud raro deprehendimus, atque longe aliud sit, propter quod Noster illos versus excitaverit. Fusius de structura horum versuum egit Iacobus Bononiensis Thesaur. critic. T. I. p. 667. ed. Grut. Ceterum plura debent esse in his versibus, sive Neronis sint, ut vetus in-

Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est *Maenas* et *Attin*,
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues. —

terpres vult, cuius auctoritas tamen nullo modo ex Dion. Cass. p. 999. ed. Reim confirmari potest, sive alius, quisquis ille fuerit, quae Persio censuram mereri visa sunt. Certe tumorem unusquisque in illis adnoscet.

103. *Haec fierent* i. e. huiusmodi versus scriberentur. Verba Persii cum gravitate tandem poëtarum vanitatem reprehendentis. *testiculi paterni*, pro *sanguinis paterni*. Sensus: si adhuc ulla in re, in sentiendo et agendo, patrum mores exprimere vellemus. *viveret* exquisite pro ita nobis inesset, ut ad sensus nostros et actiones pertineret.

104. 105. *summa delumbe* cet. Quae sequuntur Casaubonus ita interpretatus est: *Delumbe hoc*, i. e. delicatuli huius (Neronis) poësis; *natat summa saliva in labris*, i. e. nullum habet solidae eruditionis fundamentum, sed in extremis labris, ex superficiaria doctrina quadam nascitur temere et sine arte. Laudat tum Quintil. X, 3. ubi ex verbis: *verba in labris nascentia* interpretandi rationem sumsisse videtur. Porro, *in udo est*, Casaubonus explicat: languida et mollia sunt carmina, ut coria et multa alia aquae inmersa et madefacta, robur suum et τόνον priorem amittunt. Quae interpretatio, nisi auctoritate doctissimi illius viri sustentaretur, nemini, ut arbitror, satis facere potuisset. Iam meam qualemcumque opinionem proponam. *delumbe* est enervatum, cui mascula vis deest, molle, insipidum, et quidem *summa saliva*, quod auget vim *insipidi*: nam quum aliquid gustu explorare volumus, saliva super linguam multa sponte colligitur, qua dissolvitur id, quod, quomodo sapiat, scire volumus. Vs. 105. videtur ex interpretamento τοῦ *summa saliva* natus esse. Hoc forsan, nescio quis, explicare voluit per: *natat in labris*, idque porro per: *ieiunum est*, unde, *in udo est*, postea ortum, quibus postremo ab alio quodam ad versum explendum satis inscite *Maenas et Attin* additum est. Olim levi mutatione locum sic legi: *Summa delumbe saliva Hoc natat in labris ieiuno, et Maenas et Attin Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues*; hoc sensu: hoc adeo insipidum est et nauseam movet, ut vel esurienti intra labra haereat, atque in saliva, quam nausea multam colligere solet, quasi natare videatur.

106. *Nec pluteum caedit*, cf. Horat. Sat. II, 3. 7 seq. Habuere antiqui ad parietes et grabbatorum pluteos, ceratas tabulas, in quas continuo, atque animo subiicerentur, repentinas referrent commentationes, ne e memoria elaberentur. *Pluteus* erat tabula erecta ad unum latus lecti cubicularis, nam ad alterum sponda nuda erat. *Caedere* proprie dici potest de poëtis, quorum meditatio parum procedit, et qui eam ob causam omnem suam indignationem in pluteum effundunt; h. l. translatum ad poëma, in quo elaborando parum sudatum est. *demorsos ungues*. Unguium

«Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina

conrosio sollieiti animi et quem sui ipsius poenitet, signum est. Sensus: nec sapit multum laborem et studium. Quintil. X, 3. Nostrum laudat. cf. Horat. Sat. I, 10, 70 seq. quem locum Noster imitatus est.

107—134. Equidem semper statui atque etiam nunc me in eadem opinione esse confiteor, primam hanc Persii satiram ex duabus diversi argumenti satiris casu quodam esse conflatam, in quarum una necessitatem satiras scribendi exposuerit, in altera scribendi et recitandi libidinem pravumque hominum de carminum virtutibus iudicium acriter perstrinxerit, neque pauca ex utraque intercidisse. Ad priorem mihi pertinuisse videntur v. 1—12, et 107. usque ad finem, ad posteriorem reliqui. Atque in iis versibus, quos ad alteram satiram pertinuisse diximus, non uno in loco videmus transitus adeo duros et abruptos, rerumque expositionem adeo mancam ac debilem, ut Persii manibus iniuriam facere paene videamur, si illa sic, ut nunc circumferuntur, ab eo profecta esse arbitramur, praesertim quum ex secunda, quinta et sexta satira perspicuum sit, eum non solere singula tam leviter adtingere, eaque tantum rerum lineamenta ducere, ex quibus, quales sint, nemini innotescere possit, sed potius iis interdum iusto diutius inhaerere, nec minutissimas quidem partes negligere, ut omnes facere solent, qui ubertate ingenii destituuntur. Haec sane sunt, quae suspicionem hiatuum praebeant necesse est, qui hiatus postea, interdum non satis feliciter, consuti rugas passim et plicas reliquerunt, quibus nunc quidem obfendimur. Ceterum nexus eorum, quae nunc sequuntur, cum anteced. tolerabili ratione sic potest cogitari: Adversarius quum videat, disputando nihil profici, periculi mentionem facit, quod Persio inumineat, nisi satiras scribendi consilium deponat. Pergit itaque: sint ista vel maxime, ut tu dicis, tamen solus contra ibis, et mordacitate tua nobilium turbam inritabis?

107. *radere*, pro obfendere. Quintil. Instit. III, 1. *quorum* (sc. quae discenda sunt) *ne ieiuna atque arida traditio averteret animos, et aures praesertim tam delicatas raderet, verebamur. Mordax* de eo dicitur, quod animum vehementer pungit; *verum mordax* est molestum, iniucundum. Indoles et natura satirae Persianae hoc potest indicari.

108. *Auriculas teneras.* Diminutivi usus h. l. valde adcommodatus est; sic etiam Horat. Sat. II, 5. 32. *teneras* i. e. velificationibus adsuetas, nudique veri inpatientes. *maiorum*, procerum, principum.

109. *Limina frigescant* Horat. Sat. II, 1. 60 seqq. *Liminibus* apud poëtas epitheta tribuuntur ab hominibus plerumque ducta, qui domum inhabitant. Sed h. l. *frigescant* proprie ad limen spectat. Frigere enim dicuntur res, quae non tractantur, ut de *studiis* notum est. Limina igitur, quae adire prohibemur, *frigere nobis* dici possunt. De clientibus aut hominibus

Litera.» Per me equidem sint omnia protinus alba :
Nil moror. euge, omnes, omnes bene mirae eritis res.
Hoc iuvat; Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus : extra
Meiite. discedo. Secuit Lucilius Vrbem,

omnino, quos fortuna non admodum in deliciis habet, hic locus intelligendus est, qui diluculo iam ad patronos salutandos, ut sportulam adcipiant, aut ad coénam invitentur, properant, in quorum numero Persii et Iuvenalis tempore vel tribuni et praetores erant. Quis poterat ibi ferre veri amantem et propterea odiosum et molestum? Atque hoc quoque satiricae rationi adcommodatum est, quod rei per se levissimae periculo Persium territare studet adversarius, quae res tamen maxima vulgo habebatur. *sonat hic de nare canina,* pro naris canina ibi exprimit.

110. *Litera*, videlicet R, quam literam canis hirriens exprimit. Sensus: hic, in liminibus iacet canis hirriens, qui te a foribus divitum, quando eos salutatum is, abiget, invisum propter satiras. Canes catenarii in vestibulo aedium alebantur, ut latratu fures aut indicarent aut abigerent. Vt autem, si quis introiret, illum caveret, parieti inscriptum aut insculptum erat: *Cave canem.* Ovid. Trist. II, 459 seq. Petron. 27. et 77. *Per me equidem* cet. Similat Noster inridens, se eius, quocum res sibi esse fingit, monitu a scribenda satira esse deterritum. *Alba*, praeclara. v. Ruperti ad Sil. Ital. XV, 53.

111. *Nil moror* sc. ea omnia esse *alba*; itaque h. l. pro: non repugno. *bene mirae*, per ironism.

112. *Hoc iuvat?* Horat. Sat. I, 4. 78. Ceterum *iuvat* pro delectat. Sensus: Iamne tibi placeo? Haud scio an melius sit signum interrogandi delere. *oletum*, locus, ubi alvus exoneratur.

113. *Pinge duos angues*, ad indicandum scilicet, locum sacrum esse, ne quis eum vel mingendo vel alvum exonerando profanet. Ceterum cur *duos angues?* De hoc signo nihil mihi aliunde innotuit, alienumque videtur, quod Casaubonus ex Aristoph. Pluto 733. in partes vocat. Aptiora forsan sunt, quae Heynius notavit ad Virg. Aen. V, 84. Servius ad hunc locum: *Nullus enim sine genio locus est, qui per anguem plerumque ostenditur.* Sed idem Servius Persium, quem excitat, solum ante oculos habuisse videtur. *sacer est locus.*

114. *Meiite. Meiere* extremum saepe contumeliae signum, qua locus aliquis adfici poterat. Iuvenal. I, 131. Hoc ne quis faceret in tumulis, cippi titulus deprecabatur, adiecta saepe inprecatione mala. Animadvertendum sane est, quam acerrimo sale et summa acrimonia simplex sensus: a censura morum pravorum, ut a re sacra, abstinebo, expressus sit. *discedo.* Quasi similat se abire. *Secuit* cet. Statim revertens, consilio quasi mutato, Noster rursus incipit: Sed si idem aliis licuerit, cur mihi minus liceat? *Secare* a flagellis hoc ad satiram Lucilii translatum est propter vim et vehementiam, quae in ea regnat.

Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men'mutirenefas,necclam,neccumscrobe?«Nusquam»
Hic tamen infodiam. vidi, vidi ipse, libelle,
Auriculas asini Mida rex habet. hoc ego opertum,

115. *Te Lupe, te Muti.* *Lupus* et *Mutius* propter vitae turpitudinem infames Romanorum proceres, in quos flagello Lucilius saepe insonuit. *genuinum fregit*, fortius quam *dentem inlidere*, quod habet Horat. Sat. II, 1. 77; firmissimum dentem fregit, i. e. omni mordacitate et acerbitate in istos usus est.

116. *vafer*, callidus, sollers; artem Horatii id designat, qua iocando et quasi non data opera in satiris suis pungit. *ridenti amico.* Particip. pro subst. positum; adiect. pro subst. habet. Virgil. Georg. III, 121. *ridenti amico* pro: risu venusto, iucundo. Hominum stultitiam risui exponit Horatius cum urbanitate semper iocando; hoc bene Persius expressit per: *ridenti amico tangit vitium.*

117. Illud *tangit* qunque cum delectu, levissimamque rationem exprimit, qua vitia carpi possunt. *admissus*, tamquam ἀοιδός, qui coram canat; simpliciter pro: lectus. Casaubonus iungit: *admissus circum praecordia*, secundum Graecam dicendi rationem ἐν φρεσὶ κατατίθεσθαι. Minus bene, ut puto. *Circum praecordia ludere*, idem est, quod risum movere, quo diaphragma praecipue concutitur, iucundo carminum genere.

118. *Callidus excusso populum suspendere naso.* *Callidus suspendere* Graece. *Suspendere aliquem* nonnumquam est, confundere aliquem, facere, ut aliquis nesciat, quid faciat, quidve dicat. Hoc maxime fieri solet, quum aliquis facete dicto ab altero pungitur, aliisque risum praebet, aut quum fastidiose ab aliquo excipitur, seseque contemptum et despectum sentit. Illud hic locum habet, quum adiiciatur *excusso naso* i. e. risu, quo nasus excutitur; hoc apud Horat. Sat. I, 6. 5. quum additum sit *adunco naso*, quod sannam designat et contemptum. Quintil. Instit. XI, 3. *Naribus labrisque non fere quidquam decenter ostendimus, tametsi derisus, contemptus, fastidium significari solet.* Tolerabilior saltem est haec explicatio, quam quae in lexicis vulgaribus exhibetur, etiamsi viris doctis forsan non sit satis factura.

119. *Men' mutire nefas?* *Mutire* cum delectu, ita loqui, ut nemo possit intelligere, quum id aperte facere prohibearis. *cum scrobe* pertinet ad fabulam de Midae tonsore, ut sequens.

120. *Hic tamen infodiam* i. e. literis tamen mandabo, quod aperte dicere mibi non licet. *vidi, vidi.* geminatio verbi pertinet ad cupiditatem rei evulgandae, quam aegre animo contineas.

121. *Auriculas asini Mida rex habet.* Male hoc ad Neronem trahitur.

Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque adflate Cratino,
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.

Manet Persius in similitudine, qua remota dicere voluit: omnia ea quae aperte dicere mihi non licet; pro hoc id posuit, quod Midae tonsor dicere prohibitus fuerat. Si fabula vera est, quam auctor vitae Persii narrat, potuit omnino Cornutus hunc versum mutare (satis inepte ita: *Auriculas asini quis non habet*), non quia hoc versu Nero tangeretur, sed quia in se dictum hunc versum Nero suspicari potuisset. Verum haec mera grammaticorum commenta esse arbitror. *hoc ego opertum* i. e. meum libellum, in quo illa descripsi.

122. *Hoc ridere meum.* Designatur per hoc natura et indoles libelli, pro: in quo stultorum mores risi. Non satis adcurate de genere satirae, quo usus est. *tam nil*, vel ex vulgi opinione (cf. v. 2.), vel nemini nocens risus, quem animi causa exercui nulla laedendi cupiditate.

123. *Iliade* sc. Acci aut alius cuiusquam inepti poëtae, quae in pretio habebatur. Sensus: meas nugas pluris existimo, quam insulsa opera poëtarum nostrae aetatis.

123—134. Iam, quos lectores sibi optet, indicat. Omnes veri amantes ad lectionem invitat, omnes contra, quibus bonae artes contemptui sunt, omnes procaces et superbos remotos esse vult.

123. *Audaci quicumque adflate Cratino.* Tu quisquis sis, qui *adflatus* es, id est in quem ingenium Cratini quasi transiit, ut mores pravos hominumque stultitiam carpendi studio ducaris, quod in vetere Graecorum comoedia praecipue regnabat. *audaci.* audax enim erat in castigandis hominibus.

124. *Iratum Eupolidem.* Epitheton *iratus* non videtur pertinere ad indolem Eupolidis, neque ad scribendi genus, quo usus est; etenim remissius Cratino et Aristophane fuisse dicitur. Verum haec non sunt ad vivum resecanda, praesertim quum sint, qui de Eupolide aliter statuant. *praegrandi cum sene.* Omnes interpretes Aristophanem intelligunt, et sane etiam ab Horatio (Sat. I, 4. princ.) et a Quintiliano (X, 1.) cum illis duumviris copulatur. Sed cur Persius eum *praegrandem senem* vocat? Hoc neque ad tempus, quo vixit Aristophanes, potest pertinere (adiungitur enim vetustioribus ipso scriptoribus), neque ad aetatem eius; etenim aetate minorem eum, quam Cratinum, obiisse probabile est, quia a Luciano (Macrob. T. III, p. 227. ed. Reiz.) in longaevis non recensetur, qui Cratini mentionem facit. Neque ea ratio, quam Casaubonus proponit, locum potest habere; dicit eum ob monendi et increpandi partes hoc nomen obtinuisse; quum lepidum, ingeniosum, dicacem eum potius dixeris, quam, quod senectutis proprium est, morosum et severum in dicendo. Forsan *praegrandis* dignitatem spectat Aristophanis, et *senex* vocatur propter tempus, quo vixit, remotum a Persii aetate. *palles*, studiose legis. Saepe *pallor* pro studio acri ponitur.

125. *haec* sc. quae ego scripsi. *Decoquere* est minuere, detrahere, inde,

Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere, LVSCE,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti aedilis iniquas:
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas

limare, castigare. *decoctius* igitur pro: diligentius elaboratum.

126. *Inde* Casaubonus explicat: ex eorum numero, qui aures purgatas habent veteris Graecorum comoediae lectione. Melius, ut mihi quidem videtur, *inde* cum *vaporata aure* coniunxeris. Lector mihi *ferveat* i. e. vel frequens mihi contingat, vel adsidue et studiose me legat (prius magis placet) *aure inde vaporata* i. e. aure adcensa vel adcensus veteris comoediae scriptoribus eorumque carpendi vitia studio.

127. *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit.* Eos lectores nolo, qui nomine Romano superbientes omne Graecorum nomen, eorum cultum, elegantiam artesque contemnunt, petulanterque se gerunt. *Crepidae* soleae crassiores, quibus Graeci pedum plantas muniebant. Suet. Tib. 13. Balduin. de calc. 14. Erant Romae, qui luxu omnis generis diffluerent adeo, ut priscis moribus in cultu ac victu plane desertis externos induerent; erant contra, qui priscam gravitatem et severitatem in externo corporis cultu prae se ferrent, omniaque, quae a peregrinis Romam advecta erant, contemnerent. Illi Graecos doctores, quibus disciplinam et institutionem liberorum committerent, domi habebant, magnique faciebant, his omnes Graeci adeo ludibrio et contemptui erant, ut ubique illis inluderent.

128. *Sordidus* ad nimiam cultus negligentiam spectat. *et lusco qui possit dicere, lusce.* Hoc exemplo expressit Noster petulantiam et superbiam istorum hominum; ut

129. fastum et adrogantiam inanem. *Sese aliquem credens.* In *aliquem* latet emphasis. Quantivis pretii virum se existimans. *Italo honore.* Vniversa Italia ius civitatis quidem diu desideratum armisque petitum sensim paullatimque obtinuerat, verum municipiorum et coloniarum differentia, ius porro Latii atque Italicum remansit. Posuit Noster quemdam non iure Quiritium, sed Italico, magistratu non Romae gesto, sed *Areti* Hetruriae oppido, inflatum; stultitia enim, quae cum omni fastu coniuncta est, rei, qua quis superbit, inanitate et exiguitate augetur. *supinus* ὑψαύχην, animi vitium corporis habitu declarat.

130. *Hemina* est dimidia pars sextarii. *iniquas*, iusto minores. Iuvenal. X, 99 seq. *Aedilibus* etiam in municipiis cura urbis erat mandata, ideoque et rerum venalium.

131. *Abacus* erat tabella, pulvere seu arena sparsa, in qua radio numeri scribebantur. Per *numeros* in *abaco* arithmetica, et per *metas in pulvere secto* geometria intelligitur: nam figuras mathematicas in pulvere tunc

Scit risisse vafer; multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

depingi radio solere notum est. Inde vocat Cicero Archimedem: *homunculum a pulvere et radio*. Duae autem hae disciplinae pro omnibus artibus liberalibus positae sunt.

132. *Scit risisse*, pro: solet seu potest ridere. *vafer* i. e. facetum et lepidum se putans. *multum gaudere paratus* pro: nulla uberiori voluptate adfici, nullo iucundiore spectaculo frui potest, quam quum videt cet.

133. *petulans nonaria*, prostibulum, a hora nona, qua patebat aditus ad lupanaria. *barbam vellat*, spectat ad horum philosophorum ἀπάθειαν, qua omnes contumelias et iniurias sibi inlatas aequo animo perferebant.

134. *edictum* i. e. fori negotia. *Callirhoën* nomen scorti pro: scorto quocumque. Sensus: hi mane fori negotia curent, post prandium cum scortis rem habeant. Ceterum quomodo Romani tunc temporis diem consumerent, disces ex Iuvenal. I, 127 seqq. Martial. IV, 8.

SATIRA II.

AD PLOTIVM MACRINVM DE BONA MENTE.

ARGVMENTVM

Haec satira est epistola gratulatoria ad Macrinum die eius natali missa, in cuius principio amicum suum nil nisi recta a Diis petere dicit, ideoque ei magno sacrificiorum adparatu non opus esse. 4. *Hinc occasionem petit ad reliquorum hominum stultitiam severe notandam, quorum vota plerumque eiusmodi sint, ut clara voce ea nuncupare erubescant.* 16. *Operae pretium esse scire, quid tandem de Iove sentiant. Etenim si in Iovis locum nequissimum quemque mortalium substituissent, eique vota sua commisissent, non posse fieri, quin is plenus indignationis Iovem ipse inclamaret.* 25. *Verum Deos propterea ab hominibus contemni, quod vindictam illorum non continuo experirentur, sacrificiisque propitios reddi posse, existimari.* 30. *Iam quasdam species huius stultitiae profert, inepta vota aviae aut materterae.* 40. *Ostendit deinde, ea saepe Deos rogari, quae, quo minus consequi possint homines, eos ipsos in culpa esse.* 44. *Hoc inlustratur exemplo eius, qui multarum pecudum sacrificiis, Mercurio oblatis, greges suos augere velit, eoque ipso autem eos minuat.* 51. *Pergit porro: ex suis ipsorum ingeniis homines Deos metiri, pretiosasque res, quoniam sibi gratae et adceptae sint, etiam Diis placere, arbitrari.* 68. *Homines quidem in parandis sibi divitiis peccare, tamen utilitatem quamdam ex suo errore capere; aurum vero in templis ne minimum quidem usum habere.* 70. *Conligit tandem, gratissimum munus, quod Diis offerre possimus, animum esse ad omnem virtutem probitatemque compositum, quo Superis oblato faustissima quaevis ab illis nos esse inpetraturos.*

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes adponit candidus annos.

1. *Macrine.* Quis fuerit *Macrinus*, ignoramus, scholiastes *Plotium Macrinum* vocat, eruditum hominem et paterno adfectu Persium diligentem. *Hunc diem numera meliore lapillo.* Sensus: dies natalis tibi sit faustus. Hoc expressit ea ratione, qua dies faustus quisque et ater apud quosdam barbaros notabatur, coniectis nimirum in arcam lapillis et candidis et nigris. Felices dies etiam creta apud Romanos signabantur. Horat. Od. I, 36. 10. *meliore*, albo.

2. Nihil amplius est, quam diei natalis descriptio, *candidus* pertinet ad diei felicitatem. *tibi*, pro: vitae

Funde merum Genio. non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque su-
Tollere de templis, et aperto vivere voto. (surros

tuae parti, quam vixisti. Quoque enim die natali annorum nostrae aetatis numerus unitate augetur. *labentes* epithet. orn. de tempore fugiente, fugam continuam declarans ac celerem, ut aqua in rivo leniter fluente.

3. *Funde merum genio.* Genii religio in celebranda die natali praecipua erat. Eadem die vota nuncupabantur pro incolumitate et felicitate reliquae vitae. *non tu prece poscis emaci.* Hoc loco occasionem adripit, de votorum inprobitate et sacrificiorum superstitione suae aetatis conquerendi. *poscis* i. e. ita petis, quasi tibi pro meritis aliquid iure debeatur. *prece emaci* i. e. prece, cui sacrificia sumptuosa adiuncta sunt, quibus Deorum benevolentiam et liberalitatem quasi *emere* studebant, eosque obligatione obstringere, ut se omnis generis felicitatem adficerent cf. infra v. 30.

4. *Quae nisi seductis nequeas committere divis.* Homines, quando cum iis aliquid communicare volumus, quod palam fieri nolumus, *seducimus*, seu ducimus in locum secretum, a turba remotum. Hoc bene translatum est ad Deos, quibus vota secreta fiunt, cumque delectu positum est *committere*. De precibus praeclare Iuvenal. X, 346 seqq. et Senec. Epist. 10. ex Athenodoro: *Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota Diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.*

5—7. Non quilibet iusta et pia Deos rogat, non quilibet id potest facere.

5. *bona*, ut nostrates pro: magna. Horat. Sat. I, 4. 61. *tacita libavit acerra. libavit*, ἀορίστως, pro: sumit thus ex *acerra*, arcula thuraria quadrata, ac de aere plerumque eleganter facta, unde thus promebatur, et in ignem iniiciebatur, itaque pro: sacrificat, precatur. De *acerra* v. Iani ad Horat. Od. III, 8. 2 seq. Ovid. ex Ponto VI, 8. 39 seq. *Nec quae de parva Dis pauper libat acerra, Thura minus, grandi quam data lance, valent. tacita* pro: tacite, votis submissa voce nuncupatis, ne iniquitas eorum et foeditas aliis hominibus innotescat.

6. *promptum*, expeditum, facile. *humilesque susurros* i. e. pressos susurros. *Humilis* vox eadem ratione sed sensu contrario dici potest, qua *alta vox* dicitur.

7. *Tollere de templis* i. e. non adhibere amplius in templis vota facientes. Iuvenal. VI, 538. *et aperto vivere voto* pro: vota aperta facere, aut potius, ita vivere, tam pura mente esse, ut non sit, quod timeat, ne alii vota sua audiant. Senec. Epist. 43. *Rem dicam, ex qua mores aestimes nostros: vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Ianitores conscientia nostra, non superbia obposuit.* Nam non cuiusvis est, ita Deus pre-

Mens bona, fama, fides, haec clare, et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum et sub lingua inmurmurat: O si
Ebullit patrui praeclarum funus! et, O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Inpello, expungam! namque est scabiosus, et acri

cari, ut ab omnibus, qui circumstent, audiatur, quia nihil in votis insit, cuius eum pudere oporteat, sed boni tantum hominis est et honesti. Exemplum tacitarum precum exstat in Sophocl. Electr. 638 seqq.

8. *Mens bona* i. q. mens sana. *fama.* i. e. ut homines bene de ipso existiment. *fides*, ut fidem ipsi habeant. Erat sane tunc temporis, cur *fides* a diis peteretur. *hospes*, quicumque sacrificanti seu precanti adest.

9. *Illa sibi introrsum inmurmurat.* De toto h. l. cf. Iuvenal. X, 23 seqq. *sibi* respicit prius: *ut audiat hospes*, eique contrarium est. Dicere vult Noster: haec ita murmurat, ut ipse solus intelligat, illa ita exclamat, ut omnes audiant. *introrsum*, nam *sibi* id facit. Hoc *introrsum* videtur explicari per illud, quod sequitur: *et sub lingua*, i. e. ita, ut illud murmur sub lingua maneat, nec foras exeat aliisque prodatur. Eadem ratione videtur Noster *inmurmurat* pro murmurat posuisse.

10. *Ebullit.* Antique *ebullim* pro ebullierim, *ebullit* pro ebullierit. *Ebullierit* sc. animam. *Ebullire animam* seu *spiritum* frequenter usurpatur pro: mori (v. interpp. ad Petron. 42.), et tractum forsan a spuma, quae animadvertitur in labris morientium, sed absolute, ut h. l. positum, me legere non memini. Mortem patrui exoptat, vel quod ea tutore moroso ac difficili liberetur, dissolutiusque luxuriae indulgere possit, vel quod res familiaris a patruo relicta ad se venire debeat. Vtrumque potest locum habere. Adiecto: *praeclarum funus!* quasi bonum aliquod adprecantis animum similat. O si patruus moriatur, ut in pompa funebri magnificentissimam meam erga illum pietatem declarare possim! Sciendum enim est, quo amplior esset res relicta, eo speciosiorem pompam funebrem ab herede duci solere; et hoc erat, quod stolidi senes omnibus votis coperent, et in quo exspectanda avaritiae et sordium infamiam, dum viverent, facile sustinerent. Hoc respiciens iste nebulo illo adiecto bene precantis speciem mentitur.

11. *Sub rastro crepat argenti mihi seria* i. e. in agro colendo occupatus, ipse tenuis et pauper, thesauro invento ditescam. *dextro Hercule.* Torrentius ad Horat. Sat. II, 6. 12 seq. ait, Herculem Thesaurorum abditorum praesidem esse. Aliunde haec res nota non est.

12. 13. 14. *pupillumve utinam — expungam.* *Expungere* proprie de iis dici, qui literas in tabulis ceratis delent, disputat Havercamp. ad Tertullian. apologet. 2. Scholiastes dicit, tractum hoc esse a militibus, qui expuncti dicerentur, quando missionem accepissent. h. l. est pro: delere, e medio tollere. Votum hoc est tutoris legitimi, qui pupilli erat pro-

Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur uxor!
Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.

ximus agnatus, ad quem itaque, pupillo mortuo, hereditas pervenire debebat; hoc indicant verba: *quem proximus heres inpello.* In XII tabulis nempe legitur: *si pater familias intestato moritur, cui inpubes suus heres eseit, agnatus proximus tutelam nancitor.* Huius tutelae ratio continebatur in spe subcessionis, ut, qui commodum haberet subcessionis, idem onus tutelae susciperet. Maior itaque fit voti inpietas, quum sit in pupillum conceptum. qui illius inpurissimi fidei et tutelae erat commissus. Ad quod tamen votum faciendum tutor facile cupiditate et avaritia poterat perduci, praesertim quum nemo facilius, quam ipse, huius voti posset compos fieri, modo ita id fieret, ut leges et iudicia caverentur. Hanc igitur expungendi seu tollendi pupilli obportunitatem a Diis tutor iste precari videtur. Adcommodate h. l. *inpello* pro: sequor; studium enim simul submovendi antecedentem involvit. *Namque est scabiosus.* Adiecta causa, tamquam ab animo benevolo votum hoc proficiscatur, corpore enim morbido utitur et vitam vivit insuavem, qua libenter ipse mortem commutabit. Omnem rem conruptam Iuvenalis quoque *scabiosam* vocat. *Acri bile tumet*, δριμεῖαν χολὴν ἔνδον ἔχει. De omni morbo hoc est intelligendum, qui nimia bilis abundantia solet excitari. *tumet* abundantiam bilis ipsam indicat.

14. *Nerio iam tertia ducitur uxor.* Avarus iste non aperte vota sua exprimit, alterum beatum praedicando, qui tertiam iam uxorem efferendam curat, quartam igitur cum dote exspectare possit. Ceterum avaritiae votum, per invidentiae significationem expressum, utrumque vitium, ut solet esse, coniunctum egregie declarat.

15. 16. *Haec sc.* tam nefanda, *sancte ut poscas*, ut vota sceleratissima Diis probentur tamquam pura mente facta (quis non adnoscit gravitatem et vim, qua haec enunciata sunt!); *Tiberino in gurgite* cet. caerimonias et ritus religiosissime observas. Reprehendit nimirum Noster eos, qui castimoniam, qua deberent ad Deos adcedere, in corpore tantum sitam esse putarent, pietatem vero et integritatem mentis, ut votorum ipsorum natura satis abunde indicaret, turpiter negligerent. Quomodo preces et vota hominum a Iove exaudiantur, lepide commentus est Lucianus Icaromenipp. T. II, p. 781 seq. ed. Reiz. ubi multa quoque vota inpie et stulte facta proferuntur. *Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis terque. Gurgite* pro: flumine. Priusquam ad Deos adcederent, aut sacra Diis facerent, corpus, aut manus tantum, vel aqua marina vel fluviali abluere mos erat ab ultima iam antiquitate, ut ex Homero constat, observatus; quo admonerentur homines, ut corpus omni squalore, sic etiam animum a vitiorum contagio purum esse debere. *Terque.* Numerus ternus in his rebus usitatissimus. Tibull. I, 11. 34. Virgil. Aen. VI, 229. Petron. 131.

16. *et noctem flumine purgas. Noctem* posuit pro iis omnibus, quae

Heus age, responde: minimum est quod scire laboro:
De Iove quid sentis? estne ut praeponere cures
Hunc-« cuinam?» cuinam? vis Staio? an scilicet haeres,
Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem inpellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Iupiter! O bone, clamet,
Iupiter! at sese non clamet Iupiter ipse?

noctu adcidere hominemque commaculare posse credebantur.

17—23. His, quae sequuntur, poëta docet, inpia hominum vota Diis adeo ingrata esse debere, ut iis auditis Iupiter, vel inpurissimo quoque mortalium iudice, indignationem vehementissimam non sit cohibiturus. 17. *Heus.* Apostrophe est ad illum, quem paullo ante inpura et sordida vota Diis facientem Noster induxerat.

18. *estne* sc Iupiter tibi tanti, ut meliorem eum existimes cet hoc enim significant illa: *ut praeponere cures.* Huc spectat superius: *minimum est, quod scire laboro* seu vehementer cupio, quia cuivis promptum erit respondere, Iovem omnibus mortalibus esse longe potiorem.

19. *Hunc,* Iovem. Adpellatus ille, ignarus, quo Persius tendat, scire cupit, quid sibi velit haec interrogatio; continuo interpellat Persium ex eo quaerens: *cuinam?* sc. proponam Iovem; et Noster, quasi circumspiciens et cogitabundus, quemnam dicat, repetit illud: *cuinam?* sed statim, tamquam nolit amplius haesitando adversarium morari, aliquem veluti de turba temere nominans, quaerit: *vis Staio?* et quum paullulum ille admirans Persium in istum incidisse, in respondendo haesit et urget illum Persius quaerendo: *an scilicet haeres* sc. in iudicando, pro: an adhuc incertus es?

20. *Quis potior iudex, puerisque quis aptior orbis* sc. sit, utrum Iupiter an *Staius.* Acerrimum flagelli satirici ictum in *Staium* quendam intendit, homuncionem nobis ignotum, conruptelae autem et inprobitatis infamia tunc forsan nobilissimum. Ex historia famosissima iudicii Iuniani mutuatum esse Persium *Staii* nomen indicare videtur scholiastes, cuius verba h. l. conrupta et mutilata sunt, et Casaubonus eum secutus est. Verum ille iudex apud Ciceronem est C. *Stalenus,* aut *Staienus,* ut alii legunt, neque Persius solet longinqua petere et ea negligere, quae ante pedes sunt. Ceterum ridet Noster hac interrogatione dubitationem adversarii, quum *Staius* omnium iudicum conruptissimus et puerorum orborum pestis esset, eiusque infamia, quum ipse Iovi componatur, fit illustrior.

21. *quo tu Iovis aurem inpellere tentas* i. e. vota, quae Iovi facere audes. *Inpellere* enim de ventis dicitur, deinde de sono, qui aurea quasi ferit.

22. *proh Iupiter,* conf. Horat. Sat. I, 2. 17 seq. exclamatio a sensu indignationis acerrimo orta.

23. *at sese non clamet.* cet. Nonne Iupiter ipse quoque indignatione commotus exclamabit, se ipse adpellans,

Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque iubente
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam

quum alium adpellare nequeat, quumque, vel te iudice, Staio sit potior?

24—29. Tune putas, Iovem tibi ignoscere, quum non statim ab eo puniaris? Hanc sententiam alii aliter extulerunt.

24. *ocius* h. l. pro prius, saepius.

25. *sulfure sacro* i. e. fulmine, metaphora ex observatione nata videtur. Senec. Quaest. nat. II, 53. *Quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulfuris esse certum est.* Epitheton *sacrum* et fulmini et sulfuri aptum est; fulmen enim est telum Iovis proprium, et sulfuris frequens usus erat in expiationibus et lustrationibus cum apud Graecos tum apud Romanos.

26. 27. Verba sic ordina: *an quia non iaces* (in) *lucis triste et evitandum bidental fibris ovium et Ergenna iubente.* An quia non iaces percussus Iovis fulmine. Hoc expressit ex ritu autiquo, quo fulguriti, vel loca fulmine tacta, ex Hetruscorum more et instituto procurabantur. *Iaces* traxit Casaubonus ad Numae legem, qua fulmine ictum in genua tolli vetabatur, v. Festum in voce *Occisum.* Nimis argute, ut opinor; omnino potest intelligi et dici de occiso. Virgil. Aen. I, 99. ibi v. Heyn. *bidental* locus proprie fulmine tactus, caesisque bidentibus expiatus; h. l. ad ipsum hominem translatum. Salmas. ad Solin. p. 799 seq. *evitandum* pedibus enim calcare huiusmodi locum nefas habebatur, idcirco sepiebatur et claudebatur. Horat. in arte 471. *triste* vel ab omine, vel ab effectu; tristes enim facit viatores talis casus memoria et monimentum. *lucis.* fiunt nempe vota in templis, quae plerumque inumbrabat lucus, in quo arbores, quia non caedebantur, erant altissimae, ideoque fulminibus magis expositae, inde lucorum fulmine tactorum frequens mentio apud veteres. Hoc periculosum quoque fuit in lucis versantibus et templa adeuntibus, tempestate subito oborta. *quia non iaces* (in) *lucis* significat ergo: quia non continuo votis factis, in ipso loco sacro, a Iove fulmine tangeris. *fibris ovium Ergennaque iubente.* Huius rei procuratio non nisi certis ritibus et haruspiciis fieri poterat, adhibebaturque ad eam rem sacerdos fulgurum conditor, cui nomen erat Hetruscum *Ergenna;* qui inspectis ovium intestinis (*fibris*), quid factu opus esset, ostendebat. Huc referas *iubente.* Lucian. Iupit. confut. T. II. p. 638. edit. Reiz. τί δήποτε τοὺς ἱεροσύλους καὶ λῃστὰς ἀφέντες, καὶ τοσούτους ὑβριστὰς καὶ βιαίους, καὶ ἐπιόρκους δρῦν τινα πολλάκις κεραυνοῦτε, ἢ λίθον, ἢ νεὼς ἱστὸν, οὐδὲν ἀδικοῦσης; ἐνίοτε δὲ χρηστόν τινα καὶ ὅσιον ὁδοιπόρον; τί σιωπᾷς, ὦ Ζεῦ, ἢ οὐδὲ τοῦτό με θέμις εἰδέναι; nec habet Iupiter, quod respondeat.

28. Idcirco putas, Iovem se tibi ludibrio praebere? *barbam vellere* pro: quocunque contumeliae et vexationis genere. conf. Sat. I, 133. *stolidam*, hoc ad eum proprie per_

Iupiter? aut quiduam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum', frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto

tinet, qui volens barbam vellendam praebet, aut cuicumque contumeliae, ἀπάθειαν illam similaos, spoote se obfert, oeque eam propulsat.

29. 30. *aut quidnam est, qua tu mercede deorum Emeris auriculas. quidnam est, qua mercede* pro: quidnam est, quo tamquam mercede. *emeris auriculas deorum.* Facete; scilicet ut exaudiant preces tuas sacrificiis tamquam mercede conducti. *pulmone et lactibus unctis?* pro sacrificiis quibuscumque. *lactibus unctis*, pinguibus intestinis. Nonius io *Lac: Lactes dicuntur intestina.*

31—38. Aliod votorum genus Noster tangit, quae superstitiosa anus pro infante puero die eius lustrico suscipit. Omnia ita expooit, tamquam ante oculos gerantur.

31. *metuens divum*, superstitiosa.

32. *uda* epitheton aptum infantium labris.

33. *infami digito*, i. e. medio, cuius obiectu veteres hominem infamem solebant notare. Petron. 131. Antholog. Lat. Burm. T. II. p. 528. Iuvel. X, 52. ibi Ruperti. Spectat id, quod anus facit, ad incantationem, qua a morbis, quos veneficae possent inmittere, puerum vindicare studet. Petron. l. c. *Salivam lustralem*, qua incantationes et fascina prohiberi eredebantur, fronti et labellis inlinit, idque facit *infami digito*, quod rem ridiculam reddit. Forsao hoc a curatiooe oculorum ferventium profectum est, ad quos sanandos saliva mulieris ieiuoae adprime, ut veteribus erat persuasum, utilis habebatur. Ceterum die lustrico, qui puellarum octavus, puerorum nonus erat, recens nati lustrabantur, votaqoe pro eorum salute nuncupabantur. Praecipua huius superstitionis pars pertinebat ad vetulas cognatas, quae natorum cunis exemptorum frontes et labella sputo pulvere misto signabant ad incantationes prohibendas. Quibus peractis ad vota ipsa pro puero suscipienda se convertebant.

34. *urentes oculos inhibere perita. Inhibere* h. l. est prohibere, facere ot noo noceant. *urentes oculi* sunt oculi nocentes veneficarum. Infantes non solum sed et pecudes fascinari posse oculis alicuius mulierculae credebant veteres; Plinius quidem (H. N. VII, sect. 2.) narrat, Cicerone auctore omnes feminas oculis nocere, quae duplices pupillas habeant. Ad fascinum ab infantibus prohibendum colebant quoque Deam *Cuninam.* Lactant. I, 20. 36.

35. *Tunc manibus quatit*, i. e. sublimem adtollit manibus, eumque quasi Diis ostendit praesentibus, eorumque tutelae commendat. Casaubonus laudat Homer. Il. ζ. (471 seqq.) *spem macram* i. e. puerum

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.
Hunc optent generum rex et regina! puellae
Hunc rapiant! quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota: negato

infantem, de quo nihil certi adhuc sperari possit.

36. *Nunc Licini in campos.* Casaubonus intelligit Licinium Stolonem, ut tunc res erant, locupletissimum qui sua ipsius lege, quam contra patriciorum opes pertulerat, ne quis plus quam quingenta iugera possideret, M. Popillio Laenate praetore damnatus est. *Crassi in aedes.* Crassum illum a Parthis cum exercitu occisum aedium amplitudine et magnificentia mire fuisse delectatum ex Plutarcho notum. Sed exempla haec fortasse antiquiora sunt, quam ut Noster ea respicere potuerit. Malim igitur eos sequi, qui, vetere interprete monente, Licinium Augusti libertum intelligunt, de quo Iuvenal. I, 109. XIV, 306. Eiusdem farinae mihi Crassus videtur esse. *mittit in campos* pro: precatur, ut possideat olim haec aut huiusmodi latifundia; sic quoque adcipio Virg. Aen. XI, 47. *Mittit* non positum esse pro *defert*, ut Füllebornius ex Sueton. Calig. 25. et Ioseph. Antiq. XIX, 1. conligere voluit, satis indicat adiectum *supplici voto*, et more receptum fuisse, ut recens nati in aedes amplissimas et spectatissimas ominis causa deferrentur, neque aliunde, neque ex locis in partes vocatis conligi potest.

37. *Hunc optent generum rex et regina. Rex et regina* pro nobilissimis et beatissimis positi sunt. *optent* scil. propter venustatem, pulchritudinem et dignitatem corporis. Similis color orationis est apud Catull. LXII, 42; Virg. Aen. XI, 582 seq. Georg. I, 31.

38. *puellae Hunc rapiant*, fortius quam: ametur a puellis. *quidquid calcaverit hic, rosa fiat* (Contrarium est apud Petron. 44. *Is quacumque ibat, terram adurebat*). Secundum Casaubonum votum hoc est pro absoluta omnibus numeris felicitate. Mihi haec quoque ad vota pro pulchritudine et venustate pueri spectare videntur, cuius curam Horae ac Gratiae sustineant, quibus comitatus, quocunque se convertat, omnia efflorescere sub vestigiis suis videat. Aut his verbis is describitur, cuius omnes Dii praecipuam curam agunt, seque ei semper adesse, quocumque se contulerit, signis manifestis ostendunt. Ceterum venustam corporis speciem non semper et ubique optabilem esse, egregie docet Iuvenal. X, 289 seq.

39. *Ast ego nutrici non mando vota.* conf. Horat. Epist. I, 4. 6 seqq. In prioribus, v. 31, de avia et matertera sermo est, nutricis autem nulla mentio. Hic versus itaque cum praeced. sic iungi potest: Matertera et avia vota quidem suscipiunt pro puero inepta et saepe noxia, at nutricum vota longe ineptissima solent esse, huic ego numquam permitto, ut vota pro puero faciat. Sed potest quoque *nutrix* sensu latiore sumptum esse, ut eas omnes significet, quae pueri curam agere soleant, ideoque *aviam* quoque et *materteram*. Hoc rectius puto, nesusque sententiarum

Iupiter haec illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectae.
Esto, age: sed grandes patinae tucetaque crassa
Adnuere his Superos vetuere, Iovemque morantur.
Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: Da fortunare penates!
Da pecus, et gregibus fetum! quo, pessime, pacto,
Tot tibi quum in flammis iunicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto

inde fit simplicior. Avia aut matertera illa quidem puero precatur, sed male sedula id facit iniussu meo, quippe qui non ignorem, eam, quae vera bona sint, nescire.

40. *negato Iupiter haec illi*, subficiat proinde, Iupiter, semel te rogasse, ut eius votorum numquam rationem habeas, *quamvis te albata rogarit*, quamvis religiosissime, ritibus diligenter observatis, rogarit. *albata* enim ad cultum spectat vota facientium aut sacrificantium.

41—51. Pergit inanitatem perstringere eorum votorum, quae quominus rata esse possint, illi ipsi, qui ea suscipiunt, inpedimenta esse solent.

41. *opem nervis*, i. e. roborationem nervorum debilitatorum, vel simpl. corporis languidi et infirmi. *fidele senectae* i. e. quod senectutem non deserat, quod integrum in senectute maneat, nec eadem ratione hebescat, qua annorum numerus augetur.

42. *Esto, age:* pro: age, per Deos licet, ut voti compos sis. *grandes patinae* pro iis rebus positae sunt, quae in illis patinis adponebantur, quibus quoque amplitudo patinarum adcommodabatur. *tucetaque crassa* opiparum erat ferculum sed nobis ignotum.

43. *his*, votis tuis. *morantur*, inpediunt, quominus tibi facilis esse possit, etiamsi velit. Sensus totius loci est: Gula tua facit, quominus voti damneris.

44—51. Sequitur aliud exemplum ab iis petitum, qui amplissimis sacrificiis greges suos volunt augere, quum tamen non possit fieri, quin ipsa frequenti mactatione minuantur. *caeso bove*, aeque ac versu seq. *fibris* pro sacrificiis omnino. Ratio, cur Mercurii, h. l. mentio facta sit, peti potest ex Homero Il. ξ, 489.

45. *Arcessis* i. e. vocas in auxilium; sacrificiis hoc efficere optas, ut Mercurius praesens te exaudiat. *Da fortunare penates*, Graeca dicendi ratio solemnis. sensus: permitte, ut penates facultates meas prosperent.

46. *quo, pessime, pacto*, sc. dari id a Mercurio potest. Illo *pessime* stultitiam magis quam malitiam Noster videtur notare.

47. *iunicum omenta*. In sacrificiis nempe optimas et pinguissimas hostiae et victimae partes omento involutas comburi esse solitas ex Homero satis notum est. Il. α, 460; ϑ, 240. *liquescant*, adposite ad omenta, quae adipe constant, pro: crementur.

48. *Exta* (cor, pulmo, lien, iecur cet.) Diis in sacrificiis praecipue red-

Intendit: iam crescit ager, iam crescit ovile,
Iam dabitur, iam iam.... donec deceptus et exspes
Nequidquam fundo suspirat numus in imo.
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore laevo
Excutiat guttas laetari praetrepidum cor.

debantur. *ferto. Fertum* libi genus, cuius in sacrificiis frequens usus. *vincere* perficere id, quod optat. *hic.* sc. stultus.

49. *iam crescit ager* cet. Ad naturam hominis cupidi adcommodate hoc, qui, quod cupit, esse quoque existimat. *crescit ager*, hoc esse potest, vel insolita fecunditate sata in agro efflorescunt, vel ipse ager fit maior adiuncta alia parte, quae, data aliqua opportunitate, parata est: hoc spectat *da fortunare penates. crescit ovile.* i. e. numerus ovium iam frequenti fetu augetur; hoc respicit *da pecus, da gregibus fetum.*

50. 51. *Iam dabitur* sc. quod adsiduis sacrificiis a Diis peto. *iam, iam*, fiduciam exprimit stultissimam. *donec deceptus et exspes Nequidquam* cet. Quae ad illum stultum proprie pertinent, translata sunt ad numum in imo arcae fundo. Is quasi contubernales suos alium post alium viderat depromi, sacrificiisque inpendi, semperque speraverat fore, ut arca novis advenis, Diis tandem exoratis, compleretur, atque ut ipse inmotus in sua sede maneret. Sed tandem *deceptum* se sentit et iam *exspes suspirat*, quum ad postremum ipse depromatur. Vulgaris ratio foret: tandem ille stultus deceptum et spe destitutum se intelligit et nihil se egisse facultatibus sacrificiorum amplitudine et copia profusis, quum suspirans in imo arcae fundo numum unicum adhuc restantem animadvertit.

52—58. Tu homo ineptissime, Deos ex tuo ingenio metiris, existimasque, eos eadem ratione auro et argento delectari, ut tu tuique similes. Ex hoc nimirum fonte profluxit insana ista ratio, qua divitiae ex vitae usu ablatae in templis congerantur, ubi ne minimum quidem usum habent. *crateras argenti incusaque pingui Auro dona*, crateras argenteas auro caelatas, Senec. Epist. 5. *Non habemus argentum, in quod solidi auri caelatura descendit.* Huiusmodi crateris descriptio est apud Stat. Theb. VI, 531 seqq. *pingui*, λιπαρῷ, splendido. Verba, quae sequuntur, sic ordino sensumque eorum ita constituo: *Cor praetrepidum laetari*, i. e. properans laetari, in laetitiam pronum; (in) *pectore laevo*, in sinistra pectoris parte. *excutiat guttas*, lacrumas tibi excutiat ipso gaudio. Sensus igitur est omni ornatu detracto: prae gaudio aestues et lacrymeris. Aliter ab aliis hic locus exponitur. Casaubonus legit *excutias* et *laetari* sumit pro infinit. hist. Bentleius ad Horat. Od. II, 19. 5. cuius auctoritatem in textu h. l. constituendo Reizius secutus esse videtur, ordinem verborum et sensum sic constituit: *Sudes, et cor praetrepidum sive properans laetari, excutiat guttas sudoris pectore laevo, sive sinistra parte corporis, ubi cor salit, et sudor erumpere*

Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies. nam fratres inter ahenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Praecipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numae Saturniaque inpulit aera,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.

solet. In quo me offendit, quod *excutiat guttas* de sudore intelligitur, quum iam praecesserit *sudes*, et quod in sinistra potissimum parte pectoris sudor erumpat, quod in re et natura positum esse non existimo.

55. *Hinc*, quia tibi aurum vehementer placet, tuque Deos ex ingenio tuo metiris. *illud subiit*, illud profectum est. *ovato*, hostibus erepto.

56. *Perducis facies sacras*, simulacra Deorum obducis. *nam fratres inter aenos Somnia* cet. Exempli causa Noster aliquem inducit loquentem, qui vel somniis monitum se esse putat, vel oracula per somnum adhuc exspectat, eamque ob rem iis Diis, quos misisse aut missuros esse vera somnia existimat, aliquid, quod ipsis cordi fore arbitratur, vovet. *fratres aenos*. Schollastes ex Acrone profert, in porticu Apollinis Palatini fuisse Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti. Quasdam ex illis statuis oracula postulantibus per somnum dedisse. Apud Propert. II, 23. 1 seqq. et Ovid. Trist. III, 1. 59 seqq. de porticu illa et de statuis Danaidum inter columnas sermo quidem est, verum filiorum Aegypti nulla mentio. Sed veterum testimoniis destituti sequamur Acronis auctoritatem.

57. *Somnia pituita purgatissima*, i. e. somnia vera. Somnia, quae proficiscebantur a corporis aliqua conditione, ut veteres opinabantur, falsa erant et inania. Macrob. somn. Scip. 3. Per somnia futura posse provideri veteribus fuisse persuasum, quum naturam somniorum non satis cognitam perspectamque haberent, nobis mirum esse nequit. Proinde etiam de somniis veris et falsis multa apud veteres legimus, quae sibi invicem repugnant. Hoc loco intelliguntur somnia, quorum probabilis ratio a conditione corporis nulla reddi poterat, numinis igitur alicuius vi et efficaciae adscribenda.

58. *Praecipui sunto* i. e. praecipue a me colantur. *Sitque illis aurea barba*. Et ex stoicorum et ex nostro sensu votum sane ridiculum, non sic ex vulgari opinione. Signis vel ex ebore vel marmore vel aere factis aureos capillos barbamque auream saepe adpositam fuisse constat. An Schefferus autem inde verba Petronii cap. 58. *licet barbam auream habeas*, recte interpretetur per: licet Deus sis, videant eruditi.

59. 60. Idem error, pergit Noster, mutat vetustissima vasa aenea et fictilia, a maioribus ad res sacras faciendas adhibita, in aurea. *inpulit*. Inpellere dicitur de eo, qui aliquem de statu aut deiicit, aut labantem facit; verbum e re gymnastica translatum h. l. pro: e templis removit. Adiecta verba *Numae* et *Saturnia* pertinent ad vetustatem exprimen-

O curvae in terras animae, et coelestium inanes!
Quid iuvat hoc, templis nostros inmittere mores,
Et bona Dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Haec sibi conrupto casiam dissolvit olivo,

dum. *Vestalesque urnas*, urnis, quibus utebantur Vestales ad aquam hauriendam in sacrificiis Vestae adsidue celebrandis. *Tuscum fictile*. Ab Hetruscis, qui in plastica et figlina prae ceteris excellebant, omnes fere ritus religiosos cum instrumentis ad Deorum cultum pertinentibus Romani adceperunt. De artis plasticae incrementis et ortu v. Plin. H. N. XXXV. sect. 43 seq.; idem narrat sect. 46, sua adhuc aetate in sacris fictilibus prolibari simpuviis. *mutat* pro: usum eorum tollit. Cum his fictilibus instrumentis religionem etiam et pietatem sublatam esse e templis veteres memoriae prodiderunt.

61. *O curvae in terras animae. curvae in terras* i. e. quae terram solam spectant, quae ad rectam de Diis notionem se erigere nequeunt, humanaeque naturae inbecillitates ad eos quoque transferunt. *curvae* pro: pronae. Et tamen iussit natura homines *erectos ad sidera tollere vultus*. — *Caelestium* (rerum) *inanes* pro: naturae Deorum ignarae.

62. *Quid iuvat hoc, inmittere* pro: in quam utilitatem inmittitis; et *inmittere templis nostros mores* pro: mores nostros ad Deos transferre. Plato in Euthyphr. T. I. p. 33. ed. Bipont. φράσον δή μοι, τίς ἡ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς οὖσα ἀπὸ τῶν δώρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν. ἃ μὲν γὰρ διδόασι, παντὶ δῆλον. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἡμῖν ἀγαθὸν ὅ, τι ἂν μὴ ἐκεῖνοι δῶσιν· ἃ δὲ παρ' ἡμῶν λαμβάνουσι, τί ὠφελοῦνται;

63. *Et bona Dis ducere*, i. e. ducere seu existimare grata et adcepta Diis, *ex hac scelerata pulpa*, i. e. ex nostro sensu conrupto et depravato, ita ut sensus nostri quasi norma sint, ad quam ea, quae Diis probentur, exploremus. Etenim *pulpa* est proprie caro sine ossibus, deinde crassa illa et mollis, quae solet esse in corpore bene curato, tandem pro moribus et cogitandi ratione illorum ponitur, quorum quasi summum bonum est in corpore bene curando aut in voluptatibus situm.

64—69. Sequitur haec sententia: Peccant quidem homines in parandis rebus iis, quae apud ipsos in pretio sunt; verum enim vero utilitatem aliquam inde quodammodo percipiunt. 64. *Haec* sc. pulpa, i. e. homines luxuriosi s. luxuriae inservientes; *dissolvit sibi casiam oleo* pro: coquit sibi fucum seu unguentum ex casia. Vnguenta enim secundum Plin. H. N. XIII. sect. 1. constabant ex odoribus tritis oleo admisto et resina aut gummi, ut diutius bene olerent; coloris gratia interdum cinnabaris addebatur aut anchusa. De *casia* v. infra ad Sat. VI, 36. *olivo* pro: oleo. *conrupto* i. e. ipsa casia temperato, nativa enim eius indoles odoribus quasi conrumpitur. Plut. Sympos. Quaest. V. T. XI. ed. Hutt. διὸ (quia omnis mistura citius conrumpitur) τάς τε μίξεις τῶν χρωμάτων οἱ ζωγράφοι φθορὰς ὀνομάζουσι, καὶ τὸ βάψαι μιῆναι κέκληκεν ὁ ποιητής (Homer. Il. δ, 141.)

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.
Haec baccam conchae rasisse, et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur. at vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine puppae.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance

65. *Calabrum vellus*, lanam Tarentinam, quae optima habebatur. — *murice*, purpura. *vitiato* ad vellus proprie pertinet, et eadem ratione positum est, qua supra *conrupto*.

66. *baccam conchae* pro: unionem e concha. Plin. H. N. IX, 35. de unionibus: *Crassescunt etiam in senecta, conchisque adhaerescunt, nec his avelli queunt nisi lima.* Inde explicari potest *rasisse*. Obruebantur etiam conchae in vasis fictilibus sale, quo carne omni erosa uniones decidebant, hoc testatur Aelian. de nat. anim. XV, 8. Quantopere in usu essent uniones apud Romanos licet videre ex exemplis, quae Plinius l. c. profert. *venas*, i. e. metalla. Iuvenal. IX, 31. h. l. de auro et argento sermonem esse nemo non videt. De auro, quod puteorum scrobibus effoditur, legitur apud Plin. H. N. XXXIII, 21. *Vagantur hi venarum canales per latera puteorum et huc illuc, inde nomine invento; tellus ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam.*

67. *Massa* est omnis materia, quae coquitur in fornace. v. infra V, 10. Sed quaeritur, quid sit *stringere venas ferventis massae crudo de pulvere?* *Stringere* Casaubonus interpretatur: in massam conflare, Nostrumque ait hoc verbo abuti, cum alias de ferro solum adhibeatur. Nititur ille vir doctissimus Plin. H. N. XXXIV. sect. 41. ubi Plinius dicit, ferri massas *stricturas* dici, vocabulo a stringenda acie inposito, in aliis metallis *stricturae* nomen non adhiberi. Verum *stringere* saepe obcurrit pro: destringere, decerpere; non video itaque, cur non eodem sensu h. l. adhiberi potuerit, quo nostrum in coquendis metallis vulgare verbum: *scheiden*. *Stringere venas ferventis massae crudo de pulvere* ego interpretor: aurum et argentum a scoriis (*crudo de pulvere*) ignis ope separare, purgare.

68. *Peccat et haec* sc. pulpa. Etiam homines peccant, eaque committunt, dum illa faciunt, quae censuram a sapientibus merentur; *vitio tamen utitur*, tamen utilitatem aliquam inde assequuntur homines. Similis orationis color est apud Iuvenal. I, 49.

69. Cf. Iuvenal. XI, 111 seqq. Lucian. Contempl. T. I. p. 505. ed. Reiz. Senec. Epist. 31. *et te quoque dignum finge Deo. Finges autem non auro non argento, non potest ex hac materia imago Dei exprimi similis. Cogita illos, quum propitii essent, fictiles fuisse.* *in sacro* i. e. in templis.

70. Scholiastes: *Solebant virgines, antequam nuberent, quaedam virginitatis suae dona Veneri consecrare.* Nititur ille Varronis testimonio.

71. Nihil sane potuit felicius sa-

Non possit magni Messalae lippa propago,
Compositum ius fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto!
Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

tiram finire, quam gravissima illa sententia, animisque lectorum haesura, quae nunc sequitur, *damus* verbum solenne in sacrificiis. Brisson. de Form. I, 25. *de magna lance. Lancium* usus in sacris satis notus, iis exta reddebantur. *magna de lance dare* h. l. est sacrificia amplissima facere. De lancium mira magnitudine et pondere v. Plin. N. XXXIII. sect. 52.

72. *magni Messalae lippa propago*. Intelligenda est proles degenerata M. Valerii Corvini Messalae, de quo Liv. VII, 26 seq. *lippa* v. supra ad I, 75. Sensus: damus id superis, quod divites dare non possint, dum sacrificia amplissima faciant.

73. *Compositum ius fasque animo* pro: animum ad leges divinas humanasque compositum. *sanctosque recessus mentis* i. e. intimas cogitationes mentis puras. Theocrit. XXVIII, 3.

74. *incoctum generoso pectus honesto*; δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος. Marc. Anton. de rebus suis III. sect. 4. Lactantius Instit. VII, 24. 6. Nostrum ante oculos habuit. Senec. Epist. 95. *Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. Scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. — Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.*

75. Quasi e sacerdotis persona. Deos sacrificiis sibi propitios reddere cupienti salubre consilium ingerentis. *farre* pro quocumque sacrificio vilissimo, *litabo*. Ita sacrificabo, ut Diis gratum et acceptum meum qualecumque sacrificium sit. Virg. Aen. V, 745. Sacrificiorum magnitudinem et magnificentiam parum aut nihil referre ad Deos propitios reddendos, sed casti animi et ab omni labe puri Deos in omnibus sacrificiis votorumque nuncupationibus solum rationem habere, ut sapientissimi veterum subinde monuerunt, ita elegantissime saepe expresserunt.

SATIRA III.

ARGVMENTVM.

Mollem ac desidiosam iuventutem Romanam, opibus et nobilitate fretam, acriter Persius sub persona philosophi stoici perstringit. Sententiarum ordo hic est. Dormiunt iuvenes delicatuli in multam diem 4; excitati somno morosi surgunt, adcingunt se labori, desidiaeque crimen vanis excusationibus effugere tentant. 14. Hanc rationem puerilem magna cum indignatione exprobrat magister adultis, monstratque, eos sibimetipsis verba dare non magistro, sibique nocere summa mollitie depravatos. 22. Formandi fingendique ad virtutis praecepta animi nunc maxime tempus instare. 24; divitias ac nobilitatem ad bene beateque vivendum minime sufficere. 29. Quarum rerum externarum splendorem oculos quidem posse perstringere imperitorum, sapientis non item. 30. Miserrimam esse conditionem eorum, qui relicta virtute scirent, quid perdidissent. 34. Id quod magis inlustratur brevi digressione in virtutis praestantiam et conscientiae stimulos, quibus illius desertores ceu furiarum taedis exagitantur. 43. Communem quidem puerorum morem, quam aversi a rectis studiis esse soleant, quibusque rebus ludicris maxime teneantur, exemplo ex sua ipsius pueritia ducto demonstrat. 51. Sed illos, quum iam ex ephebis excesserint, atque id aetatis sint, ut rectum a pravo dignoscere queant, nihilominus tamen mira quadam negligentia in deligendo sibi certo aliquo vitae genere esse, ideoque sine omni futuri cura. 62. In tempore si adhibeatur medicina, magnum eius usum esse; perditis autem semel moribus sapientiae praecepta raro mederi. 76. Doctrinarum quidem magistri a stupidis derideri, tetricamque ipsorum ac morosam philosophiam, ut vulgo perhibeant, non curari 87; exemplo tamen ab aegroto sumpto demonstrat, quam periculosum sit, medici consilia neglexisse, saepissimeque mortem huius neglectus poenam esse. 106. Vt corporis morbi nonnunquam lateant, eoque vehementius vim suam subito exserere soleant: sic etiam animi commotiones, occasione oblata, solere se ostendere. 111. Magnam igitur curam nobis adhibendam esse, ut, etiamsi vim alicuius morbi non sentiamus, omnem tamen diligentiam in nobismetipsis tutandis futurisque morbis cum corporis tum animi obcurrendo ponamus.

Nempe hoc adsidue? iam clarum mane fenestras

1—9. Cogitemus mollem iuvenem somno altissimo in lecto obpressum ad meridiem paene usque stertentem, coramque porro philosophum stoicum, cuius personam Persius induit, istam socordiam aegre ferentem, tandemque indignationem suam in haec verba effundentem: *Nempe hoc* cet. Optimam enim cuiusque diei partem somno auferri aegre fert magister, suaeque fidei et disciplinae commissum excitat increpans.

1. *Nempe.* indignantis est. *hoc adsidue* sc. fit. Cum gestu hoc ad ster-

Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Subficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est:
Vnus ait comitum. «Verumne? itane? ocius adsit

tentem. *clarum mane.* i. e. solis iam alti splendor. *fenestras.* Aperturae intelligendae sunt, valvis, ut ex sequentibus adparet, obclusae. Erant hae valvae ligneae vel solidae vel reticulatae.

2. *angustas extendit lumine rimas.* Fallaciam opticam Noster sequitur vel pueris notam.

3. 4. *Stertimus, indomitum — subficiat.* Hoc videtur duplicem sensum admittere, ut vel tantum in diem somnum producat ille mollis, quantum ii soleant, qui vino hesterno die acerrime se ingurgitarint; vel ut tam altus et in diem productus somnus eum amplectatur, quam qui subficiat ad edormiendam hesternae commissationis crapulam. In illa ratione comparatione utitur Noster ad somni longitudinem describendam; in hac tangit quoque dissolutorum iuvenum mores; id quod, meo quidem sensu, castigatoris partibus, quas sustinet Persius, magis convenire videtur. *despumare* est proprie spumam effervescentis liquoris de superficie tollere, h. l. pro: vim exhaurire. *indomitum Falernum*, ut apud Lucan. X, 163. vinum generosissimum Campaniae et nobilissimum, austerum (Catull. XXV, 2.) et vehemens (Horat. Od. II, 11. 19.), unde h. l. *indomitum* dicitur. Quod tempori tribuitur, somno proprie aut sudori tribuendum fuisset. Vinum enim largius haustum cerebrum occupare et sanguinis meatum concitatiorem facere solet, eiusque vis per sudorem, qui somno adiuvatur, evaporat. *quinta dum linea tangitur umbra.* i. e. dum quinta linea in solario umbra gnomonis tangitur, pro: usque ad horam diei quintam. Lucian. Lexiph. T. II. p. 326. ed. Reiz. καὶ γάρ ὁ γνώμων σκιάζει μέσην τὴν πόλιν. De horologio solari, quo primo Romani usi sunt, v. Plin. H. N. II. c. 76. et VII. c. 60. Augustus multa solaria eaque absolutiora per Vitruvium describenda curavit.

5. *En quid agis?* Convertit se monitor ad ipsum stertentem, eumque concutiens haec loqui videtur. *insana canicula.* Non solum media diei pars, verum etiam aestas indicatur, qua horarum spatia aliquanto longiora erant apud Romanos. Plus itaque temporis somno erat absumptum, quam absumsisset ille desidiosus hieme circa eamdem horam expergefactus. Ceterum poëtas ab ortu et occasu siderum tempora designare neminem fugit. *insana;* propter aestum et ardorem.

6. *coquit*, ad maturitatem perducit. *et patula pecus omne sub ulmo est.* Mediam diei partem hoc designat.

7. *Vnus ait comitum.* Vnus ex illis intelligendus est, qui puero vel adolescentulo comites a patre erant adiuncti. Moris enim erat, plures philosophos domi alere cum ad liberorum institutionem, tum ad litera-

Huc aliquis! nemon'? » Turgescit vitrea bilis,
Finditur: Arcadiae pecuaria rudere credas.
Iam liber et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc queritur crassus calamo quod pendeat humor,

rum studium ostentandum. Tanta enim philosophiae doctorum frequentis erat, ut vulgo usurparetur: θᾶττον ἄν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου, ἢ ἔνθα ἂν ἀπίδῃ ὁ ὀφθαλμὸς ἀπορήσει φιλοσόφου Lucian. Bis Accus. T. II. p. 798. ed. Reiz. cf. Graev. ad Cic. pro Milone c. 10. Quin etiam ex iis servis, qui pueris comites dabantur, nonnemo poterat esse, qui supra servilem conditionem saperet, philosophia omnibusque artibus liberalibus instructus, cuius personam induisse Noster quoque potest existimari. Hic igitur, quisquis ille sit, cui Noster suas partes tradidisse videtur, in primis quatuor versibus secum loquens, in illis duobus, qui sequuntur, iuvenem ipsum increpans inducitur. *Verumne? itane?* Verba expergefacti et tamdiu dormisse moleste se ferre similantis. *ocius adsit* cet. Divitis et nobilis mores exprimuntur, cuius nutum plures servi exspectant. Horat. Serm. II, 7. 34 seq. Simul videtur temporis matutini iacturam, quam fecit, celeritate in negotiis adhibenda, velle emendare.

8. *Turgescit vitrea bilis.* Praeclare! Nam e somno in medium diem protracto est expergefactus, eoque proclivior debet esse ad iram. *vitrea*, propter splendorem. Apud Horat. (Sat. II, 3. 141.) est *splendida*. et sic apud eundem (Sat. II, 3. 222.) *vitrea fama* pro: splendida, non, fragili. Ceterum verba haec non monitoris sunt, sed poëtae.

9. *Finditur.* Iratus, quod servuli non statim adcurrunt, simulque somnolentus aperto rictu et oscitat et clamat. *Arcadiae pecuaria rudere credas. Arcadiae pecuaria* pro: asinorum greges. Auson. Epigr. LXXVI. Apta similitudine sonus ille, quem iratus et somnolentus edere solet, expressus est.

10—14. Tandem aliquando studiis se adcingit, animumque suum ab iis aversum vanis excusationibus cupit dissimilare.

10. *bicolor membrana.* Erat nempe membrana ab altera parte alba, ab altera, in qua pili (pro quibus *capillos* abusive scripsit Noster, cuius καταχρήσεως multa exempla protulit Drak. ad Liv. T. IV. pag. 597.) fuerant, crocea. Iuvenal. VII, 23 seq. Ibi de *membrana* Ruperti copiosius disseruit.

11. *chartae*, ut in iis scilicet magistri dictata exciperet, quae deinde in membrana maiori cura describeret. Forsan omnino tantum scribendi instrumenta indicantur. Cera et stylo fortasse non utitur ille delicatulus, ne infirmam oculorum aciem laedat. — *nodosaque arundo*, calamus scriptorius multis geniculis distinctus. Calami Aegyptii maxime probabantur.

12. *Tunc queritur* cet. En delicatulorum mores adcommodate descriptos. Nolunt propter ignaviam literis operam dare, cuius autem ignaviae quum ipsos pudeat, culpam, quam

Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammae lallare recusas?
«An tali studeam calamo?» Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.

ipsi sustinent, in alia omnia transferunt. Modo atramentnm nimis crassum, modo nimis dilutum est, modo calamus ipse excusationis ansam praebet. *calamo pendeat* i. e. calamo ita adhaereat, ut ductus calami in charta non adpareant.

13. *sepia* pro: atramentum, quod ex sepiae succo parabatur. De sepiis agit Aristotel. de anim. IV, 2; de atramento, quo usi sunt veteres ad pingendum scribendumve Plinius H. N. XXXV, sect. 25. *lympha* pro aqua.

14. *fistula*. Supra erat *arundo*.

15—18. Iam Persius e monitoris persona pergit: Nempe eo ventum est, ut tibi ipse non constes. Vis iuvenis esse et haberi, ita tamen te geris, ut pueri tenelli solent. Cur tandem illorum turbam fastidis, in qua morum similitudo locum tibi adsignat? 15. *inque dies ultra* sc. futurus. *huccine rerum* pro: eo, in eam conditionem.

16. *teneroque palumbo*. Nomen hoc amoris et blanditiae divitum puerulis plerumque inponebatur. Sic ab adulatore liberi νεόττια adpellabantur. Theophrast. Charact. περὶ κολακ.

17. *regum*. *Reges* blande et adsentatorie vocabantur Romanorum principes a clientibus et peregrinis. *Reges* quoque Horatius et Iuvenalis vocant divites ad fastum et luxum eorum notandum. Horat. *pappare*, cibum designat tenellis a nutricibus manducatum. *Pappare* proprie est cibum poscere vel edere.

18. *lallare*. Est h. l. naenia nutricis seu matris (mammae) qua morosi infantes mulcentur. Scholiastes haec habet: *Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe: Lalla, lalla, lalla, aut dormi aut lacte.* Bene usus est his verbis Noster, quae non solum indignationem poëtae indicant, verum etiam ad aetatem tenellorum, quibus absurdus iste iuvenis tam similis est, designandam aptissima sunt.

19—24. Pigritiae et desidiae suae culpam ad alias res transferre pergenti ait monitor: nunc maxime tempus esse minime praetermittendum, quo animus adbuc tener emendari et ad virtutem formari possit.

19. *An tali studeam calamo?* Verba iuvenis. *studeam* pro scribam. *Cui verba?* supple das.

20. *Succinis*. *Succinere* h. l. est ad vocem monentis eadem saepius repetere. *Ambages* vocat Noster praetextus varios, quibus ad se purgandum utitur ineptus iuvenis, quandoquidem huiusmodi nihil opus fuisset ad laborem, quem suscipere unusquisque bonarum artium studiosus debet, subterfugiendum. De-

Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Vdum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno

buisset aperte, ut res erat dicere, se nolle sapientem fieri, se nolle animum ad philosophiae praecepta componere: ingenioque liberali institutione exculto ostendere, se puerilem aetatem iam exuisse. *tibi luditur.* Cave putes, te monitori tuo, cuius res minime agitur, fucum facere, sed tua res cum maxime agitur, tu te ipse dissimilatione ista perdes. *effluis amens.* An in his verbis comparatio iuvenis cum vase fictili; ut Casaub. existimat, locum possit habere, vehementer dubito; saltem in seqq. v. 21. 22. *percussa* frigeret; quid enim percussu opus est in vase explorando, quod humores infusos transmittat? Durum quoque vocarem, *effluere*, quod de eo, quod in vase est, recte adhibetur, ad vas ipsum transferre, nisi haec fere duriora usus mollivisset. Forsan *effluere* a vestitu laxo sumptum. Sic *soluti ac fluentes* pro dissoluti. Quintil. I. 2., et *effluis* pro mollitie et luxuria conruptus es, positum est.

21. *Contemnere.* Horat. Serm. II, 3. 14. *sonat vitium percussa*, intellige, *fidelia. sonat vitium* pro: sono indicat vitium. Sensus: Contemneris ab omnibus; dissimilando enim numquam efficies, quo minus hominibus innotescat, quam nullius pretii sis; tui mores ipsi te prodent, ut vas, minus bene coctum, quando percutitur, sono vitium indicat. Hanc similitudinem Graeci quoque usurparunt. ἀλλὰ μὴ καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι διακρουόμεναι, μὴ σαθρὸν ἀποφθέγγηται. Lucian. De Paras. T. II. p. 841. ed. Reiz. *maligne*, non clarum sonum edit.

22. *viridi*, crudo, non probe cocto. Tautologia quodammodo tollitur, si cum Casaubono legis *respondens* pro *respondet*, verum ipso *maligne respondens* frigus aliquod inducitur loco, qui forsan sanus non est, cuius tamen medicina non absque codd. MSS. tentanda videtur.

23. *Vdum et molle lutum es. lutum* h. l. argilla. Haec similitudo, per se quidem satis apta, non bene praecedenti quadrat, ubi iuvenis cum fidelia iam cocta comparatur. Institutionem puerilem plures iam cum arte figlina comparaverunt. *Properari* de iis rebus dici, quae celeriter fiant, perficiantur, notum est. *Properandus* igitur pro: sine mora, celeriter instituendus.

24. *sine fine.* quandoquidem in fingendis ad sapientiam moribus, in voluntate emendanda, in ingenio excolendo numquam perfectionem adtingimus, ideoque labor iste numquam est remittendus, alioquin verendum est, ne ad ingenium redeamus et veterem vitae consuetudinem. *fingendus rota acri*, manet in similitudine semel sumpta; sensus est: institutio tua propere instituenda et perficienda est. Nonnulli *acri* de stoica philosophia intelligunt, quae *acer*, severa est in virtutis disciplina; sed nihil aliud quam cursum rotae concitatum indicat; sic *acri* pro *celeri*

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?

apud Virg. Georg. III, 141. obcurrit.

24—30. Sed quaeras, pergit monitor: quid opus sit in addiscendis literis et artibus tantum laboris sumere, quum habeas, unde vivas Deosque sacrificando places; quid opus sit ingenio inclarescere, quum maiorum tuorum splendor te satis a plebe distinguat. Nobilitas autem plebem tantum decipit, nec veram dignitatem homini conciliat.

25. *far modicum* h. l. opes haud contemnendae. *sine labe* de opibus vulgo interpretantur nullis malis artibus quaesitis. Saepe id *sine labe* vocatur, quod nullis actionibus malis et turpibus pollutum et contaminatum est: verum h. l. simpl. mihi positum videtur pro integro, et ad modicarum divitiarum munditiaeque picturam pertinere.

26. *secura patella* eo pertinet, quo superiora, et intelligitur vas quo Diis libatur. Tibull. I, 10, 48. *cultrix foci*, quo laribus et penatibus libatur. *secura*, non quia res tenues a furtis et insidiis hominum et ab invidia tutae sunt, ut Lucanus (V, 527 seq.) praedicat, sed quia nihil est, quod a Diis iratis, quos quotidie libationibus places, timeas. Omnino mihi videtur Noster in modicis opibus describendis non tam ad vitae necessitates inde sustentandas respexisse, quam ad Deorum inde placandorum facultatem, eiusque rei gratia et *farris* et *salini* mentionem fecisse. *Quid metuas* sc. quum habeas unde vivas Deosque propitios reddas.

27. *Hoc satis?* Nihil amplius requiritur ad bene beateque vivendum quam opes habere et ad vitam degendam et ad Deos placandos? *pulmonem rumpere ventis* pro: inflatum esse, ultra modum superbire.

28. *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?* (*millesime* pro: millesimus Valer. Flacc. I, 392 seq.) i. e. quod ducis millesimum ramum; millesimam subcessionis lineam; quod millesimus es ab gentis tuae auctore. *stemmate Tusco.* Summa nobilitas eo indicatur. Sensus: quod ab antiquis Hetruscis genus ducis, et potes avorum et proavorum serie tempore ante Romulum urbemque conditam adtingere. Ceterum omnia in maius de industria elata sunt.

29. *Censoremne tuum vel quod trabeate salutas*, spectat ad equitum transvectionem coram censore cum insignibus huius ordinis annulo, trabea, equo, phaleris. Hunc morem diu intermissum restituit Augustus. Sueton. Aug. 38. Sensus: quod ordine equestri gaudes. De fastus genere, quod maiorum virtute et claritate nititur, praeclare Seneca Epist. 44. loquitur: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.*

Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat: et alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
Magne pater divum! saevos punire tyrannos

30. *Ad populum phaleras* sc. refer, seu pertinere putato. *phalerae* proprie equorum ornamenta (Iuvenal. XI, 103.) deinde pro quocumque ornamenti genere ponuntur, ut apud Petron. 55. ibi lege interpp. Intelligenda autem per *phaleras* omnia corporis bona, quatenus fortunae dona non virtutis praemia sunt. Quae quidem oculos perstringunt imperitae plebis, sapientem vero non possunt commovere adeo, ut in vero pretio domini statuendo fallatur. *intus et in cute* pleonasmus. Sensus: intimi animi tui recessus mihi patent; ingenium tuum bene novi. Senec. Epist. 56. *aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere (Claranus) posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere.*

31—34. Nonne te pudet vivere ut abiectissimus et perditissimus quisque, qui ad omnem virtutis et honestatis sensum obduruit.

31. *discincti Nattae. Natta* cognomen erat Pinariorum. Tacit. Ann. IV, 24. Fortasse servis publicis iis, quibus sacra, quae Pinariis sub Evandro curanda erant, postea ab illis demandata sunt, hoc cognomen haesit. Potest autem nomen esse hominis ex infima plebis faece, vitae sordibus et morum turpitudine infamis. *discincti*, dissoluti.

32. *stupet hic vitio.* sensum vitiorum habet nullum. Ovid. Heroid. VIII, 111. *et fibris increvit opimum pingue.* Dicimus de homine stupido: eius animo callum esse obductum, a similitudine satis nota; pro *callo* hic est *opimum pingue* pro pinguedine, quae sensum adimit. *fibris*, fibrarum nervinarum ramulis seu papillis per omnes corporis partes propagatis, quarum ope sentimus. Transferendum id h. l. est ad animum stupidum, qui neque vitiorum foeditate movetur, neque adlicitur pulchritudine virtutis, qui naturam boni et mali plane ignorat; proinde poterat de isto dici

33. *Caret culpa* (Iuvenal II, 15 seqq.) i. e. imputari ei nihil potest *nescit, quid perdat*, simpl. pro: miseram suam conditionem ignorat.

34. *alto Demersus.* Iste homo perditus suaeque conditionis miserae ignarus comparatur cum eo, qui aqua demersus omnem plane sensum amisit. *bullit*, bullas facit iactando pedes et manus, ut in aquae superficie se sustineat. Remota imagine sensus hic est: totus vitiis deditus seu vitiorum mancipium sine omni cura et sensu libertatis, qua numquam usus est. Is nempe, qui omnino nescit, quid intersit inter vitia et honestatem, non curat quoque ex misera sua conditione emergere.

35—43. Ratio, qua Noster sequentia expressit, facit, ut paene nescias, quemadmodum haec cum superioribus cohaereant. Verum si ea, quae prolata sunt a poëta, pedestri oratione

Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus*,
Imus praecipites, quam si sibi dicat, et intus

extuleris, omnia plana erunt. Ordo nempe sententiarum hic est: *Natta* iste natura stupidus omni sensu paene destitutus est; verum tu, si divinam virtutis pulchritudinem, teque ipsum vitiis inquinatum adspiceres, quantis angoribus cruciarere, quantopere acerbissimi conscientiae stimuli te exagitarent. Haec universe enunciata sunt per apostrophen ad Iovem, eoque ipso doloris et cruciatus magnitudo et acerbitas exprimitur, quod nihil se habere gravius Noster profiteatur, quod crudelissimis tyrannis, monstris humani generis, possit adprecari, quam illa conscientiae supplicia.

36. *dira libido*, quodcumque consilium crudele et libidinosum.

37. *moverit ingenium*, ipsos tyrannos instigaverit ad insigne flagitium. *ferventi tincta veneno* simpl. pro venenata; hoc adiecto libidinis vis aucta est. Sumptum hoc a telis venenatis vulnera letifera semper infligentibus. Apte sane ad crudelia tyrannorum consilia, quorum furori inmanissimo quodcumque lubuerit, incredibili hominum stupore in ipsos nimis saepe licuit.

38. *virtutem videant*, supple: quam ut. Inprobissimus quisque et perditissimus non potest non virtutem, quam in aliis videat, suspicere, quam si cum sua foeditate comparaverit, se sui ipsius poeniteat et summo animi dolore adficiatur necesse est. *intabescantque*, tabe consumantur, angoribus et tormentis conscientiae exedantur. *relicta* sc. *virtute*, quum se ipsi longe a virtutis dignitate et praestantia remoti in coeno et foeditate vitiorum abiectos conspexerint.

39. Pergit in describendis conscientiae stimulis, quos dicit acriores dolores excitare, quam Phalaridis, Agrigentini tyranni, taurum aeneum; magis angere, quam Dionysii Syracusarum regis ensem supra cervicem Damoclis seta equina suspensum. *aera Siculi iuvenci*. metonym. pro hominibus in isto tauro inclusis. Phalaridis crudelitas adeo nota est et decantata apud veteres, ut semper eius mentio fiat, ubi de tyrannis aut de tyrannide sermo est.

40. De Dionysio Syracusanorum tyranno et Damocle eius adsentatore narrat Cicero Tuscul. V, 9. 20. 21. *auratis laquearibus*, *lacunar* seu *laquear* erat tectum triclinii tignis transversis in quadratas depressiones (*lacus* vel *lacunas*) divisum, auro, coloribus et picturis inlustratas.

41. *Purpureas subter cervices*, proprie: supra Damoclis, purpura regia induti, cervicem.

42. *imus Imus praecipites*, *quam si sibi dicat*. Sensus: Quam quum

Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Saepe oculos, memini, tangebàm parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis

videt, se a vitiis praecipitem duci, neque iis resisti posse amplius cognoscit; hanc miserrimam conditionem, in qua versatur, quum studeat dissimulare, peiorem eo ipso facit.

43. *intus Palleat.* pallere de eo dicitur, qui curis et angoribus conficitur. *intus palleat.* i. e. internis doloribus conscientiae exagitetur, dum miseram eius conditionem alii ignorant. *quod proxima nesciat uxor.* illud *quod* intelligi potest ita, ut sit pro: *ob id palleat, quod* cet. Angoribus maceratur, quos ne cum familiarissimis quidem suis, ne cum uxore quidem communicare ausus est. Et sic quoque subiunctivus, quo usus est Noster, quodammodo potest defendi, etiamsi huic rationi adcommodatius esset, si legeremus *quod uxor proxima nescit.* Potest quoque *quod* sumi pro *quamvis*, (Burmann. ad Propert. III, 1. 49.) ut sensus sit: internis crucietur doloribus, quamvis ne uxor quidem, prope cubans, id sentiat. Bene expressit conscientiae tormenta Cic. pro Sext. Rosc. Amerino 24. et in oratione in Pison. 20.

44—51. Iam Noster sic pergit: Pueris quidem literarum fastidium ignoscendum est; habet enim quaeque aetas sua studia, puerosque puerilia tractare meo ipsius exemplo doctus scio. 44. *tangebam olivo.* Ad quae Schol. *merito mihi lippitudinem arcessebam.* Sensus: oleo tangebam oculos, ut viderer oculis laborare, meique parentes me a studiis, a quibus tunc aversabar, retinerent.

45. *Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere.* Erat exercitationis genus apud grammaticos, ut discipulos iuberent eam rationem, quam magnus aliquis vir, virtute et meritis conspicuus, quum in eo esset, ut civitatis tempestatibus aut alia quadam calamitate obrueretur, habuisset, meditatione et stilo persequi. Quae quidem exercitatio multum valere debebat cum ad iudicium acuendum, quandoquidem semper dispiciendum erat, quae personis, tempori et loco convenirent, tum ad orationem ipsam locupletandam, certamque aliquam dignitatem gravitatemque ei conciliandam, quum virorum, dignitate et gravitate excellentium, verba, quae facere saltem potuissent, imitatione essent exprimenda. Quo nomine etiam res vehementer probatur Quintiliano (III, 8. et aliis locis). Accessit etiam, ut in sentiendi et cogitandi consuetudinem horum praestantissimorum virorum iuvenes adducerentur. Quae quidem res per se omni laude digna, quum ingenia matura et aliquo iam literarum usu subacta requireret, praepostere in pueris paene infantibus adhibita, plus ad corrumpendam verae eloquentiae naturam, quam ad eam amplificandam et perficiendam adtulit. Sensuum enim et sententiarum quam nondum capit illa aetas, sublimitate et gravitate neglecta, in verbis grande aliquid sonantibus eligendis, in iunctura eorum molli et comprehensionibus perplexis et artificiosis, pueriliter desudabant. Qua ex re, tamquam ex fonte, magnam Latinae linguae corruptelam profluxisse, unusquisque intelligat, necesse

Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto: damnosa canicula quantum
Raderet: angustae collo non fallier orcae:

est. Legendus est Quintil. Inst. II, 4. *Grandia verba Catonis morituri* i. e. orationem Catonis verbis sublimibus elaboratam, in qua deliberabat Cato, utrum mortem sibi consciscere, an servitutem pateretur. Senec. Epist. 24. Ceterum profiteor, vulgatam lectionem *morituro Catoni* mihi magis adridere. Maiorem vim h. l. inesse unusquisque sentiet, si puerulum cogitet infantem Catoni suadere, quid ei faciendum sit. In hoc genere orationis suasoriali pueri in scholis tunc valde exercebantur Iuvenal. I, 16.

46. *non sano multum laudanda magistro*. Praestat *non* cum *sano* iungere; ut sit pro *insano*, quam cum *multum*. Insanus erat magister, qui talia proponeret pueris, iudiciique pravitatem adulationemque in laudando ostenderet. Ceterum grammaticos *Magistros* et *Professores* esse adpellatos, docuerunt interpp. Petron. 55.

47. *adductis* ut filiolum verba facientem audirent eiusque doctrinam admirarentur. Quintil. II, 7. X, 5. *sudans* ἀγονιῶν, de eventu anxius. Uberius rem espressit Statius Silv. V. 3. 215 seqq.

48. *Iure*: convenienter annis puerilibus. Etenim quum aetas puerilis ad summi boni notionem et intelligentiam se erigere non possit, habeatque tamen aliquod propositum pro ingenii facultatibus, quod summum bonum existimet: iure igitur quasi suo videtur agere, quum id constanter sectatur. Ea autem, quae pueri sequuntur, in quibus excellere gloriosum putant, ludi sunt, quorum genera praecipua recensentur, *dexter senio*. Pertinet ad talorum et tesserarum ludum; illorum superficies quatuor quadratis et duobus, quae sibi invicem obposita erant, lateribus rotundis; horum sex lateribus quadratis comprehendebantur. Talorum quadratum unum insignitum uno, alterum tribus, tertium quatuor, quartum sex punctis, quod latus, lateri unitate insignito obpositum, *senionem* vocabant. Talis ita iactis, ut singuli diversorum punctorum numerum ostenderent (μηδενός ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι Lucian. Amor. T. II. p. 415. ed. Reiz.) *Veneris* erat iactus, si unum eumdemque numerum omnes, *Canis*; ille felicissimus, hic infelicissimus. Ceterum ludebatur quatuor talis, tribus tesseris. *dexter*, felix, obponitur *damnosae caniculae*. *ferret*, lucri adferret.

50. *Raderet* pro: deraderet, damnum inferret; quantopere rem minueret, rei detraheret. Martial. XIII, 1. 5 seqq. *angustae collo non fallier orcae*. Infinitivus pendet ab: *erat in voto*. Potest hoc ad prius ludi genus referri, et *orca* forsan idem est, quod *phimus*, *fritillus*, *pyrgus*. Casaubonus existimat, hoc quoque de alia lusione posse adcipi, quae apud Graecos τρόπα dicebatur, ne ex Pol-

Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens braccatis inlita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi quae Samios diduxit litera ramos,

lucis quidem Onom. IX, 7. satis nota.

51. *callidior* (sc. esset) *torquere* i. e. maiori cum dexteritate torqueret. *buxum* i. e. turbinem seu troclium e buxo tornatum.

52—62. Sequitur quasi apodosis eius sententiae, quam Noster v. 44—51. exprimere orsus est. Pueris quidem hoc concedendum, sed tibi non item, qui iam malorum et bonorum rationem habere possis, qui philosophiae praeceptis inbutus, quid adpetendum sit in omni vita, quidve fugiendum, scire debeas. Num tibi certus finis propositus est?

52. *Haud tibi inexpertum* pro scis. *deprendere* dignoscere seu notare. *mores curvos*, qui mores ad regulam non exacti sunt, *curvos* ideoque pro pravos. Ceterum ingenio exculto atque exercitato non potest fieri, quin etiam honestatis sensus acuatur.

53. et 54. *Quaeque docet* cet. sensus: tu quoque tenes stoicae disciplinae praecepta. *Porticus.* Intelligit Noster τὴν ποικίλην στοὰν, a Polygnoto picturis, inprimis pugna illa Marathonica depicta, exornatam. Plutarch. in Cimone c. 4. T. III. ed. Hutt. Plin. H. N. XXXV, 9. Cornel. in Miltiade 6. Id quod indicatur per: *braccatis inlita Medis. Braccae* erant laxa feminalia seu femoralia, quibus Persae praecipue utebantur. *inlita* pro picta. Ceterum *stoam* et *porticum* pro disciplina stoicorum, ut Academia pro Academicorum, poni notum est. *Insomnis et detonsa iuventus.* Significat disciplinae stoicae severitatem, quae omni cultu et victu, qui non proprie pertinebat ad frigus arcendum famemque et sitim sedandam, abstinebat. Iuventutem praecipue Stoici exercebant in tolerandis laboribus, inedia, vigiliis, ut contra omnes fortunae ictus munita esset. Disciplinam philosophorum interdum severiorum fuisse et duriorem, legimus apud Lucianum in Nigrino c. 27. et 28. T. I. p. 67. ed. Reiz. *detonsa.* Stoici barbam alebant, sed caput cute tenus tondebant.

55. *siliquis.* Siliquas non proprie esse intelligendas, sed legumina quaeque, cuius generis lupinos esse, iam docuit Salmasius ad Solin. p. 460. *grandi polenta*, farina hordeacea, ut tenui et vili cibo.

56. Verborum ordo est: *quae litera deduxit Samios ramos, ea tibi monstravit callem* cet. Ad h. l. intelligendum valebunt verba Servii ad Virgil. Aen. VI, 136. *Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literae, scilicet, quod prima aetas incerta sit, quippe quae adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Bivium autem Y literae a iuventute incipere, quo tempore homines aut vitia, id est, partem sinistram, aut virtutes, id est, partem dextram, sequuntur.* cf. Lactant. VI, 3. Hinc facile explicaveris epithet. *Samios*, erat nempe Pythagoras in Samo in-

Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput, compage soluta,
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,

sula natus. Primas lineas huius imaginis forsan ducit Hesiod. op. et d. 286 seqq. cuius verbis philosophi saepe usi sunt, Plat. republ. II. T. VI. p. 220. ed. Bipont. Xenophon, in Mem. Socr. II, 1. 20. Inde fabulam de Hercule commentus est Prodicus, qui multos deinde habuit imitatores: quos ordine recenset Zeunius ad Xenoph. l. c.

57. *surgentem callem*, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος. Hesiod. l. c. Illum callem respexit Iuvenal. X, 363.

58. *Stertis adhuc?* Sensus: Et tu, quem deceat philosophiae praecepta sequi, ad eaque totam vitam componere, voluptatibus et vitiis adhuc inservis? Hoc ebrietatis vitio expressit, iisque malis, quae ebriorum et crapula laborantium adsidui comites esse solent. *laxumque caput compage soluta.* Graphica ebrii descriptio, cuius caput mero gravatum quasi laxatis colli vinculis huc illucque nutat.

59. *Oscitat hesternum*, exhalat veterem crapulam. Illud *oscitat* amplificatur addito: *dissutis undique malis* i. e. aperto rictu. Magis ad vivum ebrii imago vinumque edormientis hominis exprimi nequit.

60. *quo tendis*, quo studes pervenire. *et in quod dirigis arcum.* Sensus: habesne certum finem propositum, constituistique summum bonum, qualecumque tandem sit, ad quod omnes vitae actiones dirigas? In eo consenserunt omnes philosophi, hominis esse, id agere, ut se felicem et beatum reddat; qua vero ratione id fieret, scholae diversae diversa praeceperunt, et inde nata sententiarum in summo bono constituendo diversitas, de qua Cicero in libro de finibus agit. Ad illud τέλος, ut Graeci vocant, finem, extremum, summum bonum, Noster spectat, quod unusquisque, qui in omnibus dictis factisque per totam vitam constantiam servare velit, sibi proponere debet. Seneca Epist. 20. *Unam semel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc omnem vitam tuam exaequa.* conf. Marc. Antonin. II, 7.

61. *An passim sequeris corvos.* Sensus: An nullum habes propositum certum, sed modo huc modo illuc vagare frustra laborans in adpetendis iis, quae tibi bona ad tempus videntur, ut pueri in avibus luto testaque petendis.

62. *Securus quo pes ferat*, non sollicitus, quo perventurus sis. *atque ex tempore vivis.* proposita pro temporum ratione mutas; rebus praesentibus te adcommodas.

63—76. In tollendis vitiis mature est adlaborandum, ne, quum in animis nostris inveteraverint, altiusque radices egerint, frustra medicinam

Poscentes videas. venienti obcurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite io miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur: ordo

quaeramus. Quam ad rem adprime utile erit philosophiae studium, cui igitur omisso omni lucri studio vacandum est.

63. *Helleborum* valere ad hydropicos sanandos habet Plin. H. N. XXV. sect. 22. h. l. pro unaquaque medicina positum, ut hydropsia pro quoque morbo. Ipsa autem allegoria Noster docet, philosophiam esse in tempore adhibendam ad aegrotam animi conditionem levaodam.

64. *venienti obcurrite morbo.* cf. Ovid. Rem. A. 91 seq.

65. *Cratero*, pro medico quocumque. *Craterum* medicum fuisse excellentissimum sub Augusto narrat vetus commentator ad Horat. Sat. II, 3. 161. Sensus: Nihil iuvat tunc, quum res amplius iu integrum restitui nequeat, medicis dona ingentia promittere, ut valetudinem deiectam resuscitent.

66. *Discite io miseri.* Adversus animi morbos malurum philosophiae studium commendans ipsam philosophiam per gravissima eius capita exprimit. *miseri* ex mente Stoicorum praeter unum sapientem, qnem animo tantum et mente comprehensum habebant, omnes erant *miseri* et *stulti.* Non tam exprobrationem habet in se haec exclamatio, quam miserationem, aeque ac rudior illa expressio et sermonis prisci iogenio adcommodatior, qua Musae Hesiodum adlocutae sunt: *κακ' ἐλέγχεα γάστερες οἶον*, et qua ipse Persen: *μέγα νήπιε Πέρση.* (Deor. gener. 25. Opera et d. 286.) ubi de conviciis non est cogitandum. *et causas cognoscite rerum.* Causis enim rerum cognitis tolluntur metus inanes, qui hominum animos excruciant; tolluntur cupiditates, quae inprimis rationi infestae sunt; tolluntur reliqua mala, quorum fecunda mater hominum ignorantia est.

67 et seqq. sequuntur illa gravissima philosophiae capita, de cognitione sui ipsius, de consilio, quo homo a Deo sit creatus, de rerum ordine seu fato, de brevitate vitae humanae, de contemnenda morte, de cupiditatum moderatione, de recto usu divitiarum, de officiis aliis praestandis, quae omnia sigillatim a philusophis tractata sunt. 67. *Quid sumus?* A cognitione sui ipsius unusquisque debet procedere, qui discere vult, quid sibi, quid aliis debeat. Hoc inlustrantem Socratem inducit Plato in Alcib. I. T. V. p. 56. et p. 65. ed. Bip. Sen. Epist. 82. *Itaque, quantum possumus, ab illa* (fortuna) *resiliamus, quod sola praestabit sui naturaeque cognitio. Sciat, quo iturus sit, unde ortus; quod illi bonum, quod malum sit; quid petat, quid devitet; quae sit illa ratio, quae adpetenda ac fugienda discernat, qua cupiditatum mansuescit insania, timorum saevitia compescitur.* Notum illud *γνῶθι σεαυτὸν*, quod Chiloni vulgo adtribuitur, verum etiam aliis. — *et quidnam victuri gignimur.* Hoc duplicem interpretationem admittit; primum, *quidnam victuri* potest significare: quam breve tempus victuri. Senec. Epist. 99. *Hoc, quod vivimus,*

Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et unde:
Quis modus argento: quid fas optare: quid asper

proximum nihilo est, et tamen late disponitur. Deinde idem potest adcipi pro: *quidnam in vita acturi* i. e. quem in finem geniti simus. Cic. de Finib. II, 13. *Hi non vident, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem; sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem Deum.*

68. *ordo Quis datus.* Satis obscure. Sub *ordine* h. l. sempiternum et admirabilem rerum et causarum nexum, quem Stoici fatum vocabant, intelligi debere, interpretes perhibent. Vide seu disce omnia fato contineri, in quo lubens volensque adquiescas, necesse est. Marc. Antonin. IV, 45. Et sane nihil erat, quod tam frequenter a Stoicis inculcaretur, quum docerent, soli rationi esse obtemperandum semper et ubique, simulque intelligerent, eius praecepta bellum indicere saepe iis rebus, quibus a natura conciliaremur, et interdum nos invidiae odio mortisque periculo obiicere; quum viderent, virtuti non ubique sua praemia esse, sed bonum et honestum virum a fortuna ludibrio haberi, malum contra et turpem prosperrima rerum conditione uti. Qua re compulsi, quum etiam vitam post mortem iacturaeque compensationem nullam putarent, ut sibi constarent, ad istam singularem de rerum bonarum et malarum natura opinionem reliquaque confugerunt, quae, si fontem illorum neglexerimus, paene absurda nobis videantur necesse est. Forsan etiam hoc sub ordine rerum innuere voluit Noster, ita esse natura comparatum, ut in rebus humanis altera ex altera nexa sit indissolubili vinculo, ut altera alteram necessario praecedat aut sequatur, adeo, ut homini non liceat, hanc, qua sensus iucunde moveantur, eligere et adpetere, illam, quae minus delectet, reiicere et fugere, sed debeat potius in ea conditione adquiescere, qua bonis admixta sint mala, legemque et ordinem naturae servare, sub quo illa nobis usum alicuius boni concesserit. *aut metae quam mollis flexus.* Translata haec sunt a certamine curruli ad mortem, finem vitae, quem poëta *metam*, νύσσαν, vocat, quum sibi vitae spatium tamquam stadium decurrendum fingat. Iuvenal. X, 358. vocat mortem: *spatium vitae extremum;* Graeci θανάτου τέλος, βίοτοιο τελευτήν, τέκμαρ. — *mollis*, lenis, quo currum seu equos absque timore circumagere possis, ne axem frangas, currumve evertas. *Metae mollis flexus* est ergo mors lenis, nullum timorem adferens, qualis debet esse sapientis ex Stoicorum disciplina. Hinc explicandum quoque videtur *et unde* sc. mollis flexus sit, spectat enim ad praesidia, quibus muniti in morte nihil videmus, quod timorem incutere possit. Verum alii aliter haec interpretati sunt, et quis, verum se vidisse, in tanta rerum obscuritate adfirmaverit?

69. *Quis modus argento?* i. e. quem modum in opibus parandis servare debeamus. Senec. Epist. 16. *Si ad naturam vives, numquam eris pauper, si ad opinionem, numquam dives.* Iuvenal. XIV, 316 seqq. *Quid fas optare?* de hoc agit Sat. II.

Vtile numus habet: patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re.
Disce: nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Vmbris,
Et piper, et pernae, Marsi monimenta clientis,
Maenaque quod prima nondum defecerit orca.

70. *Quid asper utile numus habet?* *asper* h. l. est recens, nondum usu detritus. Senec. Epist. 19. *non voles, quod debeo, nisi in aspero et probo adcipere.* ibi Gruter. *quid utile*, pro: quam utilitatem. Sensus est: quis usus sit divitiarum. *patriae carisque propinquis* cet.

71. 72. *quem te deus esse Iussit.* i. e. quas partes tibi Deus adsignavit in vita agendas. Vitam, dixit Epictetus, scenam esse, in qua suae cuique partes agendae sint, videndumque, ut unusquisque personam suam bene tueatur. Elegans Epigramma Graecum: Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον, ἢ μάθε παίζειν τὴν σπουδὴν μεταθεὶς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας. *humana* coniungendum cum *re*. *humana res* est vita humana; et *pars* idem est, quod apud Epictetum c. 10. σχέσις, coniunctionis ratio, in qua versamur cum aliis hominibus, unde officiorum divesitas oritur. *locatus*, τεταγμένος, quasi in statione.

73. *Disce: nec invideas* cet. Disce sapere, seu operam impende philosophiae, cuius quidem studium tibi opes non augebit, nihilominus tamen disce, nec cura ceteras artes, quas qui exercent, rem facere possunt. Senec. Epist. 17. Speciem opes congerendi h. l. posuit, qua iurisconsulti causarumque patroni utebantur. *multa fidelia* (ut ap. Virg. Ecl. I, 35. *multa victima*) pro magno numero vasorum fictilium. *putet.* hoc verbo ingens multitudo expressa est, quae tanta erat, ut salsamenta ceteraeque res, quae iis continebantur, quum consumi non possent, situ et vetustate corrumperentur.

74. *In locuplete penu.* in cellis promptuariis locupletis causidici. — *pinguibus*, potest ad corpora bene curata Vmbrorum, aut ad eorum divitias spectare; posterius h. l. convenire videtur. Vmbria erat pascuis inclyta.

75. *monimenta*, dona pro defensione.

76. *Maena* piscis marinus quae in frusta dissecta a salsamentariis in ollis adservabatur. *orca.* vet. Schol. Cruq. ad Horat. Sat. II, 4, 66, *orcam*, ait, ollam esse Graecam ore angusto in formam κανκαλίου. *prima orca*, potest significare vel: in prima parte orcae; vel: in ea orca, ex qua prima coepta sunt salsamenta depromi reliquis orcis adhuc intactis. Ceterum res erant viles, quae premiis seu mercedis loco causarum patronis a clientibus mittebantur. Quarum rerum vilitate Noster usus est ad avaritiam sordesque illorum hominum perstringendas, qui, scientia divinarum humanarumque rerum posthabita, vel vilissimis rebus per maxi-

Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse, quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,

mos labores adquisitis, res suas augere non dubitarent.

77—87. Verum, obiiciat aliquis, ad vitam communem prudentia satis instructus sum, non laboro philosophus fieri et in nugis illorum occupatus esse, quas populus ridere solet.

77. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum.* Pro philosophiae osoribus posuit Noster *centuriones*, nobiles, ut apud Horat. Sat. I, 6. 73. aut omnino castra sequentes, qui virtutem omnem in despiciendis bonis artibus et in negligendo corporis cultu positam putabant, ut, si non fortes et strenui, tamen feri et horridi viderentur. Epitheton *hircosa* corporis immunditiem spectat. Interdum *hircosus* pro vetustus, Gell. XII, 2.

79. *Arcesilas* academiae mediae princeps, doctus quidem homo, sed, si fabula vera est, vita non admodum sancta. *aerumnosi*, hoc ad vultus tristitiam referendum, quam curis ac vigiliis philosophi sibi contraxerant; aut potius statuendum est, philosophiae osorem hoc verbo abuti ad severitatem vultus designandam.

80. *Obstipo capite.* hoc explicat vet. schol. Cruq. ad Horat. Sat. II, 5, 92. *capite inclinato in alterum humerum;* ad habitum meditantis pertinet, ita ut sequens: *figentes lumine terram*, ut apud Stat. Silv. V, 1, 140. fortius, quam *lumina terra figere*, aut *oculos solo*, ut est apud alios poëtas. Lucian. in Tim. T. I. p. 170. ed. Reiz. de incessu philosophi cuiusdam ἐκπετάσας γοῦν τὸν πώγωνα καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας, καὶ βρενθυόμενός τε πρὸς αὐτὸν ἔρχεται, τιτανῶδες βλέπων cet.

81. *Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt. Murmura rodunt*, i. e. tamquam rem gravissimam animo volutantes tacite murmurant motisque maxillis, inde *rodere murmura*, Quintil. X, 3; nihilominus tamen durum est, verum irato centurioni id condonemus. Antholog. Lat. Burm. T. II. Epigr. 139. vers. 21 seqq. *Est et non igitur, quoties lucem esse fatendum est, Sed non esse diem; mille hinc certamina surgunt, Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes, Murmure concluso rabiosa silentia rodunt. Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!* — *rabiosa silentia.* quandoquidem silentium cum murmure fixusque obtutus rabiei signum esse solet.

82. *Atque exporrecto trutinantur verba labello.* Mira quidem, sed non minus apta huic rei locutio. *trutinantur* i. e. expendunt; quid tandem? *verba.* ergo in verborum contentione occupati sunt, quod saepe philosophis a Luciano obiicitur. v. in Demonacte c. 28. T. II. p. 386. ed. Reiz. Vt oris habitum tandem meditantis rideas, adiectum est: *exporrecto labello*, ita ut labiis porrectis ceu trutinae verba adpensa videantur.

Aegroti veteris meditantes somnia, *gigni*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles! cur quis non prandeat, hoc est!
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus: inspice sodes,
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam

83. *Aegroti veteris somnia*, i. e. ea, quae vetus, nescio quis, philosophus, mente morbo turbata, somniavit. Ex opinione militis hoc.

84. cf. Lucret. I, 151. Hoc erat principium omnis physiologiae veteris. Axioma hoc vetustissimum esse indicant fere omnes mythi cosmogonici a Chao quodam procedentes.

85. *Hoc est, quod palles?* Cum irrisione pronunciatum, *quod* pro: propter quod; his ougis igitur ita studes, ut pallorem tibi contrahas? Similis orationis color est apud Iuvenal. VII, 96 seqq. Senec. Epist. 48. *O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est, quod tristes docemus et pallidi? cur quis non prandeat.* Severi homines et frugi studiisque dediti prandio abstinere solebant. Ideoque vocat Horatius Sat. II, 3. 257. Xenocratem philosophum *impransum*.

86. *His populus ridet. His* sc. in philophos dictis. *ridet* pro adridet, plaudit, dicta risu comprobat. Epict. 22. *torosa iuventus*, omnes ii, qui a studio philosophiae aversi sunt, praesertim milites. Egregie hoc *torosa* obpositum est τῷ *pallere* et *non prandere*.

87. *Ingeminat* fortius quam tollit. Cum *ingeminat* iungo quoque *multum*, ut h. l. sit: diu. Valer. Flacc. I, 459. Iuvenal. I, 164; non cum *torosa*, ut vulgo interpretes, quia in *torosa* iam ea vis latet, quam *multum* addere videtur. *tremulos* naturam cachinni exprimit. *crispante* in rugas tracto.

88—106. Philosophis insultanti omnemque eorum disciplinam deridenti respondet Noster per similitudinem ab aegro, medici consilia salubria cum mortis periculo negligenti, sumptam, et quidem recte, nam argumentis cum hoc hominum genere certare velle, oleum esset et operam perdere. Narrandae sunt fabulae et similitudines ut rudibus et infantibus. Qua ratione etiam id consecutus est Noster, ut rem in actionem converteret, eamque quasi oculis subiiceret, ut agi magis quam narrari videretur.

88. *Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus.* Signa haec febris adventantis. Cels. III, 6. Aegrotus hic inducitur medicum adpellans.

89. *exsuperat*, ex ventriculo sursum adscendit. *gravis* male olens.

90. *Qui dicit* pro qui dixerat. *iussus requiescere.* Ab omni motu et exercitatione adpropinquante morbo ut abstineatur, Celsus auctor est (III, 2.) et Quintil. II, 17.

Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo, modice sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. «Nihil est.» Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
«At tu deterius palles: ne sis mihi tutor:
Iam pridem hunc sepeli: tu restas.» Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,

91. *compositas venas*, i. e. sanguinis meatum non amplius concitatum esse. *tertia nox*. Etiamsi enim tertio die febris non reverteretur, tamen non poterat securus esse a quartana.

92—93. Ordo verborum: *rogavit sibi loturo Surrentina lenia lagena modice sitiente de maiore domo*. Morbo, praesertim febri laborantibus cibi delicatiores et exquisitiores a fautoribus mitti solebant, Martial. II, 40 et 76, sic etiam vina generosiora. *Surrentina* Plin. H. N. XIV. Sect. 3. *Item Surrentina in vineis tantum nascentia convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque.* Hoc vinum caput non tentare, vires tamen habere, docet idem XXIII. Sect. 20. *lagena* vas erat, in quo vinum semper paratum habebant in triclinio, et ex quo pocula inplebantur. Petron. 22. ibique interpp. In *lagenis* vinum quoque adservabatur. Iuvenal. XIV, 270 seq. *lagena modice sitiente. Sitire* dicuntur res, quando humor eas deficit; *lagena m. s.* notat igitur lagenam vino tantum non plenam, vino forsan vetustate iam ex parte decocto, nam Surrentinum incipiebat bibi post XXV demum annum. Casaubonus *modice sitiente* explicat: ἐπιεικῶς μεγάλῃ, μετρίᾳ, quandoquidem parcius mitti solerent vina generosiora. Iuvenal. V, 32. Verum haec interpretatio h. l. non convenit; aeger hic, qui in exemplum inducitur, minime modice debet bibere, sed vino se ingurgitare ad venturi morbi vim augendam. *loturo*. Hoc Celsus III, 2. inlustrabit: *Plurimi falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut coacta deiectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant*, etc. Balneo quidem etiam in febre utebantur, sed magna cautione adhibita.

94. *Heus bone, tu palles.* Verba haec non sunt medici, ut ex responso patere videtur, sed amici cuiusdam, aegrotum ad epulas et pocula se convertentem retinentis et monentis.

95. *surgit tacite tibi lutea pellis.* Sensus: pallor sensim sensimque (*tacite*) corpus tuum occupat.

97. *Iam pridem hunc sepeli: tu restas.* Minus commode haec verba minitantis esse creduntur, sunt potius ludentis, hoc sensu: tutor, qui mihi fuit, iam pridem sepultus est, tu alter tutor scilicet mihi restas. *Perge* sc. ad coenam et pocula ire, eventus te docebit optimus stultorum magister.

98. *Turgidus hic epulis atque albo ventre*, i. e. cibis probe oneratus et ventre distento.

Gutture sulfureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
Excutit e manibus: dentes crepuere retecti:
Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae: tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

99. *mephites*, foetorem ex ore, quum cibi non concoquuntur, sed in ventriculo quasi putrescunt. *sulfureas*, sulfurei odoris. *lente exhalante*, animam iam enim aegre trahebat. Malum in balneo iam ingravescens vim suam omnem inter pocula exserebat.

100. *calidum triental*, poculum trientis capas calidi vini plenum.

101. *retecti*, ut solent labra eorum diducta esse, quos febris vehementer concutit.

102. *uncta pulmentaria*, cibos lautos ac delicatos intelligas. *laxis* v. supra v. 101.

103. *Hinc tuba, candelae. Hinc* non: ex his causis; sed h. l. pro tunc. Ceterum *tubas* in pompa funebri et *candelas* adhibitas esse, notissimum. Videtur autem non in pompa solum harum rerum usus fuisse, quandoquidem in iis, quae sequuntur, de adparatu funeris sermo est, sed etiam statim post decessum alicuius candelae adcensae et tuba vel tibia funus civibus indicasse. *beatulus*. Cic. de Fin. I, 2. *Maximam illam voluptatem habemus, quae percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus, voluptas est, ut omne id, quo offendimur, dolor: doloris omnis privatio recte nominata est voluptas.* Hactenus Epicuri patronus. Inde sequi, perhibebant Stoici, mortuum in summa voluptate esse, eumque, quum omni dolori morte exemptus esset, recte beatum praedicari posse. Facete igitur Noster Stoicus mortuum istum, qui vivens omnis generis voluptatibus indulserat, et moribundus porcum Epicureum expresserat, *beatulum* adpellare potest.

104. *Componi* proprie de mortuis dicebatur, quorum membra in mortis dimicatione distorta componebantur; huc pertinebat os claudere, oculos condere cet. *alto lecto* spectat ad magnificentiam funeris. *amomis* v. Heyn. ad Virg. Ecl. III, 85; fruticis genus Indiae; de omni aromate sincero dici putat Salmas. ad Solin. p. 401. Eius pulvere ossa sua spargi iubet Ovid. Trist. III, 3, 89. H. l. unguentum debet intelligi, quo perfundebantur mortui, antequam rogi imponerentur. Ovid. Fast. IV, 853. *crassis*, pinguibus; huic convenit *lutatus*.

105. *In portam rigidos calces extendit.* Mortui lecto compositi in atrio ita conlocabantur, ut pedes in ianuam essent versi; cuius moris in Homero (Il. τ, 212.) iam mentio fit. *rigidos*, sunt enim cadaveris.

106. *Hesterni Quirites*, qui haud ita pridem civitate erant donati, manu

« Tange miser venas, et pone in pectore dextram :
Nil calet hic : summosque pedes adtinge manusque :
Non frigent.» Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente camino
Durum olus, et populi cribro decussa farina :
Tentemus fauces. tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.

missi, liberti. *capite induto*, pileati in signum libertatis. *subiere*, sic Virg. Aen. VI, 222. *Quirites*. Hoc nomine dignitatis et maiestatis pleno scoptice adpellat servulos illos, ad frequentiam pompae funebris augendas, manumissos, qui iam nescio quid sibi viderentur. Praeclare sane et multa cum arte h. l. Noster tractavit; temporis vices bene observatae et iustis coloribus notatae, morbi prima signa, incrementa eius et vis, qua miseri corpus tandem frangitur, mortis genus, quaeque consequi solent, omnia haec diligentem artificem demonstrant; ceterum verborum delectus summus est, ut qui scilicet apud poëtam satiricum esse possit.

107—118. Fabulam de se narrari probe quidem intelligit homo iste bardus, sed veram eius vim non cepit, quapropter brevibus demonstraturum se putat, quam parum in se conveniant haec dicta, quam inepta igitur tota res sit, quum ipse recta fruatur valetudine, neque sit, quod futurum aliquem morbum suspicetur. Quo in errore eum diu versari non sinit Noster, sed Stoicorum more breviter docet, eum, qui a corpore quidem valeat, animi tamen morbis laborat, neutiquam sanum esse.

107. *Tange miser venas*. Explorare eum iubet, utrum aequis intervallis venae moveantur, an cursu concitatiore et interrupto per venas sanguis festinet, quod fit nimio eius calore et aestu.

108. *summosque pedes*. Inter morbi futuri signa Celsus (II, 4.) quoque recenset, caput, pedes et manus frigidas habere. *Miser*, cum contemptu, fabulam nam ab illo narratam totam concidisse existimat.

109. *Visa est si forte* cet. A corpore quidem vales, sed gravissimis animi morbis, qui te ipsum, quum vim suam in praesentia exserere non possint, fugiunt, simulac autem data iis occasio fuerit, certe prorumpent, obnoxius es, avaritiae, libidini, luxuriae, timori et irae.

110. *candida* ad pulchritudinem spectat. *molle* pro molliter.

111. *Cor tibi rite salit?* Num animus tuus tunc a perturbatione liber est? *algente camino* i. e. nullo coenae apparatu, foco paene exstincto.

112. *populi cribro decussa farina*, periphr. panis atri furfuribus mixti.

113. *ulcus*. De ulcere vero non esse cogitandum quisque videt; significantur fauces tenellae, quas vulgares cibi duriores et asperiores offendunt, ut in ulcere quamcumque mollem adtrectationem aegre feras.

114. *radere* de cibis, qui per fauces in stomachum descendunt, et quasi

Alges, quum excussit membris tremor albus aristas:
Nunc face subposita fervescit sanguis, et ira 116
Scintillant oculi: dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

stomachum acriter perstringunt. Horat. Sat. II, 2. 24. habet *tergere*.

115. *excussit aristas*, horroris periphrasis; eriguntur enim pili horrore, et ipsa cutis contracta erigitur. φόβος ὀχρύοεις saepius apud Homerum obcurrit.

116. Concitat sanguinis aestum ira ut ignis; inde dicimus *iram adcendi*. Hinc quoque explicandum est *face subposita* i. e. data aliqua occasione, quae iram adcendere possit.

118. Fortius insaniae adfectus exprimi non poterat. Orestes furiis exagitatus ex Euripide satis notus h. l. pro insania ipsa positus est. Facere igitur aliquid, quod insania ipsa iuret, insanientis esse, hoc est, insaniam ipsam insanis factis dictisque vincere.

SATIRA IV.

ARGVMENTVM

Sub persona Socratis Alcibiadem obiurgantis invehitur, secundum veteres et omnes fere recentiores interpretes, in Neronem, omnino autem in unumquemque ad rei publicae gubernacula sedentem, qui vilis plebeculae adulationibus, suaeque ipsius nobilitate elatus, parem se tanto, cuius vim et magnitudinem ipse ignoret, oneri ferendo existimet, nulla philosophiae, quae sola rei publicae bene et recte administrandae facultatem subpeditare possit, ratione habita. Socrates inducitur Alcibiadem increpans: Qua, Alcibiades, fiducia ad rem publicam id praesertim aetatis adcessisti? Prudentia scilicet annos tuos praevertit 5; *exortam seditionem vel uno verbo comprimere potes, plebemque errantem in rectam viam reducere, quippe qui discrimen inter rectum et pravum probe scias.* 13. *Quin, tu stultissime rerum, formae pulchritudine tantopere superbiens, plebis favorem captare desinis!* 16, *qui, a philosophia nondum instructus, certam finem, quo omnia referenda sint, adhuc ignoras, vel corporis voluptate eum metiris ut vilissimus quisque.* 19. — *Alcibiades subiicit: Sed generis claritate gaudeo, pulchritudine instructus sum.* 20. *Socrates: Si hoc vel maxime sit, tamen ne abiectissimae quidem muliérculae sapientia praestas.* 22. *Haec hominum perversitas, qua se ad difficillima quaeque aptos putant, aliorumque iniqui aestimatores sunt, inde existit, quod nemo se ipsum noscere studet, quilibet aliena vitia curat, sua negligit. Hoc exemplo expressum est ab homine vitae turpitudine infami, mores sordidos avari cuiusdam notante, communique hominum more et consuetudine propensum suum ad aliena vitia exagitanda animum excusante, sumpto.* 43. *Quo facto concludit Socrates: Latent vitia tua, et, quem te homines putant, talis tibi videris esse, quum tamen omnibus cupiditatibus inservias. Descendas in te velim, et adnosces ipse, quantum tibi adhuc ad animi perfectionem desit.*

Rem populi tractas: (barbatum haec crede magistrum

Summa satirae haec est: qui alios vult regere, prius se ipsum regere discat. Hanc sententiam praeclare persecutus est Noster, induxitque sub Alcibiadis persona aliquem rudem adhuc ad sapientiae praecepta adolescentem, gravissimasque reipublicae partes iam tractantem, ipse Socratem agit. Totum expressum videtur ad Platon. Alcibiad. II.

1—3. Qua fiducia, Alcibiades, rem publicam capessis? *Rem populi tractas?* πράττειν τὰ πολιτικὰ, in rei publicae administratione versari. Plato in Sympos. 32. ed. Wolf. ἀναγκάζει (loquitur Alcibiades de Socrate) γὰρ

Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae):
Quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidae fecisse silentia turbae

με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτός ἔτι, ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω. *barbatum crede magistrum Dicere. barbatus* vel unum ex antiquis. Iuvenal. IV, 103. vel philosophum designat, cuius insigne barba habebatur, Iuvenal. XIV, 12; Lucian. pluribus locis; unde lepidum illud Horatii dictum in Stoicum Horat. Sat. II, 3. 16 seqq.

2. *Sorbitio*, ῥόφημα. Aelian. V. H. IX, 38. Verbum hoc usurpatum a multis, cf. Burm. ad Phaedr. I, 26. *cicutae*, κώνειον, Plin. H. N. XXV. Sect. 95. Senec. Epist. 13. *Cicuta magnum Socratem fecit.* Platon. Phaed. p. 264. T. I. ed. Bip. Hoc dirum facinus aeternam Atheniensibus notam inussit. Iuven. VII, 205 seqq.

3. *Quo fretus?* ὅτῳ πιστεύων, Plato. *Pericli* a forma *Pericleus*, est *Periclei* et contractum *Pericli*. *magni* non solum rei publicae administrandae scientia magnum eum fecerat, sed etiam bonarum artium et literarum tutela, quibus tunc temporis Athenae omnium florentissimae erant. *pupille.* Clineas Alcibiadis pater Periclem, Xantippi filium, tutorem Alcibiadi reliquit.

4—13. His versibus Socratis personam bene sustinet Noster, adversariumque nota illa ironia adgreditur, qua se existimare dicit, eum omnia illa tenere, quae cognita esse debeant rem publicam administranti.

4. *ingenium*, non proprie sumptum, sed usu et doctrina subactum intelligas. Senec. Epist. 49. *Dociles natura nos edidit, et rationem dedit imperfectam, sed quae perfici posset.* Ingenium largitur natura, vires autem ingenii exercet, auget et perficit usus et doctrina. *rerum prudentia*, multarum rerum usus et experientia, rerum humanarum cognitio. De eo, qui populi curam gerere vult, iure potest postulari, ut prudentia reliquos cives excellat; quandoquidem autem illa prudentia annos praecurrere interdum, quamquam raro, solet; adulatoribus inde campus spatiosus patuit.

5. *Ante pilos*, ante barbam, ante pubertatem. *dicenda tacendaque calles.* Fortasse Noster prudentiam, quae cernitur in dicendi arte, intelligi vult, totidem fere verbis designatam apud Quintil II, 20: *Ab illis* (philosophis) *haec dicuntur; si consonare tibi in faciendis et non faciendis virtutis est, quae pars eius prudentia vocatur, eadem in dicendis et non dicendis erit.* Homer. Odyss. η, 440 seq. Quae igitur Noster in viro rem publicam administraturo desiderat, sunt primum vires ingenii, tum prudentia et in gerendis (hoc enim videtur velle per *prudentiam rerum*) et in dicendis rebus.

6. *bile.* ira. Compares Hesiod. Gener. Deor. 80 seqq. Virg. Aen. I, 119 seqq.

7. *calidae*, aestuantis, concitatae. *Fert animus*, cupis.

Maiestate manus. quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puta, non iustum est: illud male: rectius illud.
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio praefigere Theta.

8. 9. *Maiestate manus.* i. e. manus significatione, cuius auctoritas tanta sit apud plebem, ut tempestas furentis populi continuo compescatur. Lucan. 1, 297 seq. *Quirites, Hoc, puta, non iustum est* cet. Seditiouem sedantis est sermo, furoresque populi ratione comprimentis; qui igitur, ut Cic. de Orat. 1, 12. loquitur, naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspectas habere debet; debet etiam iusti iniustique rationem probe callere, neque umquam pati, ut in coërcendis sceleribus vel timore vel misericordia inpediatur, id est, debet disertus, sapiens et gravis esse.

10—12. *Scis enim iustum gemina suspendere lance Ancipitis librae.* Allegoria sumpta a libripende, vel a ponderibus, quae lancibus trutinantur. *gemina.* Libra habet duas lances. — *ancipitis*, ambiguae. Exacta libra in neutram partem vergit. Sensus: Tu igitur, quid iustum sit nec ne, explorare scis, rebus quasi in utraque lance inpositis. *rectum discernis, ubi inter Curva subit.* simpl. pro: discrimina recti et pravi adcurate tenes, scis quasi certo limite ducto definire recti pravique confinia. *vel quum fallit pede regula varo regula* proprie non debet intelligi, pedem enim *regula* non habet, sed *norma.* Sensus: Etiam tum rectum discernis a curvo, quum ipsa norma, ad quam rectum illud exigere vis, prava seu inproba est. Detracto omni tropo Noster dicere vult: Ex rerum usu et experientia multas regulas, ad quas vitam nostram componimus, actionesque alienas iudicamus, conligimus; potest autem interdum adcidere, ut hanc vel illam regulam, non satis adcurate concinnatam, aut nobis ipsi praescripserimus, aut auctoritati aliorum adceptam feramus; prudentis itaque est, non solum multis rationibus seu regulis vitae instructum esse, sed etiam explorare posse, an ipsae regulae ad iusti rectique naturam comparatae sint, ne reliquis rebus ad eas revocatis in iudicio de iis fallamur.

13. *Et potis es* cet. Casaubonus putat, ex breviculo militum, ubi nomini eius, qui in proelio occidisset, haec litera adscribebatur, hoc ductum esse. Forsan in iudiciis capitalibus Graecorum, quorum rationem, quae in ferendis sententiis obtineret, passim ignoramus, etiam hoc usu erat receptum, ut hac litera uterentur, qui reum mortis supplicio adficiendum censerent. Martial. VII, 37. *Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum? Est operae pretium discere theta novum. Exprimeret quoties rorantem frigore nasum, Lethalem iuguli iusserat esse notam.* Vetus commentator Persii haec habet: *Iudices literam Theta adponunt ad eorum no-*

Quin tu igitur, summa nequidquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et adsiduo curata cuticula sole.
Exspecta: haud aliud respondeat haec anus. i nunc;
Dinomaches ego sum, suffla: *sum candidus*. esto:

mina, *quos supplicio adficiunt*. Etiam grammatici hoc signo utebantur.

14. Ab hoc versu Noster, se Socratis partes sustinere, obliviscitur, et, relicta ironia, ad ingenium statim redit. *summa nequidquam pelle decorus*, qui nequidquam externa specie decora es, nequidquam honestatem similas, prae te fers.

15. *caudam iactare*, σαίνειν, speciosis actionibus se venditare apud populum, favorem populi captare. Cum hoc coniungas *ante diem*, idem quod supra *ante pilos*. *blando*, qui huiusmodi hominibus semper blanditur, eosque, ut in Alcibiadis vita relatum legimus, in coelum effert. Specie enim magis quam re ducitur multitudo.

16. *melior sorbere*, pro: dignior, qui sorbeas. *Anticyras meracas*. *Anticyra* nomen duarum urbium maritimarum, in Phocide ad sinum Crissaeum, et in Phthiotide ad Maliacum sinum. In utriusque agro proventus erat hellebori, quo inter alios morbos etiam insaniam veteres putabant posse sanari. Saepe *Anticyra* pro helleboro ponitur. *Anticyras meracas* i. e. helleborum merum. Sensus: tu qui potius helleboro mero esses sanandus. Notat hoc insaniae vim.

17. *Quae tibi summa boni est*, i. e. quodnam tu summum bonum existimas. v. ad III, 60. *uncta vixisse patella*, cibis delicatissimis uti.

18. *et adsiduo curata cuticula sole*. ἡλίωσιν intelligit vel ἡλιάζειν, insolationem, quae quidem ex praescripto medicorum ad siccitatem corpori adquirendam adhibebatur. Hoc loco autem intelligitur lascivorum hominum insolatio, qui nudi ad solem expositi operam dabant dropacisticis aut chromatiariis, quorum illi inhonestas corporis partes depilabant, hi corpus infuscandum curabant. Ceterum animadvertendum est, Nostrum sub persona Socratis quum delicatulum illum interrogasset, quae illi *summa boni* esset, non habente illo, quid responderet, pro illo respondisse.

19. *Exspecta: haud aliud respondeat haec anus*. Exspecta, quaeramus ex hac anicula, quid summum bonum existimet, et haec eadem mihi respondebit, quae tu; quapropter tu ne a vilissima quidem muliercula in hac re differs. *i nunc*, irridendi habet vim. Iam apage te, intelligis enim, quarum rerum fiducia ad rem publicam administrandam adcesseris, nil tibi reliqui feci praeter id, ut dicas: generis mei splendore nitens tantos spiritus alo; et per me alas, dummodo, te non magis quam abiectissimam quamque mulierem sapere, fatearis. Posterius tribus sequentibus versibus est expressum.

20. *Dinomaches ego sum*, *suffla*: *sum candidus*. *esto*: *suffla* sc. buccas,

Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocima vernae.
Vt nemo in sese tentat descendere, nemo!

pro: iactanter dic. *Dinomaches* Plutarch. in Alcibiade cap. I. πρὸς δὲ μητρὸς Ἀλκμαιωνίδης ἦν sc. Alcibiades, ἐκ Δεινομάχης γεγονὼς τῆς Μεγακλέους. Alcmaeonidae apud Athenienses summo erant in honore, ductu eoim et auspicio eorum a Pisistratidarum tyrannide erant liberati. *sum candidus* ad pulchritudinem corporis spectat, qua in sui amorem multos pellexisse Alcibiades dicitur. *esto.* sis vel maxime nobilissimo genere ortus et pulcherrima corporis forma. Similis color orationis est apud Iuvenal. VIII, 46 seq.

21. *pannucea* pannis obsita, sordidissima.

22. *Quum bene discincto cantaverit ocima vernae.* Interpretatio huius versus difficultate laborat, qua forsan numquam liberabitur. Ad liquidum perduci nequit, qualis herba *ocimum* fuerit, multo minus, quid sibi velit, *ocima cantare.* Ex Plinio (H. N. XIX. sect. 36.) ubi dicuntur ocima cum maledictis et probris seri, conligit Casaubonus, *ocima cantare vernae*, idem esse, quod: opprobria ingerere servulo; provocat quoque ad naturam muliebris sexus ad coovicia pronam, qualis ab Aristoph. Plut. 426. repraesentatur. Verum inde, quod ocima cum maledictis et probris seruntur, mioime sequitur, *ocima cantare* esse *opprobria ingerere.* Quin etiam maledicta et opprobria ab h. l. aliena esse videntur, quum *pannucea Baucis* vernam ita tractare debeat, ut Alcibiades popellum, nisi mavis statuere, comparationem esse mancam, aut versum hunc temere adiectum. Plinius (H. N. XX. sect. 48.) ubi agit de viribus medicis huius ocimi, addit: *Venerem stimulat. Ideo etiam equis asinisque admissurae tempore ingeritur. Ocima cantare* positum igitur esse potest pro: ea cantare, quae venerem seu libidinem stimulant, seu simpl. pro libidinem excitare. Huic interpretationi, seu, si mavis, hariolationi (nam hariolandum sane h. l. est), aptum quoque videtur *bene discincto vernae*, i. e. dissoluto et libidiuoso servo, nam vernae tunc temporis servorum petulantissimi habebantur. De *discincto* cf. Ruperti ad Sil. Italic. II, 56. VII, 153. Sensum totius loci sic constituo: Dum ne deterius, i. e. dummodo aeque bene sapiat *pannucea Baucis*, quando vernae dissoluto, ubi eius libidioem excitarit, blanditur, ac tu, quando popello io adulationem prono et pulchritudine tui corporis moto orationis lenocioio velificaris.

23—41. Hic plane novus rerum nascitur ordo. Si nihilo minus tamen ea, quae nunc sequuntur, cum praeced. copulare vis, nexus erit ita constituendus: Haec hominum adrogantia, qua se sibi aliquos putant, falsaque virium suarum fiducia negotia stulte suscipiunt gerenda, quae sustinere non possunt, proficiscitur ab ignorautia sui ipsius. Nemo secum habitat, nemo se ipsum explorat, quia circa aliena nimis occupatus est. Alienos mores severe iudicamus in nostris dissoluti et molles. Posterius Noster dramatice extulit adeo, ut nostris oculis obversetur iste ardelio; videmus et audimus, ut leviora

Sed praecedenti spectatur mantica tergo.
Quaesieris, Nostin' Vectidi praedia? «cuius?»
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret.
«Hunc ais? hunc dis iratis genioque sinistro?
Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,

aliorum vitia carpens sua ipsius vel ignorat vel dissimilat.

23. *in se descendere*, se ipsum cognoscere s. explorare.

24. *spectatur mantica.* Adludit Noster ad notam illam fabulam Phaedri IV, 9. cf. Petron. 57. *Tu autem tam laboriosus es, ut post te non respicias? in alio peduclum vides, in te ricium non vides?* Horat. Sat. I, 3. 25 seq. Senec. Agam. 279 seqq. *praecedenti* pro praecedentis.

25—32. Vbi forte sermo iniicitur de aliquo locuplete nimis fortasse parco, statim mores eius deterrimis coloribus depingis, gaudesque occasione oblatâ de aliis male loquendi.

25. *Quaesieris*, pro: Si quaerat forte aliquis. *Vectidius* locuples quidam nobis ignotus. *cuius?* Interrogat, quasi nesciat, de quo sermo sit. Sic solent homines partim ut, dum adcuratiorem alicuius designationem requirant, non curasse illum videantur, eoque studium suum maledicendi dissimilent, partim ut audiant prius, quid alter, dum adcuratius aliquem designet, de illo praedicet, quo, si aures eius criminationibus patere sentiant, eo tutius et liberius illum sugillent.

26. *Dives arat*, pro: divitis illius, qui arat. *Curibus* pro: in agro Curensi seu Sabino, in quo erat *Cures* oppidum. *quantum*, pro: tantum agrorum spatium, quantum. *non milvus oberret.* Hac locutione proverbiali agrorum magnitudo declaratur. Petron. 37: *Ipse Trimalchio fundos habet, quam milvi volent.* Iuvenal. IX, 54 seq. De huiusmodi latifundiis loquitur Seneca Epist. 83: *Quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationis vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere praediorum modum? Inlustrium fluminum per privatum decursus et amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium a fonte, vestri sunt* cet.

27. *Hunc ais?* Nunc tandem sentit, quem alter narret, pergitque ipse statim uberius describere hominem, ad se quidem, ut similare vult, nihil pertinentem, tamen sibi cognitum; atque quasi ut hoc solum ostendat, se novisse hominem, turpissimis coloribus eum adumbrat. *Hunc dis iratis genioque sinistro?* sc. natum. Is dicitur *dis iratis genioque sinistro* natus, qui vitam miseram vivit, aut cui fortuna adversa est. Iuvenal. X, 129. h. l. sic vocatur sordide avarus, qui omnibus vitae deliciis abstinet, quique semper habendi cura cruciatur.

28. *Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit. Compitum* proprie est quadrivium, et quadrivia laribus compitalibus sacra erant. Quorum in honorem arae ibi constructae et sacella per omnes quatuor partes patentia. Ibi quotannis sacra fiebant per aliquot dies, Dionys. IV, 14. *compi-*

Seriolae veterem metuens deradere limum,
Ingemit, *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
Caepe: et farrata pueris plaudentibus olla, 31
Pannosam faecem morientis sorbet aceti. »

talia adpellata, Gell. X, 24. Illis diebus omne servitium erat sublatum Dionys. l. c. Tibull. II, 7. Macrob. Sat. I, 14. Poterat fieri, ut iuga boum ad istas aras sive compita in significationem adempti et pecori et hominibus per illos dies servitii suspenderentur seu figerentur. Est id quidem ab nullo veterum scriptorum, quod equidem sciam, memoriae proditum, verum quam multa in omni antiquitate creduntur, quae vel unius verbi testimonio, interdum grammatici nescio cuius, nitantur, praesertim earum rerum, quae ad vitam privatam, ad ritus et instituta agricolarum, minus a scriptoribus celebrata, pertineant. Apud veterem commentatorem haec leguntur: *In his* (aediculis in compitis consecratis) *iuga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium.* Sed h. l. non de eo, quod interdum, si fracta erant iuga, verum quod statis temporibus fieri solebat, sermo esse videtur. Non est sane, quod nos verbum *figit*, quo Noster usus est, torqueat. Nam non adfirmaverim, illud semper τοῦ ἀνατίθεναι, nusquam τοῦ ἀνακρεμᾶσθαι vim habere. Huc adcedit, quod omnino poëtae, inprimis Persius, propriam verborum vim non religiose sequuntur, *pertusa*, saepius pro *vetusta*, h. l. pro *pervia*.

29. *Seriolae*. In qua seriola diu vinum erat adservatum, quo uti sordidus ille non ausus erat. An *limus* h. l. pix sit, dubito; potest enim intelligi seria seu dolium humi demersum in cella vinaria, quod, antequam relineretur, a sordibus erat purgandum. Potest quoque *limus* esse vini faex adhuc reliqua ac diu servata, quae nunc quidem de seria deraditur. Hoc magis placet, cum quia ad depingendum sordide avarum aptius est, tum quia v. 32. *pannosae faecis* mentio fit.

30. *Ingemit.* Hoc declaratur, quam lubenti animo his rebus vilissimis utatur, idemque repugnat praeclare sequenti: *Hoc bene sit! Hoc* est casus sextus. Sensus: Istis delectemur! laute vivamus! *tunicatum*, quod multis involucris constat.

31. *et farrata pueris plaudentibus olla. Farrata olla*, pro: pulte ex farre crasso in olla cocta. Sensus: Dumque servuli magna invicem cum gratulatione, quia tanta scil. lautitia raro illis contingere solebat, pulte in olla obposita fruebantur.

32. *Pannosam faecem morientis sorbet aceti. Pannosam*, i. e. situ et vetustate membranis iam obductam. Observanda ars est poëtae in verborum delectu, quo utentem inducit istum obtrectatorem et in minutissimis ad invidiam depingendis artificem. Sordidus ille non bibit, sed *sorbet*, tamquam rem lautissimam, ut sapore hoc iucundissimo quam diutissime fruatur, nihilominus tamen parsimoniam in bibendo adhibeat; non vinum, sed *acetum*, et ne hoc quidem, sed *faecem aceti morientis*, i. e. vapidi.

At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores, penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?

33—41. Iam interpellat Noster istum in vita aliena depingenda tam disertum et adcuratum, in sordibus, a quibus ipse quidem intactum servaverat animum, perstringendis ingeniosum et callidum, docetque, quantopere in contrarium peccet mollitie et luxuria diffluens, et quam turpem sibi infamiae notam ob hanc rem contraxerit.

33. *cesses*, otieris. *et figas in cute solem*, i. e. cutem, corpus nudum solis radiis obponis. Hoc fiebat a delicatulis, ut colorem cutis infuscarent.

34. *cubito qui tangat*, non mollem istum, sed alium quemcumque, quem adtendere vult ad istam turpitudinem. *acre*, acriter.

35. *Despuat in mores*, mores detestetur. *Despuere* est abominantis. Lucian. Icaromenip. T. II, p. 786. ed. Reiz. περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι κατάπτυστα ἤδη περιστέλλοντες. *arcanaque lumbi*. Libidinosi homines solebant pilos, quibus natura pudenda aliasque corporis partes obduxit, evellere, hoc fiebat forcipe, pumice, fascia pice obducta. Pertinebat hoc ad exquisitioris voluptatis studium, quo conruptissimi tunc temporis Romani flagrabant. *arcana lumbi*, posteriora seu anum, quem levem reddebant et glabrum cinaedis.

36. *Runcantem*. *Runcare* proprie est segetes aut herbas e segetibus evellere. H. l. positum pro *depilare*. *Runcantem pandere*, Graeca constructio notissima. *pandere*, publice exponere pilis, qui tegumento erant, evulsis. *vulvas*, id, quod supra *arcana lumbi*, cum respectu ad cinaedos sic adpellatum. *marcentes*, forsan, laxatas.

37. *Tu quum maxillis balanatum gausape pectas*. *Maxillis* Casaubonus explicat: pectine, quod et maxillis et pectini dentes sint; et *balanatum gausape* idem: capillos oleo balanino unctos. *Balanus* glans unguentaria nucis avellanae magnitudine in Arabia, Aethiopia et Aegypto nascens, e cuius cortice suavissimi odoris oleum exprimebatur. *gausape* proprie militare stragulum villosum, aut mappa villosa ad detergendas mensas.

38. *gurgulio*, h. l. ea pars, qua mares sumus. Si interpretatio prioris versus, quam Casaubonus proposuit, vera est, nec quisquam, quod sciam, dedit probabiliorem, sententia, quae illo priori et hoc versu continetur, si eam adtentius perpendas, frigidissima est, et indignatione, qua Persius, quem dicunt verecundiae virginalis fuisse, h. l. abripitur, plane indigna. Meo quidem sensu nihil ieiunius cogitari potest, quam illa interrogatio: Quum alas capite comam, cur depilas penem? Liceat mihi aliam interpretandi rationem inire, si non veriorem, tamen huic loco, ut arbitror, aptiorem. Potest *gausape* de capillamento adcipi, seu de pilis ad-

Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,

scititiis, quos solebant adhibere ii, quibus capilli ante diem defluxerant (Suet. Oth. 11.), vel quibus raros tantum et colore ingrato natura tribuerat. Sed sic quoque restat difficultas in *maxillis;* nam frigidam esse translationem, si illud pro pectine adcipitur, nemo facile negabit, et, tropo remoto, *pectine pectere,* quis ferre tandem pleonasmum illum potest? Forsan etiam ii, qui barba destituti erant, aut tenera lanugine tantum instructi (Martial. X, 42.) parabant sibi adscititiam. Notum quidem est, illo tempore Romanos barbam non aluisse, sed tondendam curasse, verum aeque constat, iuvenes eam aliquamdiu ad vigesimum secundum aetatis annum et saepe ultra nutrivisse. Videmus etiam nunc in ipsa Persii imagine (quae tamen, an nostri poëtae sit, vehementer dubito) barbae partem haud exiguam in genis eius relictam, atque, ut adparere videtur, vel calamistro comptam. Etiamsi erant, qui evellenda et exstirpanda barba feminis se similes reddere studerent, tamen barba omnino destitutum esse vulgo turpe habebatur, Fortunaeque barbatae supplices fiebant iuvenes, ut facies sua barba vestiretur. In qua et comenda et tondenda et radenda et vellenda summam adhibebant elegantiam delicatuli. Quod si igitur statuamus, barbae partem, quam relinquere forsan in genis (*maxillis.* Martial. VIII, 47.) moris erat, adscititiam fuisse, ut nostris temporibus simile aliquid vidimus, eamque, quasi genuinam, depexam seu comptam ab illo bello et oleo exquisitissimo delibutam, sensus oritur non omnino infacetus: Tu qui faciem pilis adscititiis ornas, ubi natura pilos tibi negavit, cur depilas eas partes, quas natura pilis vestitas esse voluit?

39—41. Natura te voluit virum esse, tu glabrum et mollem te reddere studes, sed operam perdis. 39. *Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant.* De dropacistis, δροπαστικαῖς, h. l. sermonem esse, unusquisque videt. Hos *palaestritas* esse vocatos, quia robustissimi vulsores essent intelligendi et suae professionis apices, Casaubonus monet, quem secutus quoque est Burm. ad Petron. 21; ubi *palaestricae,* quas ait esse ministras, ancillas, quae oleo perfunderent certantes, in *palaestritae,* quos esse eos perhibet, qui se in palaestra exercerent, mutari vetat, quamquam in nonnullis codd. mss. *palaestritae* legitur. Salmasius ad Tertull. de Pallio p. 273. eos quoque, qui xysticos in gymnasiis depilarent ac levigarent, *palaestritas* esse vocatos, disputat, verum nullum locum adfert, ubi vulsor aut unctor *palaestrita* vocatur. Forsan servi apud Romanos, qui palaestris privatis praeerant, *palaestritae,* vocabantur (Martial. III, 58. 25.), iique non solum iuvenes heriles arte palaestrica erudiebant, verum etiam dominis in curanda cute et pilis evellendis operam navabant. Hoc quidem mihi certum videtur esse, Nostrum, quum pro dropacistis *palaestritas* scriberet, non tam athleticum robur respexisse quam dexteritatem. *plantaria,* i. e. pilos.

40. Cf. Horat. Epod. VIII, 5 seq. *Nates* vocat *elixas,* quae balneo ca-

Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto: sic novimus. ilia subter
Caecum vulnus habes: sed lato balteus auro
Praetegit. ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. « Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam?» Viso si palles, inprobe, numo;
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:

lido erant emollitae, ut pili facilius evellerentur. Sic balneator ipse apud Martialem (III, 7. 3.) vocatur *elixus* ab aqua calida, quam tractat. *labefactent.* sc. vellicando. Exprimit hoc difficultatem, cum qua pili evellerentur.

41. *filix*, de quacumque herba sterili, quae culturae agrorum oblicit. *mansuescit.* Sensus: numquam tamen pili radicitus extirpabantur; naturam vincere non poteris.

42—52. Versus 42 et sequens usque ad *novimus* cum anteced. cohaerent. Ita quasi more receptum est, inquit, carpimus et carpimur vicissim. Verum, quae sequuntur, ad priorem satirae partem rursus pertinere videntur. Pergit Noster hortari iuvenem illum, ne populo, externam speciem in iudicando sequenti, fidem habeat, ut potius se ipsum exploret, ac sua vitia cognoscat.

42. *Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.* Sumptum hoc a militibus, quorum corpus scuto tectum, crura sagittis et telis exposita erant.

43. *novimus*, ita vivere didicimus.

44. *Caecum.* quod adversarius non animadvertit. Sumptum nempe hoc a gladiatore vulnerato et vulnus dissimilante, ne inde adversarii animus augeatur.

45. *et decipe nervos*, i. e. decipe vires tuas, simila, vires tibi adhuc integras esse, quae vulnere debilitatae sunt.

46. *Egregium cum me* cet. Senec. Epist. 59: *Illud praecipue impedit* (quominus tantum, quantum satis sit adversus vitia discere, discamus) *quod cito nobis placemus; si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, adnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum prendimus; optimos nos esse, sapientissimos adfirmantibus adsentimur, cum sciamus illos saepe mentiri.* Aliorum laudationem sibi fraudi fuisse profitetur Alcibiades apud Platonem in Symp. XXXII. ed. Wolf.

47. *Viso si palles* cet. Similis orationis color est apud Iuvenal. VIII, 9 seqq. 135 seqq. cf. supra III, 109 seqq.

48. *penem amarum;* i. e. mentem libidinosam.

49. *Si puteal cautus multa vibice flagellas.* Duo putealia Romae fuerunt, quae nobis quidem nota sunt, a pluribus, etiam a Sigonio de ant.

iur. Rom. T. II. p. 504 seq. confusa, a Salmasio primum ad Solinum p. 802 seq. distincta, unum Naevii in comitio, de quo loquitur Cic. de Divin. I, 17; conf. Liv. I, 36; alterum Libonis in porticu Iulia ad arcum Fabianum. Neque praeter haec alia Romae fuisse putealia quis adfirmaverit? Vetus Persii interpres intelligit h. l. puteal Scribonii Libonis, cuius formam, arae instar, in numis antiquis descriptam adhuc habemus. Iam vero Casaubonus existimat, *puteal* h. l. pro foro esse positum, et *flagellare forum* pro: frequenter adire forum, aut in turba forensi quotidie versari. Ad maiorem inprobitatis declarationem idem putat adiectum esse *multa vibice*, nam ubi turba sit hominum aliorum in alios incurrentium, ibi rixas esse, ibi verbera et vibices (forsan Iuven. III, 244 seqq. respexit). τὸ *cautus* artis verbum esse, proprium enim fori peritis et pragmaticis cavere. Vt autem hic versus ad Neronem pertinere possit, alteram proponit explicationem, nocturnasque Neronis grassationes spectari putat, quibus pererrare forum obviosque caedere soleret. Et quia in his grassationibus milites semper praesto essent, qui Neroni auxilium ferrent, etiam τὸ *cautus*, satis bene hac ratione potest inlustrari. Prima interpretatio Casaubono, prope dixerim, indigna est; altera sane probabilior, modo haec ad Neronem trahi possent, ad quem, ut ille vir eruditissimus ipse fatetur, versus 47 saltem pertinere non potest, itaque non magis hic, qui interpretes usque adhuc torsit et semper torquebit. Aliam viam Salmasius l. c. ingressus est, negatque *puteal* hoc loco pro foro aut dicasterio adcipi posse, sed de feneratoribus potius esse cogitandum, qui ad puteal Libonis consistere solerent. Ad hunc tamen locum monuit vet. commentat. Cruq. *Puteal locus erat in foro, ad quem conveniebant mercatores et feneratores ad tradendum et recipiendum. Alii dicunt fuisse pro rostris, ubi tribunal erat praetoris.* Idem (ad Horat. Epist. I, 19.) ait, *puteal Libonis* tribunal fuisse. Cum hoc consentit Porphyr. ad eundem locum. Vides iam inter grammaticos litem esse, quae a nobis componi nequit, quum difficile sit iudicatu, cui horum plurimum tribuas, Casaubonianamque de foro et tribunali rationem non utique esse a Salmasio refutatam, nam inde, quod adparet vel ex Ovidio (Remed. A. 561.) ad puteal negotia sua tractasse feneratores, minime sequitur, puteal pro foro et tribunali non debere adcipi, nisi nefas existimes, auctoritatem scholiastae Persii, qui de feneratoribus h. l. agi opinatur, negligere. Pergit Salmasius, de more fieri, ut qui frequenter ad locum aliquem conveniant, ibique diu desideant, per otium saepe dum aliud agant et loquantur, vel stilo parietem conscribillent, vel unguibus deradant, vel aliquid nugarum faciant. Hinc lepide dictum esse et ἐμφατικῶς de feneratore, qui totum diem ad puteal consisteret, expectans qui pecuniam adcipere vellet, multa vibice puteal eum flagellare. Verum enim vero non erat Satirici, ne dicam Persii, a rebus levissimis ac fortuitis colores mutuari ad id describendum, quod indignatione sua et satirico flagello dignum existimasset, praesertim quum illae ad hoc minime pertinerent. Simplicissimam omnium interpretum, qui mihi quidem innotuerunt, rationem iam ante illos duumviros

Nequidquam populo bibulas donaveris aures.
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

iniit Badius Ascensius, qui *puteal* feneratores et usurarios h. l. esse putat, et *multa vibice flagellare* pro: gravi damno adficere, positum esse arbitratur. Britannicus vero *puteal* debitores esse, et *multa vibice flagellare* pro: molestum esse debitoribus in usuris exigendis, existimat. Hoc satis sit de loco, cuius sententiam et vim fortasse nemo extricabit.

50. *bibulas*, laudis cupidas. *bibere* de aure habet quoque Horat. Od. II, 13. 32. et Prop. III, 4. 8. ibi Burm. Sensus: frustra, quum turpiter vivas, multitudinis laudibus delectaberis, quandoquidem ex eo, quod quis laudatur, non sequitur, eum laudes mereri.

51. *Respue, quod non es.* Noli admittere laudes, quas non mereris. *cerdo*, artifex sordidus pro hominibus, qui ex quavis re abiecta et turpi lucrum quaerunt. *munera*, laudes, quas in te conferre vult. *tollat sua munera*, abeat cum suis laudibus.

52. *Tecum habita.* Te explora. Horat. Sat. I, 3. 34 seqq. *curta supellex*, verae laudis penuria. Cognosces, quam parum sit in te, quod laudem mereatur.

SATIRA V.

AD MAGISTRVM SVVM ANNAEVM CORNVTVM

ARGVMENTVM.

Vt gratissimum erga Cornutum, praeceptorem suum, animum declaret poëta, utitur lepida sententiarum conformatione. Scilicet ad rei magnitudinem, quae verbis aequari non possit, declarandam, poëtae sibi optare solent centum ora et linguas, Homerum secuti; quorum more et instituto Persius quoque hoc loco utitur, subindeque se a Cornuto interpellatum fingit: Quorsum haec? quippe neque carmen aliquod sublime condas, neque in argumento aliquo tragico verseris, neque omnino pravum huius saeculi morem, quo tenues et ieiunae res ingenti strepitu verborum ac tumultu, ut gravissimae, efferuntur, in animum induxeris sequi, sed vitae humanae consuetudinem, in dies magis magisque in deterius delabentem, acerrimo sale defricare tibi propositum sit; quin huc igitur verba et sententias dirigis? 18. *Enimvero, Persius subiicit, huic rerum vanitati equidem nullus studeo; animi mei recessus tibi aperirem, ostenderemque, quanto amore te complecterer, vota poëtarum, vel in minutis rebus a nonnullis inepte adhibita, in maxima re et meo sensu gravissima, mea feci.* 29. *Recensum iam instituit omnium beneficiorum, quibus a Cornuto puer adfectus sit, declaratque, quantum eius institutioni et praeceptis debeat.* 40. *Familiaritatis deinde mentionem facit, quae sibi cum illo semper intercesserit, intimae* 44, *studiorumque communium morumque similitudinis.* 62. *Hinc deflectit ad stoicum aliquod dogma de libertate, quo sapiens solus liber perhibetur, transitione admodum felici. Animo enim gratissimo reputans, quantum ipse stoicorum disciplinae debeat, ex illorumque ratione ad vitam cum animi tranquillitate et constantia transigendam profecerit, suo ipsius exemplo monet iuvenes, ut eadem obportunitate utantur, neque occasionem discendi differant.* 72. *Ad bene autem et beate vivendum libertate opus esse, non ista, quae in Damae, agasonis cuiusdam, persona ridetur, civili.* 82. *Docet porro, quid sit ex Stoicorum sententia, ita vivere, ut vellis, id est, verae libertatis vim et naturam, quae a praetore, philosophiae ignaro, non possit cuiquam impertiri.* 95. *Ad omnia, quaecumque velis, facienda requiri adcuratam omnium rerum cognitionem,* 104, *libertatemque sine cognitione veri, rerumque vel expetendarum vel fugiendarum ratione, et animo ab omnibus cupiditatibus motibusque vehementioribus vacuo ac soluto ne cogitari quidem posse.* 118. *Non posse fieri, ut aliquis sapiens idemque stultus sit, sed vel omnino sapiens vel omnino stultus* 123. *Vt domini in servos, sic cupiditatum in ipsos dominos esse imperium aeque severum.* 131. *Quod ut amplius confirmet, exemplo utitur, a mercatoris avaritia petito, ad omnia facinora illum inpellente.* 139; *contra pugnantem inducit luxuriam, mercatoris animum in diversa trahentem.* 153, *qui miser, alterutro vitio declinato, in alterum praecipitem se necessario daturus sit.* 160. *Iam ad aliam similitudinem transit, ab amante aliquo sumptam, qui valedicere ami-*

cae quum apud animum statuerit, illico ad eam pristina caritate retrahatur. 169. *Quibus rebus monstrat Noster, ne illum quidem liberum esse, qui imperium in vitia ad tempus exercere possit* 175, *multo minus eos libertatem nactos censendos esse, quos ambitione religionibusque per vices excitatos turbatosque semper conspicimus.*

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

1—4. Poëtae solent, incipit Noster, in rebus tragicis epicisve enunciandis, quum rerum copia vel vera simulata premantur, centum ora et linguas sibi optare.

1. *Vatibus hic mos est.* Respicit loca huiusmodi in poëtis satis obvia Homer. Il. β, 481 seqq Virg. Aen. VI, 625 seqq. VII, 37 seqq. Ovid. Metam. VIII, 532 seqq. Trist. I, 453 seqq. Fast. II, 119 seqq. cf. Claud. paneg. in Prob. 55 seq.

3. *ponatur. poni* dicitur de thesibus a pueris tractaudis et a magistro in schola praescriptis, sic apud Quintil. (Inst. II, 3.) saepius; h. l. positum *ponatur* pro: elaboratur pro tragoedo, nam *ponere* etiam de artifice dicitur, v. not ad Sat. I, 70. *hianda* cum delectu, verba grandia enim pro animi adfectu, quem indicant, maiori, vehementiori etiam vocis contentione enuncianda sunt, sic Propert. II, 23. 5 seq. *hiare carmen* pro canere. Quemadmodum autem literarum ratio illorum temporum ea erat, ut in levibus rebus describendis sententiisque ieiunis plerumque exprimendis sublimia verba dictionumque ampullae adhiberentur: sic etiam tragoedi in fabulis agendis in eo peccabant, ut in repraesentando per voces et gestus moderationem adfectu nec finem nec modum noscerent. Lucian. in Nigrin. T. I. p. 50. ed. Reiz. οὐδ᾽ αὖ ἐκείνῳ περιθεὶς τοὺς λόγους, μὴ καὶ κατ᾽ ἄλλο τε γένωμαι τοῖς ὑποκριταῖς ἐκείνοις, οἱ πολλάκις ἢ Αγαμέμνονος, ἢ Κρέοντος, ἢ καὶ Ηρακλέους αὐτοῦ πρόσωπον ἀνειληφότες, χρυσίδας ἠμφιεσμένοι, καὶ δεινὸν βλέποντες, καὶ μέγα κεχηνότες, μικρὸν φθέγγονται καὶ ἰσχνὸν καὶ γυναικῶδες, καὶ τῆς Εκάβης ἢ Πολυξένης πολὺ ταπεινότερον. *moesto* naturam tragicae personae spectat.

4. *Vulnera seu Parthi. Vulnera* hoc loco passive, Horat. Sat. II, 1. 13 seqq. Interdum etiam active, ut apud Virgil. Aen. II, 436. Parthi Romanorum hostes adsidui, numquam satis debellati, quamquam saepius bello tentati, ex Tacito, Suetonio, Dione Cassio cet. satis noti. Triumphi ficti materiam aeque ac Germani Romanis Imperatoribus saepenumero praebuerunt, ad quorum Imperatorum gratiam sibi conciliandam seu demerendam poëtae in celebrandis de hac gente victoriis communi studio et concertatione inter se adnitebantur. *ducentis ab inguine ferrum.* His verbis proprium aliquod Parthorum innui omnes fere interpretes fatentur. Qui ea ad imaginem hostis vulnerati hastaque seu sagitta tra-

Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti? 6

iecti, quam evellere conetur, trahunt, errare videntur, quippe quia boni scriptores τῷ *ducere ab* in tali re vix utantur. Sed de eo, quid tandem significent haec verba, in diversas partes omnes abeunt. Casaubonus de modo iaculandi tela sumsit, laudatque locum Eustathii ad Homerum, ubi tres modi referuntur: *παρὰ μαζὸν, παρὰ τὸ δεξιὸν ὠτίον, παρ' ὦμον*, quibus tribus modis quartum *ab inguine* addit, adductus loco Propertii IV, 8. 43. qui tamen, quia magna est in eo codicum varietas, nihil probare potest. Et quis tandem iaculandi modum ab inguine concoquat! Heinsius de ense hoc intelligit ad Ovid. Met. II, 311. hunc secutus est Burmann. ad Valer. Flacc. I, 122; verum hoc modo Parthum nemo designavit. Parthi sagittis in proelio maxime valebant, eaeque tela eorum propria. Pharetrae vero, in quibus sagittas gestabant, ab humeris pendentes superiori sua parte cubitum adtingebant, ut commode inde sagittae depromi possent. Pindar. Olymp. II, 149 seqq. *Πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη* Ενδον ἐντὶ *φαρέτρας*; cet. Ibi Schol. laudat Theocrit. XVII, 30. ubi legitur *ὑπωλένιον φαρέτραν*. Iam vero *ensem ducere* pro: destringere, educere e vagina, notum est. Quidni etiam dici possit, *sagittam ducere*, pro: depromere sagittam e pharetra? Illud *ab inguine* sic facile a situ pharetrae potest explicari.

5—18. Poëta fingit se a Cornuto, cuius nomini hanc satiram inscripsit, interpellatum: Quid hoc sibi vult? aut quantae molis carmen paras? Tragicas res tractaturis hanc verborum pompam relinque. Tu ab omni stulta ostentatione, quum te ad scribendum adcingis, liber es, versusque componis vacuos ab omni tumore inani, sed elegantes; scis mores pravos perstringere. Huic rei verba et sententias adcommoda omissis tragicis ampullis.

5. 6. Similitudo sumpta est a ferculo, quod aliquis adponit. *quantas offas robusti carminis ingeris? offa* est globulus seu portio cibi. h. l. significat partem carminis. *robusti* longe deducti. *ingeris*, adponis, objicis, h. l. pro: meditaris. Sensus: Quam longe diductum carmen paras? *ut par sit centeno gutture niti. Nititur* aliqua res eo, quo sustinetur, et id, quod sustinet, subficere debet oneri imposito; carmen *nititur gutture*, quando vox in recitando non deficit. Sensus itaque est: ut centum linguae, homines (*centenum guttur*) ad illud grande opus recitandum desiderentur, aut carmini recitando vix subficiant. Quia, similitudine retenta, hoc ferculum pluribus erat coenandum, adposite dixit: *quantas offas robusti carminis*; sed in similitudinis delectu iudicium poëtae requiras, neque troporum durities probari potest. Ceterum Persii tempore non tam ingeniosi erant poëtae, ut rerum copia premerentur, sed quum infinita rerum vi obrutos se his flosculis, ex Homero aliisque decerptis, proliterentur, fieri potuit, ut in summa rerum inopia tunc maxime solliciti essent, quid dicerent. Hanc ingenii paupertatem magnis quoque voluminibus studebant dissimilare, materia

Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec, clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;

undique congesta et argumento ad taedium usque dilatato.

7. *Grande locuturi*, in eiusmodi argumentis versaturi, quae v. 3. et 4. designata sunt. *nebulas*, tales dictiones et flosculos, quibus poëtae antiqui usi sunt, qui flosculi, quum rei veritate destituantur, nihil nisi inanem speciem praebent, ut nebulae. *Helicone*, in antiquiorum poëtarum scriptis.

8. 9. Procne Philomelae filium Ityn Tereo, et Atreus Thyestae filios ipsi patri coeuandos adposuit. An Neronem, qui Thyestem tragoediam egit, notet Noster, dubitari saltem posse existimo. *olla* spectat ad argumentum fabulae, ut apud Claudian. I, 171: *Thyesteae mensae*, et apud Horat. in arte 91: *coena Thyestae*. V. 9. *Fervebit* adposite ad ollam. *si quibus fervebit* pro: a quibus stylo tractabitur. *coenanda*. manet Noster in allegoria. De mimo notum est: *saltare fabulam* Ovid. Trist. II. 519. et Iuvenal. VI, 63. *saltare cyclopa* Horat. Sat. I, 5. 63; sic Graeci quoque ὀρχεῖσθαι τὸν Ἕκτορα, τὸν Καπανέα, Lucian. de Saltat. posuit autem *coenanda* pro saltanda seu agenda, quia utraque fabula circa carnes liberorum coctas patribusque adpositas versatur. *insulso Glyconi*. Tragoedum Glyconem fuisse, qui populo mire placuerit, et propterea a Nerone manumissus sit, narrat Scholiastes ad huuc locum. *insulso*, inepto.

10—13. Pergit Cornutus: Tu ab inepto aliorum poëtarum tumore abhorres. Pro hoc posuit id, quod facere illi, dum meditarentur, et quo grande aliquid se elaboraturos profiteri solebant. Huius ostentationis triplex genus posuit, unum eorum, qui in meditando animi quasi ardore aestuarent; alterum eorum qui se totos in meditando defixos simularent ad ostentandam materiae gravitatem et difficultatem; tertium eorum, qui sibi dum scriberent, vehementer placerent, superbosque inducerent vultus.

10. 12. *Tu neque anhelanti folle premis ventos*. Premit is ventos folle, qui facit, ut follis ventum seu auram adceptam rursus emittat. *Anhelanti folle*, metaph. pro pulmonibus, totumque simpl. pro: tu non anhelas, non aestuanti te similem facis, *dum coquitur massa camino*, i. e. dum argumenti tractatione occupatus es. Sumptum hoc a metallis, quae igne liquefacta in varias formas funduntur. Nonnulli *folle premere ventos* adcipiunt pro: folle retinere ventos, inflare se; quam tamen rationem epitheton *anhelanti* non admittit, qua etiam tota similitudo turbatur. Cornutus enim negat, Persium aestuanti, similem anhelare, dum in opere perficiendo occupatus sit, ut follis soleat adcipere et reddere auram, dum metalla liquefiant. Ceterum Horatius Persio praeivit Sat. I, 4

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas,
Verba togae sequeris, iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.

19 seqq. conferas Iuvenalem VII, 111 seq. *nec clauso murmure raucus Nescio—inepte.* Altera haec ostentationis species. *clauso*, obpresso. *raucus*, naturae murmuris convenienter. *cornicaris*. Priscian. VIII, 828. hoc interpretatur: importunum garrire; κρώζειν, Aristoph. Plut. 369. ibi Schol. Casaubonus ita adcipit: solus ambulas cornicis instar; non satis recte, ut videtur. Sensus: tu non rauco murmure, cornicis instar, tecum loqueris, nescio quas res grandes (*grave*) animo tuo volutas. *inepte*, inepto more.

13. Sequitur tertia ostentationis species. *Nec intendis*. Nec id agis. *tumidas*, inflatas. *stloppo* vox ficta ad exprimendum illum sonum, quem, buccae inflatae quum vi subito comprimantur, ventus per labia emissus edit. Sensus: non tu buccas nimium inflas, non ita, ut ventus ore vehementer compressus per labia erumpat.

14. 15. 16. Sequuntur iam Persii laudes. Cornutus ait, Persium verba eligere in communi usu posita, ea apte componere, et oratione uti copiosa, non tamen tumida. In his Persius sibi ipse nimium tribuit.

14. *Verba togae* i.e. verba in sermonis vulgaris consuetudine versantia. *Sequeris*, h. l. deligis. *Verba togae* obponuntur verbis sesquipedalibus, quibus tragici inepti tunc utebantur. *iunctura callidus acri*. De iunctura seu compositione verborum multa praeceperunt veteres rhetores, quae nos passim adcurate intelligere non possumus, non quia aurium nostrarum iudicium obtusius est, ut quidam volunt, sed quia vel facilitas vel difficultas, qua veteres singulas literas exprimerent, totaque fere pronunciatio earum nobis incognita est, a qua tamen omnis de iunctura disputatio pendet.

15. *Ore teres modico*. *Os* saepe ponitur pro iis, quae dicuntur, ideoque pro dicendi genere, sermone, carmine. *teres*. ductum a membris humanis suci plenis, non tamen tumidis, saepe transfertur ad orationem copiosam, non tamen luxuriantem. *Ore teres modico* pro: ore modice tereti, i. e. oratione, quae modicis et verborum et sententiarum et ornamentorum copiis instructa est. conf. Horat. in arte 323. *pallentes mores*, vel mores, qui reddunt homines pallidos, vel mores hominum acrem censuram metuentium, eamque ob causam pallentium. *radere*, perstringere.

16. *Doctus*. Casaubonus existimat, Cornutum poëtam satiricum fuisse, quia Fulgentius Planciades de prisco sermone versum aliquem ex M. Cornuti satira proferat, Persiumque in satiris scribendis ab illo fuisse institutum, colligit idem ex hoc Persii loco. Huic adcedere Wernsdorf videtur in poët. Lat. min T. III. p. XVII. Verum versus ille, qui a Fulgentio citatur, dubitari potest, ex quo satirarum genere fuerit, quum reliqui scriptores omnes, qui Cornuti

Hinc trahe, quae dicas, mensamque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

mentionem faciunt, ne poëtam quidem eum fuisse disertis saltem verbis narrant. Dio Cass. LXII. extr. memoriae quidem prodidit, eum a Nerone in consilium adhibitum fuisse super carmine de rebus gestis Romanis instituto. Hoc potuit omnino fieri, siquidem doctus et nobilis grammaticus fuerit, qui etiam commentaria in Virgilium composuerit (Gell. II, 6; IX, 9. Macrob. Sat. V, 19. Charis. Grammat. instit. lib. I. p. 100. et 102. Putsch.) etiamsi versus numquam fecisset. Quin Persius, qui tantum Cornuto tribuit, ut omnia paene animi bona adcepta ei referat, si etiam satiras scribendi artem ab eo didicisset, multo sane disertius id non modo indicasset, verum etiam magistri artem laude debita celebrasset, quam reliquas eius virtutes tam copiose exornet. *Doctus* igitur h. l. nihil mihi videtur esse, quam peritus, callidus. *defigere*, pro notare. De verbo *figere* agens copiose Heinsius ad Ovid. Heroid. VI, 91. illud *defigere* explicat: tamquam aculeo tangere satiricis reprehensionibus. Sed *defigere* est proprie: humi figere. *Defigere aliquem* de poëta satirico dici potest, quando aliquem adeo adcurate depictum ante oculos hominum ponit, ut omnes illum vivum adspicere putent. *Defigere* itaque est: prostituere aliquem populo, et exponere eum vel risui vel invidiae. *culpam*, homines inprobos. *ingenuo ludo*, carmine liberali et ingenuo, non obscoeno aut maledico.

17. 18. *Hinc*, h. e ex morum censura et improbitatis castigatione. *trahe, quae dicas*, pete argumentum et dictionis colorem. *mensam cum capite et pedibus*. Atreus nempe Thyestae fratri liberos eius ad aras immolatos partim assos partim elixos adposuerat epulandos, et sub finem coenae capita illi, pedes et manus filiorum ostenderat, ut cognosceret frater, quibus nefandis epulis esset delectatus. Hanc mensam, inquit Cornutus, aut omnino omne tragicum argumentum omitte. *plebeiaque prandia* obponuntur coenis illis nefandis, pro omni argumento ex vita communi petito.

19—29. Se sibi quidem, Persius Cornuto respondet, optare centum voces non ad nugas carmine celebrandas verborumque inani tumore fucandas, sed ad animum suum, quo sit erga praeceptorem, prolixe declarandum. Honesta sane oratio, ex qua liberalis Persii indoles et egregia in Cornutum pietas luculenter adparet.

19. *hoc*, huiusmodi flosculis v. 1. et 2. *bullatis nugis* iidem flosculi intelligendi sunt, in quibus nihil solidi inest, sed qui ut bullae praeter inanem tumorem nihil habent. Tumorem Martial. IV, 49. 7. *vesicam* vocat.

20. *Pagina* seu pro eo saepe ponitur, quod in illa scriptum est, seu pro toto opere. Propert. II, 17. 4. Ovid. Trist. V, 9. 3. Martial. IX, 78. Ovidius l. c. habet *crescit*, Persius, adcommodate ad *bullatas nugas*, scri-

Secreti loquimur. tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus praecordia: quantaque nostrae
Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat. pulsa, dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Vt, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.

psit *turgescat. dare pondus idonea fumo*, Horat. Epist. I, 19. 42. i. e. quae pagina nugis (*fumo*) possit dare aliquam dignitatem. Sensus: Non equidem id ago, ut huiusmodi nugis dilatentur mea scripta ita comparata, ut illis inde nugis, quae per se nihili sint, aliqua dignitas adcrescat.

21. *Secreti loquimur.* Hoc praemittit ad omnem adulandi suspicionem amovendam. *hortante Camena*, i. e. impetu pectoris mei id exigente.

22. *Excutienda. Excutere* portitorum solenne verbum, qui sarcinas peregrinantium apertas explorabant, num forte ibi inessent merces inscriptae, quas, quum invenissent, publicabant. Seneca Epist. 72. *Explicandus est animus, et, quaecumque apud illum deposita sunt, subinde excuti debent. praecordia*, *φρένες*. Theocrit. XXIX, 3. Κἠγὼ μὲν τὰ φρενῶν ἐρέω κέατ' ἐν μυχῷ.

23. *quantaque nostrae Pars tua sit, Cornute, animae.* Suavissima est imago perfectae amicitiae duorum animorum voluntatis et morum similitudine in unum quasi coalescentium, ut alter alterius pars habeatur. Egregie Lucianus in Toxar. T. II. p. 558. ed. Reiz. amicum alterum leniter reprehendentem, qui sibi bene de ipso merito gratias ageret, induxit: γελοῖα τοίνυν καὶ ἡμεῖς ἂν ποιοῖμεν, εἰ πάλαι ἀναμιχθέντες, καὶ, ὡς οἷόν τε ἦν, εἰς ἕνα συνελθόντες, ἔτι μέγα νομίζοιμεν εἶναι, εἰ τὸ μέρος ἡμῶν ἔπραξέ τι χρηστὸν ὑπὲρ ὅλου τοῦ σώματος· ὑπὲρ ἑαυτοῦ γὰρ ἔπραττε, μέρος ὂν τοῦ ὅλου εὖ πάσχοντος.

25. *et pictae tectoria linguae.* Ab altera metaphora transit ad alteram. Vi oppositi sensus est in aprico; dicere vult Noster, Cornutum posse dignoscere verum amicum a falso et simulato. *tectorium*, κονίαμα, incrustatio parietum ex arena et calce, inde pro fuco. *pictae tectoria linguae* pro: tectoriis, quibus lingua obducta est. *Pictae* non placuit I. G. Graevio, legitque *fictae*. h. l. *pictae tectoria linguae* sunt verba simulata, animi benevolentiam mentientia.

27. *sinuoso in pectore*, i. e. in pectore multos recessus habente, ubi aliquid conditum possit latere. Similitudo de amplo vestimento sumpta.

28. *traham* sc. ex sinuoso pectore *pura*, candida. *Resignari* proprie de literis dicitur, quibus signum detrahitur; itaque *resignent* pro: aperiant, declarent.

29. *enarrabile*, spectat ad adfectus magnitudinem, quae verbis exprimi

Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque subcinctis laribus donata pependit; 31
Quum blandi comites, totaque inpune Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo;
Quumque iter ambiguum est, et vitae nescius error

nequit. *arcana fibra*, quod supra, *sinuoso pectore*.

30—51. Ego me tibi, o Cornute, pergit Persius, puerili aetate exacta in disciplinam dedi, tu me fovisti animumque meum ad virtutem formasti; seria nos una tractavimus rursusque una animos relaxavimus; hanc studiorum et voluntatis communionem naturae certe et fato debemus. 30. Tempus, quo aetas iuvenilis incipit, egregie per ea declaratum est, quae tunc adcidere solent. *Quum primum pavido custos mihi purpura cessit.* Purpuram seu praetextam ideo gestamen puerorum fuisse, ut haec aetas ab omni iniuria tuta esset, nunnulli tradiderunt. Puto tamen illud potius recentiorum huius moris et instituti interpretamentum fuisse, quam veram causam. Hoc constat, frequentem fuisse amorem in praetextatos, in primis sub Imperatoribus, eamque aetatem omnis generis libidini maxime fuisse expositam. Quumque nefandis amoribus vel unice praetextati inservirent, atque hoc vitium Persii tempore tam late pateret: parum commode *purpura* h. l. pudicitiae custos videtur vocari; quamobrem sic legendum esse existimo: *Quum primum pavido custos, quum purpura cessit.* Etenim pueros semper paedagogi in ludum literarium sequebantur, qui illorum curam agerent, pudoremque servarent; hoc satis notum est ex Horat. Iuvenal. et Martial. Erat enim, quod patres pueris timerent. *pavido* eum respectu ad pudorem primae aetatis proprium.

31. *Bullaque.* Bullae ad propellendas incantationes et fascina ingenuis pueris et altiore loco natis aureae, pauperioribus e corio factae, e collo suspensae, quum togam pueri praetextam posuissent, laribus donabantur. *subcinctis.* lares erant habitu peregrinantium. Vetus interpres ad h. l. *Quia gabino habitu cinctuque dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum dextro nudo.*

32. *blandi comites*, adsentatores, qui latus meum tegebant, in custodis severi locum subcedentes. Subple: erant mihi, vel permiserunt mihi. *Suburra* vicus Romae celeberrimus in secunda regione, a scortis in primis et lupanaribus frequentatus.

33. *umbo.* sic vocabatur centrum plicarum in toga lautiorum et elegantiorum. *candidus umbo* obponitur praetextae, et *candidus umbo* seu toga pura indicat aetatem iuvenilem, qua quis suo more incipit vivere a nullo tutore amplius custoditus. *sparsisse*, circumtulisse.

34. *Quumque iter ambiguum est*, v. not. ad III, 56. Ex quo iuvenis incipit esse suae tutelae, duplex potest inire vitae genus, vel virtutem colere, vel inservire vitiis; tunc amico opus est fideli, seu admonitore sapienti, qui eum in rectam viam deducat. *et vitae nescius error*, i. e. ignoratio eorum, quae ad vitam sapienter degendam necessaria sunt.

Diducit trepidas ramosa in compita mentes:
Me tibi subposui. teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. tunc fallere sollers
Adposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,

Ceterum similitudinem itineris a peregrinantibus absolvendi, seu spatii a concertantibus decurrendi ad vitam saepe transferri, nota res est.

35. *trepidas mentes*, dubitantes iuvenes et adhuc incertos. *ramosa ad compita*. Innumerabiles enim sunt vivendi rationes, ex quibus optimam eligere et sequi hoc opus est, hic labor. Quam diserte, quam ornate, quam graviter simplex res expressa sit, vel interprete tacente, unusquisque sentiet. Illis quinque versibus continetur: Simulac excessi ex ephebis.

36. *Me tibi subposui.* *Subponi* proprie de vitulis lactentibus dicitur. Vt sapientiae praeceptis a te nutrirer, me tibi quasi subposui. Aut subposuit se Persius disciplinae Cornuti, ut iumenta iugo colla.

37. *Socratico sinu*, i. e. ita ut Socrates solebat discipulos suscipere. Seneca Med. 384. *Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.* apud Petron. 129. est *Socratica fide.* cf. Quintil. I, 9; II, 2. praecipientem, quales esse debeant praeceptores. *tunc fallere sollers regula.* Intelligitur praecipiendi ratio, quae animo se insinuat, sensimque eum inficit et colorat, ita ut eius vis vix percipiatur. Eodem sensu *fefellit* utitur Horat. Epist. I, 17. 10.

38. *intortos mores*, i. e. pravos, qui, ut lignum aliquod regula adposita, sic praeceptis sapientiae diriguntur et emendantur.

39. *Et premitur ratione animus.* Translatum hoc ab equis domandis. Sensus: coërcetur animus (θυμός, omnes cupiditates et adfectus: Schol. ad Arist. Ran. 868.) sapientiae et morum praeceptis (*ratione*) et emendatur. *vincique laborat*, reluctans, aegre vincitur.

40. *ducit vultum* sc. animus, i. e. formam adcipit, in formam aliquam fingitur. *artificem*. Interdum *artifex* pro eo ponitur, quod in suo genere consummatum ac perfectum est. Casaubonus putat, Persium scripsisse *artificis* seu *artifici*, sed emendatione nihil est opus. *tuo sub pollice.* translatum hoc est a re plastica (Martial. VIII, 6. 9 seq.): ut scilicet artifex imaginem ex cera aliave materia fingit, sic sapientiae magister animo, quam vult, formam quasi inprimit. Senec. Epist. 50. *Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis; curvatas trabes calor explicat, et aliter natae in id finguntur, quod usus noster exigit; quanto facilius animus adcipit formam, flexibilis et omni humore obsequentior.*

41. Hactenus declaravit Noster, quid Cornuti disciplinae deberet; iam a v. 41—51. communionem studiorum et voluntatis, quae sibi cum

Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.

eodem intercesserit, exprimit. *longos soles* i. e. dies longos. *longos* puto adiectum esse ad designandum totius diei spatium ab orto sole ad eius occasum.

42. *primas noctes*, i. e. primas quasque noctis partes. h. l. cum delectu *decerpere* positum, ut priori versu *consumere*.

43. *disponimus*, i. e. dispertimus in singulas diei partes, *unum opus*, studia nostra communia. Casaubonus mavult *una*, quod tamen h. l. non convenit; non enim dicere vult Noster, se eodem tempore studiis vacasse, quo Cornutus, sed easdem res cum illo et eodem tempore tractasse.

44. *seria*, proprie dicendum fuisset: animum seriis rebus intentum. *verecunda mensa*, coena frugali, aut cibo modico.

45. His, qui usque ad v. 51. sequuntur, versibus hoc voluit Noster indicare: Quum tanta sit studiorum et voluntatis inter nos similitudo, non potest fieri, quin ea certo alicui fato debeatur. *Equidem*, adfirmandi particula. *foedere certo*, certa et constituta lege.

46. *dies*, vitam nostram. *et ab uno sidere duci*, i. e. natales nostros in eamdem constellationem cadere. A stellarum enim compositione et inclinatione ea, qua quis lucem adspexisset, indolem eius et naturam, studia, commoda et incommoda vitae futurae pendere, antiquitatis superstitio sibi persuasit. Opinio haec rudibus ingeniis familiarissima, ideoque et vetustissima, ex eo fonte profluxit, unde plurimi et maximi errores, quibus mortales ducuntur et exagitantur, originem traxerunt. Proclivis est enim omnis aetas vel remotissima, a literarum studio nondum philosophiae luce conlustrata, ad indagandas earum rerum, quae vel magnitudine sua in admirationem sui rapiunt, vel utilitate aliqua ad hominum vitam insignea sunt, vel omnino ad genus mortalium aliqua ratione pertinent, rationes et causas. Quo in studio lapsi sunt homines eo gravius, quo minore rerum cognitione instructi illud adgrederentur, quum rerum simul existentium, quae nulla societate inter se coniunctae essent, in alterutra alterutrius causam et rationem sitam esse existimarent. Id quod non solum omnibus astrologiae deliramentis locum fecit, sed et mater fuit omnium errorum, quos quidem futuri praesciendi amor foverat, innumeraque mala in vitam hominum induxit. Quantum prava haec studia Ptolemaeorum aetate viguerint, de hoc v. Heyn. Opusc. T. I. p. 109. Ceperunt autem nova semper incrementa omni memoria, qua homines debilitatis et fractis per luxum et mollitiam corporis et animi viribus rerum futurarum metu cruciarentur. Ceterum id dicitur *duci a sidere*, in quod sidus vim suam exserit, aut cuius ratio a sidere pendet.

Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum.
  Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

47—49. Sub eodem sidere nati sumus, vel sub Libra vel sub Geminis; hoc cum ornatu enunciatum est. Prius sic: *Vel Parca tenax veri suspendit tempora nostra libra aequali* (*Parca tenax veri* est fatum Stoicorum inmutabile ac certum; *suspendit libra aequali tempora nostra* i. e. exaequavit vitam utriusque nostrum Libra illa iusta): posterius sic: *seu hora nata fidelibus*, i. e. seu tempus, sub quo amici fideles nascuntur; *dividit fata concordia duorum in Geminos*, i. e. curam fatorum nostrorum concordium dispertivit Geminis.

50. *Saturnumque gravem* pro: vim noxiam Saturni; est enim maleficum sidus. *frangimus*, vincimus, mollimus. *Iove nostro*, Iove nobis propitio. An *frangere* et *temperare* propria Astrologorum verba fuerint, dubito; hoc certum videtur, ea h. l. adprime convenire. Sensus: Eodem fato uterque nostrum utitur, non sane ab omni parte felici, sed quo bona mista sint malis, adeo tamen, ut mala a bonis superentur. Ceterum cur a genethliacis Saturni stella malefica, Iovis salutaris habeatur (Macrob. Sat. I, 19.), ignorabant vulgo: una ratio adfertur ex Ptolemaeo Fabric. bibl. Graec. T. IV. c. 14. pag. 419. Multi iam ex veteribus huic superstitioni anili bellum indiserunt. Mansit tamen persuasio vulgaris, ut, sub quo quis signorum Zodiaci esset natus, ab illius signi natura et indole colorem animi traheret, ut a Libra aequitatem, a Geminis propensum ad intimam familiaritatem animum (in hoc autem videntur sibi veteres non semper constitisse. v. intpp. ad Petron. 39.), malignitasque unius stellae bonitate et salubritate alterius quodammodo coërceretur et temperaretur.

51. Verborum ordo: *Certe est astrum nescio quod, quod me tibi temperat*, i. e. quod facit ut in eadem voluntate et studio verser.

52—61. Pergit Noster: Studia hominum diversa sunt, alii quaestu, alii desidia, alii ludo, alii amore ducuntur, et ad extremum praeteritos dies nequidquam omnes dolent.

52. *Mille hominum species*, i. e. ingens est diversitas in hominum figuris; *et rerum discolor usus*, et res multiplici ratione utiles esse possunt.

53. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno*, i. e. sua quisque voluntate, suis studiis ducitur. Seosus huius et prioris versus hic est: Vt homines et res specie et usu vehementer inter se differunt; sic etiam voluntates hominum et studia circa eas res earumque usum. Varietatis hominum in figuris et moribus saepe mentio est.

Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini:
Hic satur inriguo mavult turgescere somno :
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris. sed quum lapidosa cheragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,

54. *Mercibus Italis.* Quibus rebus ex Italia exportatis merces externas permutarent Romani, non satis constat, v. Heyn. Opusc. T. III. p. 24. *sole recenti*, i. e. in regionibus orientem versus. Horat. l. c. forsan Alexandria est intelligenda, ubi emporium erat rerum Indicarum.

55. *Rugosum piper.* Plin. H. N. XII. sect. 14. *Hae* (piperis siliquae) *priusquam dehiscant, decerptae, tostaeque sole, faciunt quod vocatur piper longum; paullatim vero dehiscentes maturitate, ostendunt candidum piper; quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur.* — *pallentis cumini* Plin. XIX. sect. 47. in Aegypto optimum nascitur, amicissimum inter omnia condimenta, in stomachi remediis praecipuum, pallorem tamen bibentibus gignens. Nihil erat gulae Romanorum exoptatius, quam quo fastidium pellere, aut famem excitare, ventriculoque nimio ciborum usu adtrito novas vires addere possent.

56. *Hic satur* e. Pertinet ad homines, qui inter somnum et epulas omne vitae tempus transigunt; cibis enim praeter modum oppletis somnus solet obrepere. *inriguo*, i. e. qui inrigat. In primis somnus cibo et potu probe oneratis sudorem excutere solet. Ceterum de somno quasi solenne est *inrigat.* *turgescere*, saginat enim quies; inde *somnus obesus* apud Sulpic. Sat. 56.

57. *campo* sc. Martio (Horat. Od. I, 8. 4.) i. e. ludis et exercitationibus corporis, quibus in campo Martio Romani utebantur. *hunc alea decoquit.* Vt gravius sententiam exprimeret poëta, verbum petivit ex eo, quod vehemens huius rei studium subsequi solet; nam aleae nimis deditus rem familiarem absumit et ex divite fit pauper. Voluit dicere: hunc alea delectat; pro hoc dixit: hunc alea decoquit, pauperem reddit.

58. *In Venerem est putris.* Idem expressit, quod habet Claudian. X, 65. *Vivunt in Venerem frondes*, sed alia ratione. *Putris* possis hoc loco *lascivus* exponere. verum praestat sumere, Persium ut in superiori versu verbum inde petiisse, quod nimium Veneris usum sequi soleat, quo sanguis et humores inquinantur, viresque corporis debilitantur. Interpretor itaque *putris*: resolutus, corruptus. Olim pro *est putris* legi *pruit.* — *lapidosa* a lapidibus, qui in articulis concrescunt.

59. *fregerit*, debilitaverit et distorserit. *veteris ramalia fagi*, sic vocat membra hominis nimio Veneris et vini usu marcescentis, morboque articulari torti, quia fagi vetustate iam aridae rami citissime humore putrescunt et corrumpuntur.

Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuvat inpallescere chartis.
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc iuvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

60. *Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem.* *crassos dies*, i.e. dies in aëre crasso transactos. Cic. pro Sext. c. 9.: *Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicae tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum et stuprorum.* Si haec ad balnea spectant, ut Casaubonus putat, nihil aliud possunt significare, nisi vitam omni voluptatum genere transactam. Verum poëta tunc in partium delectu peccasset; quid enim hominibus, qui balneis frequenter utuntur, cum chiragra? Dies in ganeis et lupanaribus consumptos intelligas. Aut si balnea intelligenda sunt, ea spectavit Noster, quae in balneis fierent, quum viri et feminae promiscue lavarentur. Martial. III, 51. VII, 34. XI, 48. quem morem Romanos a Graecis adcepisse testatur Plutarch. Cat. mai. c. 22. ed. Hutt.

61. *seri*, Graece pro sero. *ingemuere* pro: intellexere, sensere cum gemitu. Corpus scilicet morbis debilitatum et fractum tandem eos admonet, voluptatum decursum iam esse factum, finemque vitae instare.

62—72. His miseris et perditis hominibus obponitur iam Cornuti vivendi ratio. Hunc dicit Noster literis et iuvenum institutioni vacare. Monet deinde homines, ut ab eo petant vivendi rationem, neque id differant, numquam enim eum incipere, qui semper rem procrastinet.

62. *inpallescere* studii acerrimi et adsidui vim involvit, quae augetur adiecto *nocturnis*; tempora vel somno subrepta studiis inpendit Cornutus.

63. *Cultor iuvenum*, qui operam locas in erudiendis iuvenibus. *purgatas* translatum ab agro colendo, qui primo purgatur ab herbis sterilibus et noxiis, deinde inseritur. Opiniones pravae et vitia praecludunt quasi aures ad virtutis praecepta; illis eradicandis aures quasi purgantur et virtutum praeceptis patent.

64. *Fruge Cleanthea.* Claudian. XVII, 87 seq. i. e. praeceptis et Stoicorum ratione petitis. *Cleanthes* Zenonis discipulus praeceptorque Chrysippi. A Cicerone Acad. Quaest. IV, 41. vocatur *maiorum gentium Stoicus.*

65. *Finem animo certum.* Aristot. Eudem. II. δεῖ ἅπαντα τὸν δυνάμενον ζῆν κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν θέσθαι τινὰ σκοπὸν τοῦ καλῶς ζῆν, πρὸς ὃν ἀποβλέπων ποιήσεται πάσας τὰς πράξεις, ὡς τό γε μὴ συντετάχθαι τὸν βίον πρός τι τέλος ἀφροσύνης πολλῆς σημεῖον ἐστι. Senec. Epist. 71. *Vita sine scopo vaga — scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, et tunc dirigere et moderari telum; errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur.* Ad eumdem finem omnes actiones hominis revocandae sunt, eoque continetur, quod Epictetus vocat τὴν ἐπιστήμην τοῦ βιοῦν. *animo* casus tertius, *petite*

«Cras hoc fiet.» Idem cras fiet. «Quid, quasi magnum?
Nempe diem donas.» Sed quum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus. ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paullum erit ultra.
Nam, quamvis prope te, quamvis temone sub uno

animo. viatica. Vt in itinere viatico, sic in vita praeceptis opus est. *canis* sc. capillis i. e. senectuti. *miseris.* Multa incommoda ex corporis inbecillitate senectutem comitantur, morsque ipsa in conspectu semper est; contra haec omnia senectuti praesidia sunt comparanda, ut mala quaecumque fortiter ferant decrepiti, mortemque neque adcelerent neque reformident. Ista praesidia bene *viatica*, ἐφόδια, adpellantur, quippe quae sustenteut hominem in vitae peregrinatione. Bene Horatius Epist. I, 4. 24 seqq. de philosophiae utilitate ad vitam communem loquitur.

66. In sermone vulgari sic pergendum fuisset: Sentiunt quidem homines, sine sapientiae studio beatam vitam nullam esse, ideoque ei esse vacandum; sed praesentium voluptatum inlecebris inretiti consilium suum in aliud tempus semper differunt; quumque haec temporis, quamvis brevissimi, dilatio semper et sine fine amplietur, fit, ut mors prius vitae, quam recta ratio huic in diversum fluctuanti consilio, finem inponat. Noster statim huiusmodi dilatorem inducit, dicentem: *Cras hoc fiet*, *hoc* sc. ut philosophiae operam dem. Noster respondet: *Idem cras fiet. Idem* sc. quod hodie fit, ut tu dicas iterum: *cras fiet*. Ignavus quasi mirabundus ad haec: *Quid*, inquit, sc. dubitas; *quasi magnum* sc. illud sit negotium diei unius concessio: ita

67. *Nempe diem donas*, usum unius diei concedis. Potest autem *Nempe* h. l. significare *scilicet* hoc sensu: tu diem donas (ita dubitanter) quasi magnum scilicet. *Sed quum lux altera venit*. *Sed* spectat id, quod, omissum quidem, per se tamen intelligitur: Concessio unius diei non magna quidem per se est, sed etc.

68. *Iam cras hesternum consumpsimus*. Romani ab ortu solis dies numerabant; orto igitur sole praecedens dies erat finitus.

69. *ecce aliud cras Egerit hos annos. egerit* pro consumserit, Valer. Flacc. VIII, 453 seq. Ecce aliud cras, in quod tu semper studium philosophiae differs, consumserit *hos annos*, in quibus procrastinatorem egisti; seu brevius: procrastinando praesens tempus semper perdis. *et semper paullum erit ultra* sc. illud cras. Procrastinando numquam adtinges illud cras, quamquam parvo spatio a te semper remotum. Casaubonus illud ita interpretatus est: Paullatim semper tibi erit aetas grandior, et propius ad metam adcedes. Verum meam rationem veram esse, probat sequens similitudo, qua Noster illa verba paullulum obscuriora explicat et inlustrat.

70. 71. 72. Verborum ordo: *Nam frustra sectabere canthum, quamvis vertentem sese prope te, quamvis temone sub uno. canthum* verbum Hispanicum. Quintil. Inst. I, 3. ibi Burm. hoc loco pro rota, ut ἄντυξ

Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras et in axe secundo.
Libertate opus est, non hac, quam ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far

(Homer. Il. ε, 728.) proprie lamina ferrea, quae rotam ambit. *temone sub uno*, sub eodem curru: quo illud *prope te* non solum explicatur, verum etiam vis eius augetur. *Quum* (tu quasi) *rota posterior curras*. Apta est imago et sensus apertus: Vt rota posterior numquam anteriorem, quamquam sub eodem curru, minimaque distantia se vertentem, adsequetur; sic illud temporis momentum, quod, quamvis exiguis spatiis, semper tamen differs, numquam tibi continget, quo te ad rectiora studia et bonam mentem sis conlaturus. *et in axe secundo*, et in curru, celeriter moto. Aliter eamdem rem expressit Horat. Epist. I, 2. 41 seq. et temporis fugacitatem egregie descripsit Ovid. Met. XV, 179 seq.

73—90. Iam reliquum erat, ut doceret poëta, cur haec dilatio sapientiae studii apud istos ignavos sempiterna sit et esse debeat; quod ut faceret, paucissimis verbis potuisset defungi, adiectis his: sunt enim non sui iuris, sed voluptatum et cupiditatum mancipia, quarum imperium in dies magis magisque confirmatur. Horat. Od. II, 2. 9 seq. Enimvero id erat illud ipsum argumentum, quod fusius tractandum in hac satira sibi proposuerat, ad quod sibi per ea, quae in antecedd. dicta sunt, viam quasi munivit, quum prius, ut in epistola, cuius formam satirae huic induit, mos et consuetudo fert, caritati suae et gratissimo in Cornutum praeceptorem animo paullo prolixius satis fecisset, docuissetque brevibus, quantum ad beatam hominum vitam referret, libertate uti, cuius vera indoles et Stoicorum mente in seqq. describitur. Non eum esse liberum, Noster disputat, qui libertate civili utatur. Primum ridet vulgarem opinionem, qua servus nequam liber existimetur et honestus, quando manumissus sit; deinde negat, illud *vivere ut velis* recte a vulgo intelligi; tandem de hac re quasi scholam se explicaturum profitetur. Ceterum notum est inter Stoicorum disciplinae effata: ὅτι πᾶς ἄφρων δοῦλος, καὶ ὅτι μόνος σοφὸς ἐλεύθερος. cf. Cic. parad. 5. Cui quasi fundamento reliqua, quae dicuntur, superstructa sunt.

73. *non hac, quam ut quisque* pro: non hac, qua, ut quisque eam. *Velina* una erat e tribubus rusticis.

74. *Publius Velina*, Publius e tribu Velina. *quisque Publius*, pro: unusquisque civis Romanus factus. Plena libertate donati et civitatem et nomen manumissoris adcipiebant et in aliquam tribum referebantur. *emeruit*. Adludit fortasse Noster ad nefanda illa ministeria, quibus a dominis manumissionem inpetrare servi studebant: nam simpl. pro: nactus est, illud positum esse ut credam, a me inpetrare non possum. Libertatem vero plenam nanciscebantur ex lege Norbana ab a V. c. 771. ii solum, qui vel per vindictam, vel per censum, vel per testamentum libertate donati erant. Ii soli quoque omnium commodorum, quibus cives

Possidet. heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papae! Marco spondente recusas

Romani fruebantur, participes erant. Et quae erant ista commoda? non digna sane Romano nomine. Quotannis et saepe singulis mensibus frumentum civibus tenuioribus ab Imperatorum liberalitate viritim distribuebatur, ut plebis animum, cuius vota pane et circensibus absolvebantur, a novarum rerum studio avocarent, sibique devincirent. Parva quidem res erat, si id, quod singuli adciperent, spectas, si summam, haud contemnenda. Sueton. Caes. 41. *tesserula*, per tesserulam seu tesseram, quam adcepit. *Tessera* signum, quod dabatur iis, quibus frumentum erat promissum, et quo prolato frumenti, quantum in tessera erat scriptum, copia fiebat; largitiones enim semper fere ad certum civium numerum pertinebant. Nomina civium, ut sciretur quibus tesserae essent datae, tabulis ceratis inscribebantur, aut aeneis incidebantur. Senec. de Benef. IV, 28. *scabiosum* munusculi vilitatem indicat; frumentum scil., ut in granariis publicis saepe adcidit, a gurgulionibus exesum seu omnino situ corruptum.

75. *Heu steriles veri*, ita bene illi vocantur, quorum cogitationes a rei veritate semper abhorrent, et qui parum verae libertatis vim et naturam noverunt.

76. *Vertigo*. Manumittendus a domino dextra coram praetore prehensus circumagebatur his verbis: *Hunc hominem liberum esse volo.* Quo facto praetor, lictore iussu eius vindictam capiti servi inponente: *Aio te*, dicebat, *liberum more Quiritium.* Senec. Epist. 8. *Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se illi subiecit et tradidit, statimque circumagitur. Hoc enim ipsum philosophiae servire libertas est.* cf. Plin. Epist. VII, 16. 4. *Hic Dama est* cet. Ridet populi opinionem, quandoquidem ad illam libertatem civilem vel abiectissimo cuique via pateat. *tressis* nullius pretii; verbum a *tribus assibus* contractum; spectat ad mores pessimos, ut *agaso* ad conditionem vilissimam.

77. *lippus.* Ergo etiam corporis vitiis turpis. *in tenui farragine*, in rebus minutissimis eius administrationi commissis.

78. *Verterit hunc dominus*, pro: si dominus hunc iusserit liberum esse, seu si eum manumiserit. v. ad v. 75. *momento turbinis*, simulac a domino circumactus est. *exit* saepe de rebus in alias formas mutatis, ut in re figlina de vasis, usurpatur. Horat. art. 21.

79. *Marcus Dama.* Nomen et pronomen mutuabantur libertini a patronis; agnomen erat servile prius. Sensus: Statim fit liber et civis Romanus. *papae!* admirantis est cum risu mordaci. *Marco spondente recusas* etc. Neque manumissi haec neque parasiti alicuius, recenter manumissum adulantis, verba videntur esse, sed ipsius poëtae ridentis, quibus

Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est. adsigna, Marce, tabellas.
Haec mera libertas: hoc nobis pilea donant.
« An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere: non sim
Liberior Bruto? » Mendose conligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum adcipio: *licet* illud et *ut volo* tolle.

hoc significare vult, neminem sanum servo nequam, simulac libertatem nactus sit, in iis actionibus, quarum ius et potestas illi quidem cum libertate et civitate donata sit facta, quaeque fide bona contineantur, protinus confidere, adeoque nomen servi illum quidem, sed nequaquam naturam exuisse.

80. *Marco sub iudice palles?* Ergo etiam libertinis aditus ad iudicum ordinem ea tempestate patebat. *palles?* quidni palleret seu timeret! quae enim religio quae fides eiusmodi hominis? Ceterum *pallere sub iudice* nihil aliud interdum significat, quam causam dicere.

81. *Marcus dixit* sc. testimonium; *ita est*, quis audeat dubitare: nam quandoquidem Marcus rem testatur, ita se quoque res habet: *adsigna Marce tabellas.* Quum in rebus contrahendis vel testamentis condendis Marcus testis adhibitus est, quis tandem nomini et sigillo eius inpresso fidem non habeat scilicet. Possis etiam sic versum interpretari. Interrogat quidam alterum: *Marcus dixit?* Respondet ille: *Ita est!* Statim is, qui interrogaverat, ad Marcum se convertit: *Adsigna Marce tabellas!* subscribe igitur, ut res per nomen tuum maiorem auctoritatem adquirat. Potest enim totum pertinere ad testimonia per tabulas edita.

82. *Haec mera libertas.* Horat. Epist. I, 18. 8. Pergit in ironia. Harum rerum ius et potestatem libertas facit; quis igitur Marco non confidat? *pileus* seu *pileum* libertatis indicium. Pileum manumissi in templo Feroniae capite raso induebant.

83. Inducit Noster aliquem finitione pugnantem, ut errori, qui ab illa male intellecta proficisci possit, obcurrat. Liber est is, cui licet vivere ut vult; iam vero mihi licet vivere ut volo; ergo sum liber. Stoici dicebant: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστὶν, οὔτε κωλύειν, οὔτε βιάσασθαι. Iisdem igitur verbis utebantur illi quidem, verum alia potestate et vi subiecta.

85. *Liberior Bruto.* Vel M. Iunium Brutum, primum consulem, libertatisque Romanae, ut vulgo perhibent, restauratorem et vindicem, vel Caesaris interfectorem intelligas. *Mendose conligis* sc. ex verbis perperam intellectis.

86. *aurem mordaci lotus aceto.* De eo proprie dici potest, qui acute audit; h. l. translatum est ad iudicii subtilitatem. Ceterum ad auditus gravis curationem acetum in primis adhibitum esse docet Celsus VI, 7.

87. *Hoc reliquum adcipio* spectat ad finitionem libertatis, quae Nostro

«Vindicta postquam meus a praetore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?»
Disce! sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat, stultis dare tenuia rerum

probatur; *adcipio*, probo. Negat autem, ei licere vivere ut velit.

88. Miratur ille cum indignatione dicentem, sibi non licere vivere, ut velit, quum tamen manumissus sit. *Vindicta virga est, qua manumittendi a praetore in capite pulsantur.* sic vetus interpr. ad h. l. *vindicta* saepe pro vindicatione in libertatem ipsa ponitur. *meus*, mei iuris, liber.

90. *Masurius* Sabinus erat nobilis iurisconsultus sub Tiberio, et reliquit inter alia libros tres de iure civili. *rubrica*, capita et tituli librorum iuris et legum rubrica notati. *Masuri rubrica* igitur pro leges civiles.

91—112. Iam scholam Noster de libertate explicat. Negat praetoris esse, stulto vivendi rationem permittere, quum sensus ipse communis doceat, ab eo esse abstinendum, quod tractare nescias; ut medicinam facere non debeat medendi, nec navem regere gubernandi artis ignarus. Tum ad ea venit, quae in vere libero ideoque sapienti desiderari debeot, ad rectam vitae rationem, veri cognitionem, expetendorum fugiendorumve scientiam, animi tranquillitatem et constantiam, humanitatem, rerum denique externarum contemptionem. Haec non, ut in scholis, certo aliquo ordine exposita sunt, sed ut species et partes primariae, quae sapientiam, sine qua libertas nulla est, absolvunt, leviter adumbratae.

91. *sed ira cadat naso rugosaque sanna.* Inflatus nasus iram, in rugas contractus sannam seu contemptum indicat. Erroribus, quos a pueris inbiberunt, solent favere homines adeo, ut aegre sibi eos eripi patiantur monitoribusque irascantur; iisdem etiam erroribus adeo plerumque confidunt, ut eos rideant, qui rectiora docere profitentur; bene igitur Noster hoc loco iram cum sanna coniunxit.

92. *aviae veteres*, h. l. opiniones temere a vulgo adceptae, quae, ut plerumque fit, pro dictatis habentur sensus communis. Quod scilicet ab aviis nutricibus aniculisque teneris animis inculcatum est, maoere solet fixum, raroque a philosophiae ratione adultis *evelli* potest. *pulmo* interdum pro intestinis in universum ponitur. Ovid. Met. IX, 201 seqq. Hoc verbo usus est Noster, quia iste ineptus libertatis adceptae persuasione superbire et inflatus esse videbatur, omnisque adrogantia pulmones inflat, atque in pulmonibus sedem quasi habet. Sensus: dum opiniones falsas, quae in pectore altas radices egerunt, tibi evello.

93. Quum liber esse ex Stoicorum mente nemo nisi sapiens possit, sapientia vero nemini a praetore tribuatur: sequitur, neminem a praetore in libertatem vindicari posse. Haec est illa argumentatio, quam in seqq. poëta persequitur. *tenuia rerum offi-*

Officia, atque usum rapidae permittere vitae.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem:
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.

cia, i. e. officia tenuium rerum; rationem agendi praeceptaque vitae in rebus minutis, quae nullis legibus caveri possunt, quae tamen a bono et sapiente nullo modo negligi debent. Cic. paradox. 3. ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα. *Id* (quod non licet) *si nec maius nec minus umquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit, quod semper unum et idem est; quae ex eo peccata nascuntur, aequalia sint oportet.* Qui enim vel in minimis rebus peccat, rationem non sequitur, naturae igitur non convenienter vivit, ergo nec sapiens est nec liber. *stultis*, manumissis et ad sapientiam rudibus. *usum permittere vitae*, permittere ut vivas uti velis.

95. *Sambuca* erat instrumentum musicum. Sensus: citius feceris, ut sambuca apta sit caloni; ut sambucam tractare sciat. Ceterum comparatio vitae cum instrumento musico bene instituta est; in vita enim actionum, in instrumento musico sonorum concentus requiritur. *caloni alto*, homini omnium rerum ignaro et stupido, cui proceritas corporis non ornamento est, sed dedecori. v. infra 190. Calones servorum genus erant, quorum usus erat in gestationibus. Senec. Epist. 110. *Cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.*

96. *Stat contra ratio.* Non est *ratio* h. l. philosophia Stoica, sed sensus communis, cui illud prius, ut commonstrat Noster, repugnat. *gannit*, sumptum a canibus, qui *ganniunt*, ringuntur, quando iis aliquid displicet. Catull. LXXXIII, 4. Eugraphius ad Terent. IV, 2. 17. illud per *obmurmurat*, interpretatur. *secretam in aurem.* nam sensus communis cum eo tantum loquitur, cui inest; hoc loco igitur tamquam amicus cogitatur auribus insusurrans: inde *secretam* est explicandum.

97. *quod quis vitiabit agendo* simpl. pro: quod quis facere nescit. Commentarii loco potest esse Plato in Lysid. p. 225. T. V. ed. Bip. ut totus dialogus amplam hac de re meditandi materiam adtente legentibus subpeditabit.

98. *Publica lex hominum naturaque* nihil aliud potest esse nisi lex, quam natura omnium hominum animis insculpsit. *continet hoc fas*, simpl. pro praecipit.

99. *inscitia debilis.* Inscitia reddit homines quasi debiles seu ineptos ad rem aliquam tractandam. *teneat vetitos actus*, abstineat a vetitis, ab iis, quae tractare nescit; sic Horat. in arte *risum teneatis.* Etiam apud prosaicos saepe obcurrit *tenere* pro: abstinere et continere. His duobus versibus idem plane, dictione tantum variata, expressum est. Vereor, ne v. 97. et 98. sint insititii.

Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. tibi recto vivere talo

100. Rem inlustrat Noster exemplis a medico et gubernatore petitis. cf. Horat. Epist. II, 1. 114 seqq. Helleborum, ut plurima venena, certo aliquo temperamento adhibito, contra morbos quosdam valere potest; quo neglecto nocet; intelligentis igitur est medici eo recte uti. De usu hellebori vario v. Intpp. Petron. 88. Gell. XVII, 15. Valer. Max. VIII, 6. *diluis*, misces. *certo compescere puncto.* Vetus interpres: *non ad trutinam*, inquit, *sed ad stateram retulit, quae punctis et uncis signatur.* Hanc adcuratius rerum pondera indicasse quam trutinam, docent verba Cic. de Orat. II, 38. *quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur*; ideoque usus eius in rebus adcurate et subtiliter ponderandis frequens. Ceterum *certo puncto compescitur examen* seu lingula additione seu detractione eius rei, cuius iustum pondus datum est; pondere enim certo iusto staterae puncto adpenso, lingula indicat, utrum res iustum pondus habeat necne, utrum rei aliquid addendum an detrahendum sit, ut dato ponderi exaequetur. Sensus: Medicinam facis medicamentorum usus et naturae ignarus?

101. *natura medendi. natura* h. l. neque *ars* neque *scientia* est, ut fere omnibus placet, sed vis et potestas. Noster dicere vult, illud repugnare potestati medendi.

102. *poscat* cum delectu: fiduciam enim involvit. *peronatus*, peronibus indutus. *pero* rusticum calceamenti genus ut dicit Servius ad Virg. Aen. VII, 690.

103. *Luciferi rudis*, imperitus earum dierum, quibus navigatio sit instituenda; sic locum intelligi iubet Heins. ad Ovid Fast. III, 772. cuius ratio probari videtur Nemes. eclog. II, 29. *Lucifer* enim saepe pro die ponitur. Verum longe simplicior ratio est, ut rusticum intelligas, qui vel luciferum notissimam stellam non novit; nedum alias stellas, a quarum ortu et occasu, ut veteres sibi persuadebant, tempestates pendent. *Melicerta* Athamantis filius. Fabulam eius narrat Ovidius Met. IV, 314 seqq. Unus erat e diis marinis, cui nautas e tempestate servatos vota solvisse constat.

104. *perisse Frontem de rebus. Frontem* esse pudoris sedem, notum est ex Iuvenal. XIV, 214 seq. Martial. XI, 28. 7; h. l. *frontem* pudorem ipsum seu verecundiam significare, iam vetus interpres monuit. Sensus: Tunc Melicerta exclamet, omnem verecundiam e rebus humanis esse sublatam. Quid enim tali gubernatore inverecundius, Melicertae vota faciente, ut se in navigatione servet. qui artis ignorantia, vel Diis invitis, pereat necesse sit. *tibi recto vivere talo* ect. Ut intelligat stultus iste, se liberum non esse, identidem Noster eum de rebus interrogat, quibus vis et natura liber-

Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent, et quae vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes?
Inque luto fixum possis transscendere numum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?

tatis continetur. *recto talo* positum est pro rectis pedibus (Iuvenal. VII, 16.), qui obponuntur obtortis. ὀρθῷ βῆναι ποδὶ, Eurip. Helen. 1465. Illud h. l. ad animum translatum est, et *recto vivere talo* est, vitam agere ratione temperatam.

105. *Ars dedit?* philosophia te docuit? *veri speciem* i. e. falsam imaginem veri.

106. *Ne qua subaerato mendosum tinniat auro. aurum subaeratum* est aes auro obductum; *mendosum*, pro mendose. Dicere voluit Noster: ne qua falsa species te decipiat. Pro te decipiat, posuit: *mendosum tinniat*, ea nempe species, quam veram tu duxisti, *subaerato auro*, quum aes sit auro obductum. Petron. 56: *qui per argentum aes videt*. Sumptum hoc ab illo hominum genere, quorum erat probare numos, quique spectatores numorum vel docimastae vocabantur, ne homines versuram facientes aut aliquid cum altero contrahentes, rudes ad rem numariam, fraude circumvenirentur.

107. 108. Ordo verborum: *Num ea, quae sequenda forent et quae vitanda vicissim, notasti, illa prius creta, haec mox carbone?* Hominum mores turpes et vitia in foribus carbone ab inimicis notari et sic evulgari solebant; inde *carbone notare* significat *vituperare*. Huc pertinere quoque videtur Martial. XII, 62. Ceterum sensus est perspicuus: Num tu et virtutes et vitia notasti et quidem eo consilio, ut illa vitares, has sequereris?

109. *Es modicus voti.* Num votis tuis modum ponis? *presso lare. Premere* saepe pro: coërcere, finibus arctioribus continere, poni notum est; inde *pressus lar* obponitur dissoluto, luxurioso, et *presso lare esse* significat, frugaliter vivere.

110. *Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes. nunc* pertinet ad iustum tempus. Sensus: Num tu, ut tempora postulant, modo magis modo minus aperis granaria; seu, etiam in libeealitate, quae nimia aut intempestiva te et alios, quibus fueris gratificatus, perdet, modum possis servare?

111. *Inque luto fixum* cet. sensus: neque avaritiae sordibus inquinatus sis. Sordide avarum describit Petron. 43. *Ab asse crevit, et paratus fuit, quadrantem de stercore mordicus tollere.* Obpositos illis mores Horatius depingit Od. II, 2. 23 seq. *transscendere*, numum scilicet negligens.

112. *Nec glutto sorbere salivam Mercurialem. Saliva* proprie movetur cibis exquisitioribus ante oculos eius positis, qui iis frui gestit, inde

Haec mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
Sin tu, quum fueris nostrae paullo ante farinae,
Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;

salivam movere alicui significat: aliquem cupidum reddere, et *saliva* pro cupiditate ponitur. *Mercurialis* igitur *saliva*, quum Mercurius sit lucri Deus, est lucri cupiditas, *sorbere salivam Mercurialem* exprimit itaque, lucri cupiditate flagrare. *glutto* est ficta vox, quae editur, quum saliva, cupiditate cibi lautioris mota, per stomachum transmittitur, quaeque copiam salivae atque cupiditatis vehementiam declarat.

113—131. Pergit Noster ita: Si illa, quorum modo mentionem feci, in te sunt, liber es; sin animus non est mutatus, servus. Etenim vel minimae actiones sapientiae praeceptis sunt regendae, quorum stulti sunt ignari: quo fit, ut vel in minimis semper peccent. Tune liber, qui cupiditatibus, internis dominis, servias? non hercle magis liber, quam ille, qui servitutem servit gravissimam.

113. *Haec mea sunt, teneo.* Has virtutes, quas modo enumerasti, mihi possum vindicare.

114. *praetoribus ac Iove dextro*, propitio, qui te in libertatem naturalem vindicavit. Nullis hominum imperiis sapiens coërcetur, neque usquam quidquam est in rerum natura, quod sapienti et vere libero iugum possit imponere. Senec. Epist. 51. *Quae sit libertas, quaeris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus; fortunam in aequum deducere.* et Epist. 75. *non homines timere, non deos; nec turpia velle nec nimia; in se ipsum habere maximam potestatem.* Hoc est, quod Noster exprimere voluit; tunc omnes praetores et Iupiter ipse in libertatem te vindicaverunt. Operae pretium est contulisse Claud. VIII, 257 seqq.

115. *nostrae farinae*, a panibus sumptum hoc ad notandam similitudinem et in proverbium abiit. Suet. Aug. 4. *nostrae.* Tantum enim nec Persius nec alius quisquam e Stoicorum schola sibi sumere ausus est, quantum iste homo vanus, ut gloriaretur, se vivere, ut vellet, id est, se liberum et sapientem esse; huius enim dignitatis fastigium in tam edito arduoque loco a Stoicis erat positum, ut fragilis et caduca mortalitas an ad id eniti posset, merito vel ab ipsis huius scholae alumnis dubitaretur.

116. *Pelliculam veterem retines.* Vel ductum hoc a serpentibus, qui, positis exuviis, nova quasi iuventute fruuntur, ideoque in melius mutantur; vel spectare potest ad fabulam de vulpe leonina pelle induta: ut sensus sit, vel mihi in melius mutatus es, vel adhuc simulatorem agis. posterius cum sequentibus melius videtur consentire. *fronte politus* exteriore corporis parte comptus, i. e. probum similas externo corporis habitu. sic *domus polita* Phaed. IV, 4. 26.

117. *Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* Vulpis esse is dicitur, qui simulandi artem callet, inde-

Quae dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas.
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti. 121
Haec miscere nefas: nec, quum sis caetera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.

que inperitos fallit. Hinc ratio petenda esse videtur, cur fallaces a Rhadamantho vulpibus addantur. Sic ἀλωπηκίζειν Aristoph. Vesp. 1233. Pac. 1090. *Astutam vulpem sub pectore servare* est igitur calliditatem et malitiam retinere. *vapidus* epith. vini, cuius vis evanuit; apud Nostrum idem significat, quod conruptus, malus.

118. *Quae dederam supra, repeto, funemque reduco.* Adluditur fortasse h. l. ad quoddam lusionis genus per adtractionem funiculorum et intentionem, ἀνάτασιν σπαρτίων. Pollux. IX, 8. cf. Antichità di Ercolano T. I. tab. 171. ubi tres pueri alati hoc lusionis genere uti videntur, cuius ratio tamen nobis plane ignota est. In fragmentis Petronianis legitur: *Non duco contentionis funem.* p. 673. ed. Burm. Heinsius ad Ovid. Fast. III, 462. legit: *reduco*: quam lectionem a Pithoeo ex optimis membranis restitutam esse, ait, modumque hunc loquendi ab Ariadnes filo natum esse disputat, quum *reducere* idem sit, quod *relegere.* Aliter locum exponit Erasmus in adagiis. Male huc nonnulli traxerunt Horat. Sat. II, 7. 20. et Epist. I, 10. 48. Sensus: Te liberum modo dixi esse, nunc nego.

119. *Nil tibi concessit ratio.* Nihil permisit ratio arbitrio tuo, sed vel minimae humanarum actionum ad sapientiae praecepta revocandae sunt, quibus quum sis destitutus, etiam in minimis semper pecces necesse est. *digitum exsere, peccas.* Totidem fere verbis Epictetus: ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ προσήκει. Cic. Parad. 3. *Auri navem evertat gubernator an paleae, in re aliquantulum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Labsa est libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine; peccavit vero nihilominus, siquidem est peccare tamquam transsilire lineas; quam longe progrediare, quum semel transsilieris, ad augendam culpam nihil adtinet.* conf. Senec. Epist. 66. Rationem peripateticam contra hanc verborum magnificentiam defendit Cicero de Fin. III, 27. idem eamdem ridet in or. p. L. Murena. cap. 30.

120. *Et quid* spectat ad *digitum exercere. Sed nullo thure litabis*, i. e. nullis sacrificiis a diis inpetrabis, nulla ratione efficies, fieri omnino non potest, ut *haereat*, sit, *semuncia brevis recti*, exigua pars recti. Ex Stoicorum placito hoc, quo nullum discrimen inter stultos admittitur, et quo omnia *recte facta*, κατορθώματα, in sapientem solum cadunt.

122. *Haec*, stultitiam scilicet cum recte factis. *fossor* omnino pro homine rudi et stupido positus est, in primis pro eo, qui membrorum agilitate et actionis decore destitutus est.

123. *Tres tantum ad numeros.* nu-

«Liber ego.» Vnde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.
Si increpuit: cessas, nugator! servitium acre
Te nihil inpellit: nec quidquam extrinsecus intrat,

merus id quod apud nostrates *tact.* Ovid. Amor. II. 4. 29. *numerosa brachia* vocat, quae numerose movebantur. H. l. de saltatione pantomimica sermo est, de qua procul dubio Plutarch. in Symp. IX, 15. loquitur, quum saltationem cum poësi comparans ait, tres esse saltationis partes, *τὴν φορὰν, τὸ σχῆμα, τὴν δεῖξιν*, *latione* motus animi et adfectus exprimi, *schemate* formas et species imitatione declarari, *ostentatione* res, terram, coelum, cet. ostendi. Ii exquisiti corporis motus cum ad aliquam rem pingendam, tum ad oculorum oblectationem comparati, quorum apta compositione saltationis species continebatur, *numeri* h. l. vocari videntur, quia *εὐρύθμως* fiebant. *Bathylli*, nobilis pantomimi sub Augusto. is cum Pylade pantomimicae saltationis inventor habetur. Hoc saltandi genus descripsit Cassiodorus IV. *His sunt additae orchestrarum loquacissimae manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita.* Quantum possent pantomimi in rebus motu membrorum apto esprimendis, notum est ex Lucian. de saltat. cap. 63. 64. *satyri*. Minime hoc mutandum in *satyrum*; Bathyllus vocatur satyrus, propter esquisitam saltandi artem, qua inclaruit: aut quia arguments, quae plerumque saltabat, lascivi erant generis. *moveare*. *Movere* sc. membra, pro *saltare*. sic *motus Ionicos* pro saltationem Ionicam Horat. Od. III, 6. 21. et *satyrum seu Cyclopa movere* pro: saltare satyrum seu Cyclopa. *Nec tres tantum ad numeros moveare Bathylli* est itaque: nec poteris te movere ad tres tantum numeros, nec poteris imitatione exprimere tres tantum numeros Bathylli, ne in tribus quidem corporis motibus Bathyllus eris.

124. *Liber ego.* Non ineptus iste loquitur, sed Noster cum indignatione repetit verba istius inepti. *Vnde datum hoc sumis?* quis tibi hoc dedit, concessit? *Vnde datum sentis* habet Horat. Sat. II, 2. 31. ubi vide Bentl. *tot subdite rebus*, quum tot res imperium in te exerceant.

125. *nisi quem vindicta relaxat* pro: a quo te manumissio relasat, liberat.

126. Nullus quidem dominus externus imperium in te exercet; hoc expressum per aliquam mandati servo ab hero dati speciem. *Strigilis* instrumentum balneare et unctorium v. Intpp. Petron. 91. inpr. commentar. Gonsalii de Salas. conf. quae Ruperti laudat ad Iuvenal. III, 263. Ceterum strigiles, saponem, lintea secum in balnea adtulisse luturos, discimus ex Lucian. Lesiph. T. II. p. 320. edit. Reiz. *Crispini*. Furtasse ille famosus erat Crispinus e servo magister equitum factus sub Nerone. Iuvenal. I, 26 seq. et IV. princ.

127. *cessas nugator?* familiaris locutio eorum, qui servos properare volebant.

128. *servitium acre Te nihil inpellit.*

Quod nervos agitet. sed si intus et in iecore aegro
Nascantur domini; quî tu inpunitior exis,
Atquehic,quem ad strigiles scutica et metus egitherilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit Avaritia: eia
Surge. negas. instat, Surge, inquit. «Non queo.» Surge.
«Et quid agam?» Rogitas? saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper e sitiente camelo.

Sensus: Tale quidem imperium nemo in te exercet. *nec quidem extrinsecus intrat*, necessitas aliqua extrinsecus oblata nulla te inpellit; nulla vox domini instantis virgamque tenentis Iuv. XIV, 63.

129. *Quod nervos agitet.* Bene Casaubonus observavit, servum h. l. eleganter comparari cum sigillaribus sive neurospastis, quae per se ἀκίνητα verticillis quibusdam ac nervis moveantur. Verbo νευροσπαστηθῆναι Antoninus saepe utitur ut II. § 3. et VII. § 3. obcurrunt σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα, ad quae loca Gatakerus multa de illis sigillaribus disputat. Apulei. de mundo: *Qui in ligneolis hominum figuris gestus movet, quando filum membri, quod agitari solet, traxerit, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium praesto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere. in iecore aegro* ut sede omnium cupiditatum, quia ibi est quasi sanguinis officina ex veterum opinione.

130. *impunitior* h. l. minus poenae obnoxius i. e. minus servus.

132—153. Vberius Noster sententiam explicat, eum non minorem servitutem servire, qui cupiditatibus deditus sit, quam qui domini alicuius nutum observare debeat, eoque miseriorem, quandoquidem, quum innumerae sint et inter se contrariae, cui obtemperet, nesciat, variisque itaque et inter se diversis imperiis agitetur. Inducitur avaritia aliquem incitans, ut quavis ratione rem familiarem augeat 132—142. Contra pugnat luxuria, eumdemque laborum et incommodorum, quae sustenturus sit, mentionem faciendo a proposito deterret, et, ut vitae bonis fruatur in otio, suadet. 142—153. Expositio haec dramatica, qua usus est Noster, commotionum et cupiditatum inter se discordantium animumque in diversa agentium tumultus egregie pingit.

132—133. Avaritia primum desidiam expugnare tentat, et contra luctantem aegre vincit.

134. *Saperda* Pontici piscis genus, quod in Maeotide optime capiebatur.

135. *lubrica Coa*, vina Graeca. *lubrica* Casaubonus ad vasa refert in Horatii imitatione Persiana. Sed potest explicari, *mollia*, quae alvum purgandi vim habent.

136. *Tolle recens piper.* Piper ceteraque aromata Alexandriam camelis advehebantur, et inde navibus Romam. Avaritia igitur excitat hominem, ut Alexandriam properet et praesto sit ad camelorum adventum, ut primus de mercibus cum mercatoribus ibi contrahere possit. *sitiente* spectat ad iter per vastos arenarum campos

Verte aliquid, iura. « Sed Iupiter audiet. » Eheu !
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.
Iam pueris pellem subcinctus et oenophorum aptas:
Ocius ad navem. nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis

emetiendum, antequam Alexandriam perveniretur. *sitiens camelus*, qui sitim diu toleravit, longum iter per deserta arenosa fecit.

137. *Verte aliquid*. commuta merces; adiecta doli mali notione intelligendum hoc videtur, sequitur enim *iura*, atque id esse pro *peiera* positum, intelligitur ex sequente: *Sed Iupiter audiet.* iam religionis metus avaritiae bellum indicit non sane frequens illis temporibus. Iuvenal. XIII, 75 seqq.

138. *Baro*. stultum et inertem hoc verbum designat. *regustatum digito terebrare salinum*, saepius digito delibare portiunculam salis, ut digiti vestigia sali impressa maneant. *regustatum* servit notioni τοῦ *saepe*.

139. *Contentus perages*, eris semper contentus minima salis portione i. e. ultima paupertate, cui sal pulmentarii loco est. *cum Iove*, ita, ut propitius tibi Iupiter esse possit. *tendis*, tibi proponis.

140. *pellem*, manticam, aut eiusmodi aliquid, quo res ad iter faciendum necessariae erant involutae. Casaubonus *segestre* intelligit, de quo ipse ad Suet. Aug. 83. *subcinctus*, ipse expeditus ad iter faciendum, *oenophorum* vas, in quo vinum ferebatur. *aptos*, tradis.

141. *Ocius ad navem* sc. increpas servis tuis. *trabe vasta*, ampla navi oneraria.

142. *Aegaeum rapias*. Locutio durior. Saepius apud poëtas obcurrit, *rapere viam, fugam* etc. pro: celeriter procedere, fugere. Inde illud natum est, *rapere Aegaeum* pro: rapere iter per Aegaeum, aut celeriter Aegaeum mare navi transmittere. Etiam Graeci habent ἁρπάζειν τὴν ὁδόν. Catull. XXXV, 7. *viam vorare*. *Luxuria* est *sollers*, blanda et ingeniosa contra avaritiae persuasiones; potest quoque *sollers* dici, quia homines sollertes et ingeniosos reddit. Lucian. Amor. T. II. p. 421. οὕτως ἡ μικρὰ καὶ παντὸς κακοῦ διδάσκαλος τρυφὴ ἄλλην ἀπ' ἄλλης ἡδονῆς ἀναισχύντως ἐπινοοῦσα.

145. *Seductum*. Tamquam amico timens, seducto prius salubre consilium in aurem insusurrat, monetque, ut periculum instans caveat.

144. 145. *mascula bilis*, quae te fortem reddit ad obeunda quaevis pericula. Potest autem *bilis* intumescens de quacunque cupiditate, vehementes animi motus excitante, intelligi; qui rursus in bilem agunt, eamque in ventriculum effundunt, ut h. l. de lucri cupiditate cum timore, ne mora damnum ferat, coniuncta. *calido* sc. prae cupiditate. *urna cicutae*. ad sanandam insaniam *cicutam* esse adhibitam, v. ad Sat. I,

Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae?
Tun' mare transsilias? tibi torta cannabe fulto,
Coena sit in transtro; Veientanumque rubellum
Exhalet, vapida laesum pice, fissilis obba?
Quid petis? ut numi, quos hic quincunce modeste
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio; carpamus dulcia: nostrum est,
Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti. fugit hora: hoc, quod loquòr, inde est.

51. *Cicutam* a Latinis vocari quamlibet cannam, intus cavam et inanem, et hoc loco non κώνειον esse intelligendum, sed Lathyridem, bilem et pituitam purgantem, docet Salmas. ad Solin. p. 742. Schol. ad h. l. *Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit. Vnde sacerdotes Cereris Eleusiniae liquore eius ungebantur, ut a concubitu abstineret.*

146. *tibi torta cannabe fulto.* Ex cannabe funes nautici fiebant. eius tractationem commemorat Plin. H. N. XIX. sect. 8. *fulto* i. e. tibi sedenti in torta cannabe.

147. *Veientanumque rubellum.* Vinum vilioris pretii saporisque ingrati circa Veios in Hetruria nascens.

148. *obba* vas vinarium aut poculi genus. *fissilis* pro: fisss, rimosa; *exhalet Veientanum laesum* i. e. corruptum, ingrati saporis, *pice vapida,* quae reddit vinum vapidum. Si sumis, epitheta hoc loco esse permutata, ut intelligendum sit: *fissilis obba exhalet Veientanum vapidum laesa pice;* interpretandi ratio longe facilior est. *Fissilis obba* tum non poculi genus, sed vas vinarium et quidem ligneum; hoc exhalat vinum, quod vapidum erat factum, quia pis, qua obturatum erat vas, laesa fuerat.

149. *quincunce modesto:* modica usura; quum *hic* i. e. Romae pro centenis quinos asses singulis annis adcipias.

150. *nutrieras,* cum delectu, nam quod nutritur, incrementum capit, ergo pro auxeras. *pergant sudare,* simpliciter pro sudent i. e. efficiant tibi multo labore. *avidos* quod navigatori proprie conveniret, translatum est ad quaestum. *deunces* i. e. singulis annis undenos asses pro centenis.

151. A v. 146 ad 150 incommoda itineris recensendo luxuria hominem a proposito deterruit; iam incipit eum hortari, ut potius genio suo indulgeat. *Indulge genio.* Die natali genio sacris factis lautioribus epulis se quisque excipiebat, vinumque meracius bibebat; inde locutiones: *genio indulgere, genium defraudare* pro: laute vivere, parce vivere. *carpamus,* proprie de floribus, deinde de ceteris vitae deliciis, quibus fruimur.

152. *nostrum est Quod vivis,* i. e. ea demum vita vocari iure potest, quam mihi inpendis; haustum hoc ex Cyrenaicorum atque Epicureorum disciplinis, quae summum bonum in voluptate, summum malum in dolore ponebant. *fabula* de eo, qui interiit, atque in sermone tantum vivit; proprie, quod vulgus sermone frequentat.

153. *hoc, quod loquor, inde est.*

En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, quum obstiteris semel, instautique negaris
Parere imperio, Rupi iam vincula, dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.
Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor (crudum Chaerestratus unguem

Horat. Od. I, 11. 7 seq. Temporis punctum, quo loquor, vitae pars est, et una cum oratione mea iam elabsum est. Sensus: quodcumque temporis spatium effluxerit, vitae tuae detractum est et revocari nequit. Eamdem sententiam saepe expressam legimus.

154—156. Interrogat Noster illum, qui se liberum praedicaverat, utri cupiditati pariturus sit? et tamen necesse esse, dicit, vel alterutri parere, vel omnino incertum esse, quid faciendum sit.

154. *duplici in diversum scinderis hamo*. Eadem metaph. utitur Propert. IV, 1. 141 seq. pro: diversis distraheris cupiditatibus.

155. *alternus*, per vices.

156. *ancipiti obsequio*, quod contrariis inter se cupiditatibus praestandum est. *oberres*, plane dubitabis, incertusque haerebis, cui cupiditati indulgendum sit; nam *oberrare* de iis dicitur, qui viae igoari sunt, aut loci, quem petant, nullam rationem habent.

157—160. Monet Noster, ne opinetur, palmam iam se esse naetum de cupiditate, cui semel tantum restiterit. Poterat enim iste obiieere: Equidem, O bone, vitiis et cupiditatibus non servio; possum enim in praesentia libidinem meam compescere.

158. *Rupi iam vincula*, iam me in libertatem vindicavi.

160. *a collo trahitur pars longa catenae*, sc. quae cursum moratur, vel qua retrahi et rursus adligari potest. Remota similitudine sensus est: non plane liber eris, est semper, quod te retrahat, et in cupiditatum ditionem redigat.

161—175. Hanc sententiam uberius explicat exemplo ab amatore sumpto, qui quum offensus, ut existimabat ille quidem, a puella statuisset, numquam ad eam reverti, tamen mutato statim consilio, quasi misericordia motus, ad eam revertitur. Hunc locum ex Menandri Eunucho Nostrum traxisse, in quo Davum servum Chaerestratus adolescens adloquatur, tamquam amore Chrysidis meretricis derelictus, idemque tamen, ab ea revocatus, ad illam redeat, scholiastes ad h. l. observavit. Terentius in Eun. pr. personis mutatis Menandrum est secutus.

161. *iubeo*, fortius quam velim; Nostrates quoque in vulgari sermone: *das sollst du glauben*. *dolores* incommoda multa, quae, dum puellam sectaretur, pertulerat.

162. 163. *crudum unguem Abrodens.*

Abrodens ait haec). An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?
«Euge, puer, sapias: dis depellentibus agnam
Percute.» Sed censen' plorabit, Dave, relicta?
«Nugaris: solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.

stomachantis et indignantis hoc est minimeque sibi placentis. *crudum*, usque ad vivum, intelligo. *dedecus obstem* fortius quam dedecori sim. *siccis*, sobriis, parcis, frugalibus: obponuntur enim *madidis*.

164. *rem patriam*, rem familiarem. *rumore sinistro*, Horat. Sat. I, 2. 61 seqq; per infamiam, turpiter, cum existimationis meae dispendio.

165. *Limen ad obscoenum frangam. frangam* fortiter et apte; limen meretricium quasi scopulus est, ad quem patrimoniorum naufragis faciunt adolescentes. *obscoenam* ab indignatione adolescentis profectum ad puellam proprie pertinet vulgatae pudicitiae.

166. *dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto.* Nota sunt amatorum instituta et mores. Noctu veniebant ebrii ad puellarum fores comessatum cum facibus, canebant elegidia, cupiebant admitti, et exclusi vices suas misere querentes dolorem suum omni ratione profitebantur. *udas* alii de amantium lacrumis interpretantur, id quod alienum, ab h. l. quidem, videtur; alii dicunt *udas* esse *fores*, quod ab ebriis et libidinosis frequententur, quod vero proplus adcedit; equidem existimo, *udas* significare h. l. *unctas*, Lucret. IV, 1171 seqq. et sic quoque locum conrectum vult Heinsius ad Ovid. Fast. V, 339 seq., verum emendatione non est opus. *exstincta face*. faces enim extinguebantur et abiiciebantur ante fores. Propert. l. c.

167. *Euge, puer, sapias.* Verba Davi sunt, heri consilium laudantis et confirmantis. *puer*: nihil est, quod nos obfendat, quum frequenter usurpetur haec adpellatio ab admonentibus. *sapias*, si sapias; *diis depellentibus*, averruncis, ἀλεξικάκοις καὶ ἀποτροπαίοις, qui prodigis et portenta averruncabant. Sensus: Diis averruncis sacra facere debes, si sapias, a tanto malo liberatus.

168. *Percute*, verbum solenne de Popa, qui feriebat hostiam, pro sacrifica. *Sed censen' plorabit, Dave, relicta.* Omissa iam indignatione et ira vetus amor in puellam pristinas recuperat vires, iuvenisque, ne animi inconstantiam levitatemque ostendat, misericordia motum se similat.

169. *Nugaris.* Davi verba. Ineptis, quum dicis aut putas, puellam a te relictam esse ploraturam; immo, sponte quum redieris, redibis enim, indignis modis ab illa et transfuga adcipieris. *solea rubra obiurgabere*, i. e. vapulabis solea rubra; poena ille erat solemnis, qua amantes a puellis iratis adficiebantur.

170. *Trepidare* saepe pro: laborare

Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, quum adcersor, et ultro
Supplicat, adcedam? si totus et integer illinc
Exieras, ne nunc.» Hic, hic, quem quaerimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata Ambitio? vigila, et cicer ingere large

ponitur, adiuncta studii et festinationis notione. Sic Virgil. Aen. IX, 114. XI, 453. conf. Burm. ad Propert. II, 2. 13 seqq. ubi *trepidare* dicuntur iuvenes, qui iugo amoris ferendo inadsueti et inexperti sunt. *atque arctos rodere casses* sumptum a fera retibus inretita et capta, quae perrumpere conatur. Sensus: Nihil est, quod te ferum et violentum geras, iugumque amoris excutere gestias; nam sponte illud rursum subibis.

171. *si vocet*, revocet, ultro adcersat. *haud mora*, statim veniam. Sensus: Levissimam quamque occasionem adripies, ut cum illa in gratiam redeas, a qua fortiter et sponte verbo, re vera autem aegre et similanter avelleris.

172. *ne nunc, quum adcersor, et ultro.* c. Sic iussit iam Bentl. ad Horat. Sat. II, 3. 262. legi.

173. *Supplicat,* cum delectu; supplex enim misericordiam movet, quanto magis puella supplex? *totus et integer*, liber et tui iuris; nam qui vere cupiditatum imperio se subtraxerit, iugumque vitiorum fregerit, numquam ex Stoicorum sententia in eorum servitutem retrahi potest.

174. *Hic, hic, quem quaerimus, hic est.* Verba sunt poëtae, naturam vere liberi hoc exemplo se expressisse existimantis. *Hic, hic* sc. qui ad semel relictas voluptates, quum rursus illum pelliciunt inlecebris suis, non revertitur, vere liber est, quem quaerimus.

175. *Festuca* pro vindicta. Manumissione nemo fieri potest liber. v. not. ad v. 75. *ineptus*, cuius igitur non est aliquem liberum et sapientem reddere.

176—188. Qui potest esse is liber, qui ambitione laborat, sic Noster pergit; et etiamsi miser sibi non videatur, certe miserrimus est, quando superstitione torquetur.

176. *Ius habet ille sui palpo. palpo*, adulator, qui populo velificatur; numquid liber est ambitiosus? *hiantem*, vehementer cupientem et adpetentem.

177. *Cretata ambitio.* magistratus ambientes toga lota et a fullonibus dealbata fuisse conspicuos, nota res est. *vigila* cet. Secum ipse loquens inducitur ambitiosus. Plerique interpretum illud *vigila* ad salutationes trahunt, quae primo mane fiebant ad potentium limina, Martial. IV, 78; Senec. de brev. vitae. 24. Verum etiamsi salutantium studia magis etiam fervebant sub Imperatoribus quam libera re publica, atque in illorum turba vel praetores versari non erubescebant; tamen de salutationibus non cogitandum esse h. l. videtur. *vigila* est: adtende animum ad omnia, quibus effici possit, ut in

Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes.... Quid pulchrius?—At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum

ore hominum sis; hoc enim solum, ut ex seqq. adparet, in votis erat. Interim non possum non fateri, mihi hoc verbum tam nude positum displicere; forsan non absurdum est, ita legere: *quem ducit hiantem Cretuta ambitio et vigilans? cicer iungere large* cet. *cicer*, missilia intelligas omnis generis, quorum apud Sueton. frequens mentio, quorumque vilissimum Noster posuit; nam cicer frictum plebeius erat cibus. Huiusmodi missilia, et quidem lautiora etiam, spargebantur quoque a privatis. Splendida erant missilia, quae describit Stat. Silv. I, 6. 9. seqq.

178. *Rixanti populo*, ut fit in muneribus, quae in publicum sparsa sunt, diripiendis et conligendis. *Floralia* sacra erant in honorem Florae cum summa lascivia celebrata. Scholiastes vetus ad Horat. Sat. II, 3. 182. commemorat, antiquos aediles cicer, fabas aliasque huiusmodi res populo Floralibus sparsisse; eamdem rem narrat Scholiastes Persii, sed omittit, a quibus missilia spargerentur. Id factum esse, addit, *ut tellus velut muneribus suis placaretur.* Eandem consuetudinem sub Imperatoribus retentam esse, probabile est. De Floralibus lege Ovid. Fast. V, 279 seqq. et quae Ruperti laudat ad Iuvenal. VI, 249. *nostra*, quorum celebratio nostrae curae demandata est.

179. *Aprici meminisse senes.* Sensus: ut diu Floralium nostrorum memoria propter donorum amplitudinem scilicet (cicer etenim erat sparsum) servetur. *aprici* spectat ad apricationem senilis aetatis. *quid pulchrius?* sc. quam populo placuisse et in admiratione gratiaque esse?

180. *At quum Herodis venere dies* cet. Nihilominus tamen miser es, atque deterrima servitute premeris, superstitione. Bella diuturna, provinciarum vastationes et direptiones, urbium amplissimarum eversiones et excidia ingentes divitias Romam congesserant; inde luxus et mollities orta, qua corporis et animi vires frangebantur, et inter reliqua mala, quibus civitas Romana labefactata tandem conruit, etiam omnis generis superstitioni, in tam incerto vitae et rerum omnium statu, in tot tantisque periculis, quae vel aderant, vel minitabantur, via munita est, cuius h. l. vulgatissima genera, quae e Palaestina et Aegypto Romam migrarunt, duo commemorantur, Herodis et Isidis sacra. *Herodis dies.* Scholiastae verba adponam: *Herodes apud Iudaeos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriae. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata; quo die lucernas adcensas et violis coronatas in fenestris ponunt.* Aliunde parum nota est res. *unctaque fenestra*, vapore, intelligo, quem exhalabant lucernae.

182. *Portantes violas.* Lucernae erant corollis florum cinctae. Ceterum luminibus adcensis floribusque, quibus arae, statuae Deorum, templa,

Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,

domus cet. coronabantur, epulis et vino festorum dierum celebrationes esse factas, notum est. *rubrum catinum*, i. e. fictile catinum.

183. *Cauda natat thynni*. Plin. H. N. IX. sect. 17. et 20. *Praecipua magnitudine thynni invenimus talenta quindecim pependisse. Eiusdem caudae latitudinem quinque cubita et palmum. amplexa* ad magnitudinem piscis spectat, cuius cauda totum catinum amplexa adponebatur. *tumet*, plena est.

184. *Labra moves tacitus*, Horat. Epist. I, 16. 60. vota concipis tacite. Vota, quae nuncupabantur, aut preces semper adcurate pronuncianda fuisse videntur, sic, ut etiam ea, quae intelligi a nemine vellent precantes, seu pressa voce seu motis tantum labris essent exprimenda. *recutitaque*, circumcisa, *sabbata*, i. e. quae a circumcisis celebrabantur. *palles*, atudiose colis. Sabbatorum religio apud Romanos erat frequentissima. Iam sub Augusto Iudaei in propagandis suis caerimoniis et ritibus ambitiosi erant.

185. *Tunc*. Illo die festo, quem superstitio celebraodum tibi iniungit, aliae quoque res, ab eadem superstitione oblatae, animum tuum exagitant, nec consistere sinunt, ut lemures, mala omina, cet. *nigri lemures*, Vmbrae defunctorum, quae viventibus adparere et molestae esse putabantur, quibus abigendis *lemuria* erant constituta apud Romanos. Ovid Fast. V, 419 seqq. *ovoque pericula rupto*. Scholiastes ad h. l. narrat: *Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni inpositum, utrum in capite an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius*. Ovorum usus in lustrationibus et incantationibus satis notus est. Verum de portentis ex ovo rupto praeter scholiasten nihil me legere memini. Plurima sunt eiusdem generis, quae aetatem non tulerunt, quorum tamen iacturam aequo animo ferimus. Ceterum tum ad *lemures*, tum ad *pericula* pertinet sequens verbum *incussere*.

186. *Grandes Galli* sacerdotes Cybeles ob praestigias suas ineptaque sacra ex Apuleio satis noti. Vnde nomen habeaot, ne veteribus quidem scriptoribus erat notum; sed conf. Ovid. Fast. IV, 361 seq. *grandes* spectat ad corporis staturam, qualis esse solet exsectorum seu spadonum. *et cum sistro lusca sacerdos*. Isidis sacra Romae celeberrima. *lusca*, non absurde Scholiastes addit: *ideo, quod nubiles deformes, quum maritos non invenerint, ad ministeria deorum se conferant. Sistri* formam describit Apuleius Met. II. *Nam dextra quidem ferebat* (Isis) *aureum crepitaculum, cuius per angustam laminam in modum balthei recurvatam traiectae mediae paucae virgulae crispante brachio tergeminos iactus reddebant argutum sonum*. Sistri imaginem expressam vide apud Gruter. Inscript. pag. 82. n. 3. et 2. Eodem sistro Aegy-

Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris allî.
Dixeris haec inter varicosos centuriones:
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Graecos curto centusse licetur.

ptii sacerdotes in sacris Isidis utebantur; putabant quoque, illud habere vim tempestatis sedandae.

187. *Incussere deos* pro incussere metum deorum. *inflantes corpora*: pertinet hoc ad ulcera et tumores, quibus Syri homines obnoxii erant, quorumque causam deae Syriae adsignabant; Plutarch. de Superstit. cap. 9. T. VIII. p. 76. ed. Hutt. *τὴν δὲ Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν, ἂν μαινίδα τὶς ἢ ἀφύας φάγῃ, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ.*

188. Pertinet hoc ad superstitiosas opiniones parum notas.

189. *Dixeris haec.* Noster dicere vult: se quidem non ignorare, philosophiam philosophiaeque cultores ab imperitis literasque exosis, pro quibus centuriones posuit, contemni ac derideri. *Varicosus* proprie is, qui varices, i. e. venas intumescentes, in cruribus habet, h. l. ad speciem corporis militarem spectat; praecipue enim in omni cultu neglecto et in quadam rusticitate virtutem positam tunc temporis milites existimabant.

190. *Crassum ridet* pro crasse ridet, in risum effunditur rusticus ille et stupidus. *ingens.* Corporis proceritate et amplitudine ingenii exiguitatem Noster exprimit. Theocrit. XV, 17. *ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς* pro homo stolidus.

191. *centusse*, decem assibus. *Graecos*, philosophos, praesertim Stoicos. Summum contemptum indicat hoc, quandoquidem vilissimae tantum res acervatim emuntur. Ceterum quantopere omnia a Graecis profecta plerisque Romanis contemptui fuerint, praeclare docuit Burm. ad Petron. 46.

SATIRA VI.

AD CAESIVM BASSVM

ARGVMENTVM.

Satira haec ad Caesium Bassum scripta de legitimo divitiarum usu agit. In principio amicum Noster certiorem facit, se in praesentia Lunae Liguriae oppido, summo otio frui procul a curis et omni invidia. 17. Alios aliter sentire, saepeque eorum, qui eodem temporis puncto nati sint, studia esse diversissima. 19. Se quamvis alii diversum vitae genus sequantur, suo more vivere, parcumque et sobrium sine sordibus esse velle. 24. Annuos reditus licere consumi. 26. Si quid inopinati acidisset, non dubitandum, de patrimonio ipso aliquid detrahere. 32. In contrahendis opibus heredis, ne funus minus splendidum curet, rationem habere, stultum esse. 41. Si vel legitimus hereditatem, sumptibus factis inminutam, se aditurum esse negasset, heredem sibi omnino non defuturum. 56. Nihil interesse, quonam loco ille natus sit, omnes enim homines cognatione quadam inter se iungi. 60. Rem familiarem viventis esse, nihilque habere heredem, quod iure suo postulare possit; quodcumque esset relictum, aequi bonique ipsi consulendum, laerique insperati loco habendum esse. 71. Stulti esse, vitae commoditatibus ipsum carere propter avaritiae sordes, ut heredes posteri vitam dissolutam et omni voluptatum genere plenam agant. 74. Sic enim semper existimandum, huiusmodi hominum cupiditati opes maximas, omni modo congestas, numquam esse satis facturas, ut ne vel sic quidem sit, quod speres, fore, ut gratiam illorum ac rationem merearis.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?

1—11. Quaerit Noster ex Basso, num se iam in agrum Sabinum, ut Musis ibi viveret, receperit; simulque eum certiorem facit, se in Liguriae finibus versari. Caesius *Bassus* in lyrico poëseos genere praecipue clarus, cui secundas in hac laude tribuit Quintil. Inst. X, 1, vixit sub Nerone et Vespasiano. Eum in praediis suis, ardente Vesuvio mônte, cum villa sua ustum esse, commemorat scholiastes ad h. l. cf. Wernsdorf. poët. Lat. min. T. III. p. XXXIII. seqq. Plures fuisse Bassos Musis deditos notat Broukh. ad Prop. I, 4. 1. cf. Voss. de hist. Lat. I, 22. *admovit*, compulit te, ut secederes. Multi Romanorum, praesertim *ii*, qui bonarum literarum studiosi erant, saepenumero in praediis suis, non tantum otii et valetudinis causa, sed ut studiis suis ab urbano strepitu remoti

Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,
Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregius lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora

viverent, commorabantur. Pro praedio posuit apte *foco*, quia *brumae*, hiemis, mentio facta est

2. *lyra et chordae*, pro chordae lyrae. De lyra vide Iani ad Horat. Od. I, 10. 6. III, 2. 3. *vivunt*, sonos edunt; animantur etiam quasi *pectine* seu plectro. *Tetrico*, severo. Ovid. A. A. I, 721. Senec. Herc. fur. 579 seq. spectat et ad carminis argumentum et ad modos graves; agitur enim de carminibus lyricis.

3. 4. *Mire opifex*, pro: mirus, admirabilis artifex; *intendisse*, Graeca constr. nota. *intendisse numeris*, pro: *numeris condere*, ut est apud Ovid. Fast. VI, 24. aut *numeris coërcere* ex Ponto IV, 8. 73. Ratio loquendi paullo insolentior. *numeris* adcipio pro casu tertio. Deinde nervi proprie intenduntur, cum iis quoque soni, pro quibus *numeri* docte poni possunt. Virg. Aen. IX, 776. Dicendum igitur proprie fuisset: intendisse numeros (nervos numerose canentes) *primordiis veterum rerum*, seu ad primordia veterum rerum canenda; sed inversione Noster usus est. Sic quoque vs. seq. proprie dicendum fuisset: *intendisse fidem latinam ad marem strepitum* sc. edendum, seu ut marem strepitum ederet; nam ea ratio, qua *intendisse marem strepitum* adcipiunt pro *auxisse marem strepitum*, severioribus numeris res grandiores esse complexum, mihi hoc saltem loco non probatur. Existimo quoque his duobus versibus Nostrum nihil aliud exprimere voluisse, quam Bassum poëtam esse lyricum altioris spiritus; nam *primordia veterum rerum*, ut quoque Wernsdorf. l. c. iudicat, ad laudes Deorum et heroum potest pertinere, in quibus *primordia veterum rerum* praecipue celebrantur. *marem* pro masculum.

5. *iuvenes*, iuveniles. Ovid. Trist. V, 1, 7. *iocos*, carmina erotica et remissioris spiritus, ut apud Ovid. Trist. II, 494. et III, 2. 4 seq., ubi carmen de arte amandi intelligitur; et *agitare iocos* pro iocari, quod eodem sensu, quo *ludere*, saepe obcurrit apud poëtas. Wernsdorf l. c. satiras intelligit. *pollice honesto* eadem ratione positum est, qua *tetrico pectine* supra. Lyrae cantus temperabatur modo digito seu pollice, modo pectine seu plectro.

6. *Egregius lusisse senes*. Casaubonus legit: *egregios*, et quum *lusisse* eo sensu adcipiat, quo saepe obvium est (Virgil. Eclog. I, 10; Horat. Od. IV, 9. 9.), verba illa de laudibus vitae senilis otio et quieti redditae interpretatur. Verum possis aliam rationem inire, quae melius huic loco, mea quidem de opinione, convenire videtur. *Ludere senes* est: agere senes seu similare senes (sic Cic. ad Divers. VIII, 9. *bonum civem ludere*), atque *agere* seu *similare senes* est senum partes sustinere, quae sunt in hortando et monendo positae. Intelligenda

Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa litus se valle receptat.
Lunai portum est operae cognoscere, cives.
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

itaque sunt carmina paullo severioris generis, in quibus senum personam induit Bassus, ad iuventutem virtutum praeceptis imbuendam; quod carminum genus egregie indicatur per *pollice honesto*, atque opponitur illis *iuvenilibus iocis*. — *Ligus ora* pro ora Ligustica.

7. *Intepet*, tepidior redditur aut est pro: ego fruor tepore orae Ligusticae. *hibernatque mare*, Horat. Sat. II, 2. 17. *hiemat mare*, ut *vernat* ap. Senec. Epist. 114. Hoc priori *intepet* non repugnare, disci potest ex Cic. de Nat. Deor. II. c. 10. Plut. Quaest. natur. ἡ. T. XIII. ed. Hutt. Loca maritima hieme iis calidiora esse, quae a mari longius absunt, in vulgus notum est.

8. *qua latus ingens Dant scopuli*) *dant* pro efficiunt. Lunae portus describitur; ingentes scopuli portum circumdantes pro lateribus eius sunt. Sed ingenio nostri poëtae adcommodatius videtur illud *dant latus* interpretari: exponunt latus mari, ut eo fluctuum vis et impetus frangatur. Strabon. V. περικλείεται δ' ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς, ἀφ' ὧν τὰ πελάγη κατοπτεύεται. Huiusmodi portus Virgilii oculis obversabatur. Aen. III, 533 seqq. *et multa valle se receptat litus*, hoc amplitudinem portus indicat et litus interius planum; aut *vallis* est h. l. aquae superficies sinu reducto litoris cincta.

9. Est versus Ennii. *operae est* sc. pretium. Huius versus auctoritate loci amoenitatem probare studet.

10. *Cor.* Saepe usus est hoc verbo priscus sermo Latinus pro animo, ψυχῇ, prudentia: unde adiectiva *cordatus*, *excors* etc. apud recentiores manserunt. Cic. Tusc. Q. I, 9. de Fin. II, 28. *Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem.* *Cor Enni* pro Ennius; sic *virtus Scipiadae* pro Scipio. Significare videtur h. l. Noster ex iis, quae adiiciuntur, sanam Ennii conditionem, quum desisset desipere. *postquam destertuit esse*, i. e. postquam desivit esse, postquam intellexit se non esse; sed prius fortius, indicat enim insanam ebrii hominis conditionem somno levatam; Lucian. In Pseudom. ὥσπερ καὶ ἐκ μέθης βαθείας ἀναφέροντες.

11. *Maeonides* Homerus ex patre Maeone, ut aiunt. *Quintus* praenomen est Ennii. Ennius tantum tribuit Homero, ut non solum vigilans de eo saepissime cogitaret et loqueretur, ut Cicero in Somnio Scip. 1. narrat, sed et somniarit, speciem Homeri ex Acheronte venientem sibi narrasse, ut anima sua se insinuasset prius pavoni, ac deinde ex pavone transiisset in Ennii corpus, ut legitur apud Lucret. I, 125. *pavone ex Pythagoreo*, spectat hoc ad Pythagoreorum somnia, qui narrabant, Pythagorae animam in migratione sua per varia corpora prius in pavonem migrasse, deinde in Homerum transiisse; sed

Hic ego, securus vulgi, et quid praeparet Auster
Infelix pecori securus, et angulus ille
Vicini nostro quia pinguior. etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius. geminos, horoscope, varo

varius est apud varios auctores hic migrationis ordo. Sic adfectabat fortasse gloriam Homeri Ennius, ut sequenti tempore Propertius Callimachi, cuius nomine Propertium ab Horatio (Epist. II, 2, 92.) designari Vulpius in sua διατριβῇ de vita Propertii existimat.

12—17. Ibi ego curis omnibus solutus vivo, neque invidia neque avaritiae sordibus tangor.

12. *Securus vulgi*, oblitus vulgi, nihil curans vulgus. *et quid praeparet Auster.* Auster in personam mutatus est. *praeparet*, moliatur, moveat; Virgil. Georg. I, 462: *quid cogitet humidus Auster.* Propert. III, 3. 52: *quid flamine captet Auster.*

13. *Infelix pecori.* Auster in Italiae regionibus non solum pecori verum etiam hominibus noxius, praesertim auctumno, quum per mare Mediterraneum delatus et gravidus humidis particulis morbos et febres excitet. *securus* h. l. pro: nulla invidia tactus. *angulus*, terrae portiuncula, quam vicinus possidet.

15. *peiores* sunt, qui in tenuiore et humiliore loco nati sunt, χείρονες, ad animi vitium hoc loco non potest trahi. *ditescant*, intelligi potest: sordidis et malis artibus, cuius rei exempla apud Iuvenalem plurima exstant. *usque recusem*, semper ego nolim.

16. *Curvus ob id minui senio.* Curae enim et sollicitudines animi ex invidia ortae franguut et debilitant hominis corpus atque macerant, ita ut sensim paullatimque velut tabe confectum evanescat. Hoc egregie observarunt poëtae, quum invidiam sub hominis imagine et forma inducerent. *curvus senio* pro: vexatus curis et angoribus; nam *curvus* pingit habitum corporis, quod curae degravant, et *senium* pro eo saepe ponitur, quod *senium* adfert. Hesiod. op. et d. 93. αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Idem versus exstat apud Hom. Odyss. τ, 360. *aut coenare sine uncto. sine uncto* i. e. sine ferculo lautiore. v. supra IV, 17.

17. *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.* cf. Horat. Epist. II, 2. 134. *naso tangere aliquid* pro: adcurate aliquid inspicere, quum oculis rem propius admoveas. *signum*, quo scil. obsignaverat lagenam, non vino sed vappa plenam, oculis admovet, ut videat, an inlaesum sit. Sordidam parsimoniam hic probe depinxit; ostendit enim primum nimiam diligentiam in rebus vilissimis servandis, deinde magnam hominis anxietatem; ne quid inde sibi detractum sit.

18—21. Vivat alius alio more; nam mores hominum dissimiles sunt; alii genium defraudant, alii omnia dilapidant. Ego meis rebus utar, ita

Producis genio. solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum inrorans patinae piper. hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,

tamen, ut luxuriam vitem. Hac propositione generali commodissime sibi stravit viam ad avaritiae et sordium reprehensionem, remotis et derisis iis causis et rationibus, quas homines, hoc vitio laborantes, in suam rem proferre soleant.

18. *Discrepet* sc. a me, a meo vivendi more. *Horoscopus*, hora natalis, unde fata hominum pendere somniabant astrologi, personae vicem sustinet; ad quam quum se vertat poëta, sententia per se vulgaris novam vim adcepisse videtur. De hoc ornatus genere plura Quintil. Instit. VIII, 5.

19. *Producis,* in lucem edis. *Geminos varo ingenio.* Ergo homines sub una eademque constellatione nati ingenii et morum similitudine minime gaudent. Poëtae ornatum quisque facile sentiet, conlata cum eius verbis nuda sententia: hominum studia diversa sunt.

19. *natalibus.* Dies natalis praecipue epulis celebrabatur. v. ad V, 151.

20. *olus*, i. e. cibum vilissimum, quo tamen veteres Romani utebantur, quorum sobrietatem cum sui temporis luxuria comparat Iuvenal. X, 78 seq. *siccum*, non unctum. *vafer*, sollers, ingeniosus, ut sunt sordidi in custodienda re. *Muria* erat vel aqua salsa, in qua aliquid fuerat maceratum aut servatum, vel genus liquaminis ex thunnorum sanie, ut *garum* e scombrorum. Ad consummandam sordidae parsimoniae imaginem, adiecit: *empta in calice* i. e. exiguo vasculo empta, ut tantummodo ad hunc diem subficeret, aliis enim diebus minus laute epulabatur. Huc pertinet etiam *tingat*.

21. *Ipse.* Nam servo tanta res scil. non committebatur. *inrorans*, parcissime instillans. *sacrum piper*, i. e. piper tamquam rem sacram et minime tangendam. Oleris genus, ut beta, vino et pipere condiebatur.

22. *magnanimus* per ironiam; quasi ostendat magnum animum in contemnendis divitiis, quarum nullam rationem habet in sumptibus faciendis. *puer*, adolescentulus; puerilis enim aut iuvenilis aetas in primis inclinatum ad magnas profusiones habet animum. *dente peragit*, gula absumit. *bona grandia*, ingentem rem familiarem. Huiusmodi dilapidatoris exemplum proposuit. *utar ego, utar*, sc. facultatibus meis, verum non abutar. Posterius dupliciter expressit: neque ego aliis ad ostentationem lautissimas dapes adponam: neque rarissimis et exquisitissimis ipse fruar. cf. Horat. Epist. II, 2. 190 seq.

23. *lautus*, magnificus, propter magnas impensas, quae in adparatu coenae huiusmodi faciendae erant. Simili ratione praetor lautus dicitur apud Iuvenal. XIV, 257. *lautus ponere* Graeca constr. *rhombos.* in deliciis mensae *rhombus* piscis habebatur.— *libertis.* Eos Romani inter clientes et sectatores mensarum honore di-

Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive; et granaria, fas est,
Emole. quid metuas? occa, et seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops remque omnem surdaque vota

gnabantur, Iuven. V, 28 seq. Ex quo loco etiam disces, magnum discrimen saepe fuisse iuter dapes, quae domino et quae convivis humilioris loci adponerentur. Liberti infimum locum in conviviis obtinebant.

24. *sollers nosse*, sollerter dignoscens. *Salivam*, saporem. *tenuem*, qui non nisi a peritissimis poterat dignosci. Ceterum *turdi* mensarum deliciae apud Romanos. Scholiastes animadvertit, Persium *turdarum* abusive dixisse, quum debuisset *turdorum* dicere, ut Horat. Sat. I, 5, 72. Addit praeterea: *Solent enim quidam gulae dediti tantae subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius an terrarius sit, an masculus an femina.*

25. 26. Dixit Noster in anteced. *utar ego, utar*; subiunxit statim: non tamen ut prodigi; desideratur igitur, quem tandem modum adhibendum esse censeat in re fruenda. Hunc modum exprimit iam sub forma regulae, quam aliis det et praescribat. *Messe tenus propria vive.* Ab agricolis ductum, qui sumptus annuis agrorum proventibus metiuntur. Sensus est: Omnes tuos reditus possis quotannis sine rura absumere, atque hac ratione et liberalis et frugi hominis laudem retinere. Cave autem adcipias: omnes reditus absumere debes, nisi sordidus et avarus et esse et haberi velis. *Granaria emole*, frumentum annuum sepositum consume, hoc enim fit molendo. *quid metuas* sc. hoc faciens. Adiungit rationem, cur omnis metus et dubitatio in hoc locum habere non debeat. *occa*, species posita pro genere; *occare* pro omnibus iis, quibus ager ad adcipiendum semen praeparatur. *et seges altera in herba est*, ecce, altera messis iam tibi in agris resurgit, qua granaria tua iterum possis replere. Alio sensu eadem usus est dictione Ovid. Heroid. XVII, 263. ibi v. Heins.

27—33. Venit iam ad causas, quibus sordes plerumque escusari solebant, quarum prima est, eaque specie quidem satis honesta: Parcendum est opibus et semper aliquid reservandum et seponendum, si quid nec opinati adciderit, ne aliquando cogaris liberalitatis officia inopia deserere, ut semper habeas, quo inopiae amici cuiusdam possis subvenire. Verum, inquit Noster, si hoc adciderit, fundi aliqua portiuncula calamitati est subveniendum.

27. *Ast vocat officium.* Id quod praecepisti sequi non possum, nam amicus naufragium fecit, hic est mihi sublevandus. *Bruttia saxa.* Fretum illud inter Italiam et Siciliam navigantibus periculosum intelligit.

28. 29. *Prendit amicus inops*, exquisitius, quam: eiectus est ad litus. Videmus illum naufragum fluctibus luctantem vix taudem se ad scopulum servare, ceteris rebus omnibus amissis. *Condidit Ionio*, naufragio in Ionio mari amisit, *remque omnem*, et cum re etiam ea, quae sperave.

Condidit Ionio: iacet ipse in litore, et una
Ingentes de puppe dei; iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae. nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. «Sed coenam funeris heres
Negliget, iratus quod rem curtaveris: urnae

rat per illam rem consequi, quaeque sibi voverat seu optaverat; sed vota *surda* (a Diis non exaudita) fuerunt. Potuit igitur Noster dicere, etiam vota illum mari condidisse seu naufragio amisisse, quandoquidem vota ad illam rem pertinuerant, et, re amissa, ipsa quoque sublata erant. Sensus: Omnia amisit, nihil servavit, in liberalitate et misericordia amicorum perfugium quaerere debet.

30. *Ingentes de puppe dei. Dei* sunt simulacra Deorum puppi inposita, quorum sub tutela navem voluerant esse nautae. Inde illas statuas nuncupat Petron. 105. *tutelam navis*, quae cum Graeco παρασήμῳ non est confundenda, quamquam interdum signum in prora, παράσημον, unde nomen navi saepe haesit, cum tutela in puppi unum idemque fuit. Huic Deo vel Deae vota pro reditu fiebant. Illos Deos, qui nunc eiecti in litore iacent, nec navem nec se ipsos a tempestatis iniuria defendere poterant, vocat Noster *ingentes* i. e. summa potentia praeditos, eoque in risum eos vertit. Quod quum pietati, quam Noster ubique ostendit, repugnare videatur, possis etiam *ingentes* ad simulacrorum staturam trahere. Fortasse scripsit Noster *squalentes*, limo scilicet et spuma maris. *obvia mergis*, exposita mergis.

31. *Costa*, latus navis laceratum. *nunc et de cespite vivo. cespes*, proprie herba una cum terra evulsa, obponitur hoc loco reditibus. *vivo*, virenti.

32. *Frange aliquid*. adcommodate ad cespitem. Sensus: Consumptis annuis reditibus portiuncula fundi tui subleva inopem, ut sedem ibi collocet suam, neque cogatur mendicare. Posterius sic expressum est: *ne pictus oberret*. v. ad I, 89. Naufragi amissis rebus omnibus tabulam, in qua maris tempestas, quae eos perdiderat, coloribus expressa erat, humero portantes ubique misericordiam hominum implorabant.

33. *Caerulea*, ex natura eiusmodi picturae epitheton hoc adiectum.

33—37. Sequitur alia sordium causa. Multi Romanorum eo processerant stultitiae et amentiae, ut, quo quam splendidissime ab herede mortui efferrentur, genium vivi defraudarent; quum contra alii, id quod minus mireris, futuri heredis cogitatione ad lautiorem vitam incitarentur.

33. *Coena funeris* seu funebris erat duplicis generis, una diis manibus in rogo parabatur, proprieque vocabatur *silicernium*; altera proximis et amicis, eamque vocabant *epulum funebre*.

34. *Quod rem curtaveris*, rem familiarem minueris. Spectat hoc ad superiora: *de cespite vivo frange aliquid*, non ad consumptionem annui reditus; nam, cuius sumptus annuos

Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus.
Tune bona incolumis minuas?» Et Bestius urget

reditus non superant, is rem familiarem minuere dici non potest.

35. 36. *urnae Ossa inodora dabit.* Corpore cremato et peracto ossilegio reliquiae vino et lacte conspersae adiectis odoribus urna condebantur. *inodora*, sine odoribus. *nescire paratus*, fortius quam: negligens, dissimilans. *seu spirent cinnama surdum.* *Cinnama* Plin. H. N. XII. sect. 42. *Cinnamum* erat frutex corticis odoratissimi duorum cubitorum altitudine amplissimus. Inde fiebat unguentum cinnamominum pretio prodigioso. Plin. l. c. XIII. sect. 2. Martial. IV, 13: *cinnama rara. surdum* pro *surde.* *Surdus* a Plinio maiore saepe de iis rebus usurpatur, quae nec oculos nec nares movent, h. l. de re quae hebeti odore est. Odores itaque intelliguntur situ conrupti ideoque viles. *Seu ceraso peccent casiae.* cf. Salmas. ad Solin. p. 919 seqq. fusius de *cinnamo* et *casia* disputantem. *peccet* i. e. vel nullum odorem emittat, vel alienum a natura sua. *ceraso* interpretes passim adceperunt pro gummi e ceraso, verum quam auctoritatem in hoc secuti sint, equidem adhuc reperire non potui, neque video sane, quomodo casia, siquidem nostro *simt* haud plane absimilis et cortex sit, aliquo gummi genere possit adulterari. Sive enim casiam hoc loco Noster pro unguento ex casia facto posuerit, sive ipsum librum casiae fruticis intellexerit; unguentum resinae aut gummi additione non conrumpitur, nisi saporem aliquem aut odorem ei adferat, et utroque gummi e ceraso caret, nec in cortice ulla gummi admixtio locum habere potest. Adulterari casiam, narrat Plinius H. N. l. c. *styrace*, et, propter similitudinem corticum, *lauri tenuissimis surculis.* Cur itaque *casia* non potest permisceri libro cerasi, qui eamdem fere speciem habet, et sic adulterari et conrumpi? Quin puto Nostrum de industria genus fraudis posuisse, quod facillime detegi posset, nisi heres nimis *paratus* esset *nescire.* Ceterum in cremandis mortuis usum casiae praecipuum fuisse, scimus ex Martial. X, 97. Corpus in rogo iam conlocatum unguentis suaveolentibus perfundebatur. An hanc ad rem unguento quoque ex casia usi sint veteres, mihi quidem non liquet; sed casiam ipsam seu casiae librum super rogum fuisse sparsum ac concrematum ad foetorem usti corporis odoris suavitate mitigandum, adparet ex Martial. XI, 55. ubi casiae et cinnami separatim ab unguentis fit mentio. Ipsos quoque casiae surculos adustos suavissimi odoris fuisse, patet ex *Phoenicis* nido, ex omnibus rebus bene olentibus, quum cremarentur, constructo. Quibus rebus fit, ut mihi non plane absurdum videatur statuere, casiam cerasi libro potuisse adulterari, etiamsi huius fraudis apud veteres nulla mentio reperiatur.

37. *Tune bona incolumis minuas?* Verba sunt heredis, quem loquentem inducit Noster consilio suo adcommodate, ut mores nempe huiusmodi hominum, alterius rei familiaris, quam ut suam spe iam devorant, iacturam vehementer indignantium, quasi sub oculos lectoris vocet. *inco-*

Doctores Graios: « Ita fit, postquam sapere Vrbi
Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers:
Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.»
Haec cinere ulterior metuas? at tu, meus heres

lumis, h. l. inpune. Ceterum genus loquendi iratorum est, ulciscendi se occasionem aut nactorum aut adhuc exspectantium. *Bestius* homo frugi et avarus atque nebulonum castigator vehemens, ex Horat. Epist. I, 15. 36 seq. notus. *urget*, adcusat, culpam luxuriae transfert in

38. *Doctores Graios*. Sensus: Atque idem heres, ut alter Bestius, frugalitatis et parsimoniae causam agens, reos agit doctores Graios, i. e. adfirmat, morum mollitiam et perversam vitae disciplinam e Graecia cum literis Romae inlatam esse. Communis querela erat omnium Romanorum, apud quos antiqua simplicitas adhuc in pretio erat, iam ab iis temporibus, quae Ciceronis aetatem praecesserant, disciplinam Romanam Graecarum doctrinarum subtilitate morumque pravitate esse corruptam. Ex hoc quasi fonte manavit etiam odium in istam gentem, quae devicta iam victoris superbiae despectui erat. Quo odio nonnulli ita inflammati erant, ut literas quoque et sapientiae studium, quippe a Graecis ortum, respuerent et contemnerent, Iuvenal. III, 60 seqq. XV, 110 seqq.; ex quibus locis quoque adparebit, quantopere omnia Romae ad Graecorum instituta composita fuerint.

39. *Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers. vestrum hoc sapere, maris expers.* Omnes editiones, quas ego quidem inspexi, habent *nostrum hoc maris expers*, et inde nata est difficultas, ad quam tollendam plerique interpretes nequidquam sudarunt. Haud scio, an Reizius hanc lectionem ingenio suo debeat; at unusquisque intelliget, hac lectione recepta, faciliorem esse interpretationem. *vestrum hoc sapere* i. e. vestra sapientia. Bene Noster usus est hoc *sapere*, quum anceps eius vis et potestas h. l. vehementer apta sit. *maris expers*, (supra v. 4. est *marem strepitum*) expers omnis roboris masculi. Sensus: postquam vestra sapientia effeminata Romam venit, *cum pipere et palmis*, cum mercibus externis, commercio nempe cum populis orientis.

40. *Foenisecae*, proprie homines infimae conditionis; h. l. veteres Romani designantur agriculturae studiosi et omnis eruditionis expertes. *vitiarunt* verbum indignantis pro: tinxerunt. *crasso unguine*, unguento exquisito. Horat. in arte 375. Sensus: homines infimae sortis laute vivere didicerunt. Hanc interpretationem, quam Casaubonus dedit, facillimam saltem omnium esse, quae mihi quidem innotuerunt, non possum negare. Illud *maris expers* alio forsan sensu obcurrit apud Horat. Sat. II, 8. 15. atque haec res nonnullos interpretes, qui in singulis Persii verbis, quibus Horatius quoque usus est, imitationem servilem iniquissima ratione odorantur, in fraudem induxit, fecitque, ut ipse Casaubonus alteram interpretandi rationem proponeret, quam vereor ut cuiquam sit probaturus.

41. *Haec cinere ulterior metuas?* Verba sunt poëtae. *cinere ulterior* i.

Quisquis eris, paullum a turba seductior audi.
O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Caesonia Rhenos.

e. post combustionem tuam, post mortem. *haec*, minas illas heredis et convicia. *At tu, quisquis eris meus heres* cet. Haec cum anteced. ita cohaerent: Tu sine ulla ratione reformidas sepulturae minus splendidae ignominiam, et heredis avaritiae indulges? Iam tibi ostendam, quemadmodum ego cum meo herede acturus sim, quando tempus ita tulerit, aut omnino mihi in mentem venerit, ut minus parce, immo lautius, vivendum esse existimem. Quibus autem ambagibus Noster non utitur; fingit heredem suum praesentem, statimque eum adgreditur.

41. *a turba seductior.* v. ad II, 4. Seducit heredem, ut consilium cum eo communicet, quod ad eum pertineat.

43. *a Caesare.* Sed a quonam? a Caio Caligula, quoniam Caesoniae mentio fit. De vera victoria non est cogitandum. Tacit. Germ. 37. *Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos* (Germanos) *sedibus perculerunt. Post ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias adfectavere, ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.* — *missa est laurus.* Pro festo die quocumque posuit Noster eum diem, quo victoria a Caesare senatui per literas lauro implicatas, ut tum mos ferebat, erat nunciata. Hac ratione obliquo quasi ictu tangit stultam Imperatorum vanitatem, qui saepius victorias de Germanis, ut ferocissima et Romanorum nomini infestissima gente, nusquam vero reportatas, senatui nunciarent, et quasi re bene gesta, ut grates Diis inmortalibus agerentur, festa indicarent publice celebranda.

45. *Frigidus cinis.* Versatur Noster in describendo diei adparatu, qui, quo amplior et speciosior est, eo magis ridenda res videri debet, quum reputas, de victoria agi simulata. *frigidus.* Removetur cinis veterum sacrificiorum, ob longam sacrorum intermissionem frigidus.

45—47. Caesonia, Caii Caligulae Imperatoris uxor, parat omnia quae ad agendum triumphum necessaria erant. Locum hunc aliter explicare conatus sum, ac vulgo interpretes. *Locare* adceperunt fere omnes pro: disponere, et hoc, meo quidem sensu, fraudem fecit reliquae interpretationi, locoque ipsi omnem paene vim et salem abstulit. *Locare* translatum est a censoribus aedilibusque curulibus, qui opera publica vel exstruenda vel resarcienda redemptorum minimum poscenti publice addicebant. Omnia deerant nempe Caesoniae, quibus triumphum de Germano populo posset ornare, quandoquidem illa gens re vera devicta non erat. Arma deerant, vestes,

Dis igitur genioque ducis centum paria, ob res

captivi, nam Germani non erant spoliati, exuti, capti; haec omnia igitur paranda erant, et quasi redemptoribus locanda, ut et prompta essent in simulationem veri triumphi rerumque hostibus detractarum, et minimo sumptu, ut Imperator ipse iusserat, constarent. *arma postibus* sc. figenda. *postibus*, arcubus triumphalibus et templorum postibus. Non solum publica templorum limina et postes, sed etiam privatarum aedium spoliis hostibus detractis esse exornatos, copiose et docte adserit Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 206. *chlamydes regum*, vestes militares regum sc. parandas locavit. Germanorum reges in triumphum ducti amplam semper materiam adulandi dabant. Omnino, quando de triumphis apud poëtas sermo est, semper regum captivorum fit mentio. *Lutea Gausapa.* Non vestes intelligendae sunt, quamquam Casaubonus, quum id adfirmat, Varronis auctoritate nititur; ubi enim umquam relatum legimus, luteas vestes Germanorum insigne fuisse? sed *gausapa* eadem ratione, qua Sat. IV, 37. pro capillamento posita. In editione Persii Venet. 1516. vetus interpres, qui sub Cornuti nomine venditur, haec habet: *Gausape genus pilei, quorum* (lege: *quo*) *captivorum capita induebantur.* Vt scilicet mercede conducti aut aliunde capti et in triumphum producendi Germanorum speciem prae se ferrent, debebant esse procera statura, et capillis luteis seu flavis aut rutilis: opus igitur erat tegumentis capitis e luteis pilis confectis, quae quoque conficienda debebant locari. Huiusmodi capitis tegumenta Romae in usu fuisse in vulgus notum est. Invenerant quoque artem rutilandi capillos lixivio seu sapone Gallico. *Essedaque*, vehicula, quibus Galli et Belgae in primis utebantur. *ingentesque Rhenos.* Casaubonus existimat, *Rhenos* Nostrum pro *Rhenanos homines* posuisse; sed hoc esset utique novum et sine exemplo. Si Rheni adcolae intelligendi sunt, legendum mihi videtur *Rhemas*, seu *Remos.* Verum, si quid mutandum est, equidem malim: *ingentemque Rhenum* i. e. ingentem imaginem Rheni fluminis. Simulacra enim urbium et fluminum, ut neminem praeterit, in triumphum producebantur. Ceterum victoriam de Germanis saepius poëtae ita expresserunt, tamquam Rheni numen armis Romanis se submiserit. Forsan *ingentesque Rhenos* ad plures Rheni imagines spectat, quibus diversa eius ostia erant expressa. Caesonia igitur ad mariti de Germanis victoriam triumpho celebrandam locat imagines Rheni ingentes faciendas. Etenim flumen ipsum seu eius imaginem, non Germanos aut Gallos eius adcolas, h. l. innui, indicare videtur verbum *locat*, quod, quamcumque vim ei tribuas, ad captivos ductum vix commodum sensum praebet. Ad horum versuum explicationem faciunt ea, quae Sueton. Calig. 46. 47. Dio Cass. LIX. p. 659. E. narrant. Similem stultitiam Tacitus in vita Agric. 39, de Domitiano commemorat: *Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.*

48. Hanc victoriam et ego pro virili celebraturus sum. *Genioque ducis.* intelligo deum tutelarem ducis

Egregie gestas, induco. quis vetat? aude.
Vae, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior, an prohibes? dic clare. Non adeo, inquis.
Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet, patrui sterilis matertera vixit,

ideoque etiam omnis imperii, cui sacra publice fiebant. Per genium ducis Romani iurabant, Caligulaeque superbia et vecordia tanta erat, ut eum, qui numquam per genium suum deierasset, morte plecteret. *centum paria* sc. gladiatorum. Privati quoque sub Imperatoribus spectacula edebant populo et munera. Sub Tiberio iis tantum id licuit, quibus saltem quadringentorum millium res esset. Interdum hoc ius honoris causa alicui dabatur. *ob res* cet. ironia acerbissima.

49. *quis vetat?* sc. tantum me insumere in celebrationem huiusmodi diei, quantum mihi lubet. Praevertit hac interrogatione heredem vultu significantem, sibi illam liberalitatem minime placere. *aude.* ostendit hoc, quam audacter cum herede suo acturus esset.

50. *Vae, nisi connives!* Minas iam adiicit, se maiore largitione usurum, nisi id heres aequo animo tulisset. *oleum.* Saepe oleum distributum esse ab Imperatoribus populo, quin equiti et senatui in gymnasii usum gratis praebitum, notum est ex Sueton. Caes. 38. Ner. 12. Tacit. Ann. XIV, 47. Eadem liberalitate licebat privatis uti sub Imperatoribus in ipsorum honorem. *artocreas*, ferculi genus ex pane et carne confectum, omnino pro epulas. Sic Laruntius Stella, poëta Patavinus, Domitiani triumphum ludis exquisitissimis donisque et muneribus populo datis celebravit.

51. *an prohibes?* rursus instat heredi. *dic clare.* constans et firmus testatoris animus heredem perculerat; nescit ille, quid respondeat, et mussare tantum audet. *Non adeo* sc. hereditatem tuam. Hoc subplere suadent sequentia.

52. *Exossatus ager iuxta est. Exossatus* est h. l. a lapidibus purgatus; lapides enim quasi ossa terrae sunt. Ovid. Met. I, 390. Intelligendus igitur est ager diligenter cultus et suburbanus, quod posterius indicatur per *iuxta*. *Sensus:* Sub hac conditione, ut omnes tuas profusiones aequo animo feram, hereditatem tuam adire nolo; adest enim ager probe cultus ad vitae necessitates mihi subficiens. Moriaris sine herede, qui iudicio tuo generis dignitate respondeat.

52—56. Si nemo consanguinitate et adfinitate mecum coniunctus iam superest, subiungit Noster, qui heres meus fieri possit, tamen de herede non est quod laborem; statim aliquem invenero, qui bonis a me relictis, quantulacumque sint, contentus sit futurus. Notum est, deficientibus *heredibus suis* et consanguineis hereditatem ab intestato ex Romanorum more et instituto pervenisse ad proximos *agnatos* i. e. ad virilis sexus personas cognatione coniunctos, et, si hi nulli essent, ad gentiles. Sed forsan gentilitiae subcessiones Persii

Deque avia nihilum superest: adcedo Bovillas
Clivumque ad Virbì: praesto est mihi Manius heres.
« Progenies terrae! » Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen. adde etiam unum,
Vnum etiam: terrae est iam filius. et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.

aetate iam in desuetudinem abierunt, cognstique i. e. per feminas cognatione coniuncti, deficientibus agnatis, in subcessionem vocabantur. Dicere igitur vult Noster: si nulli agnati mihi supersunt; pro hoc posuit remotiores agnationis gradus. primum ait: *Si nulla ex amitis* (patris sororibus) *reliqua* i. e. nemo ex tertio gradu agnatorum in linea transversa; porro, *patruelis* (filius seu filia sororis patris) *nulla* i. e. nemo ex quarto gradu agnatorum in linea transversa; tandem, *proneptis patrui* (filia neptis patrui) *nulla* i. e. nemo ex sexto gradu agnatorum in linea transversa. Pergit iam: Si nemo cognatorum mihi superest; pro hoc posuit remotiores cognationis gradus: *nulla proles materterae, nulla proles aviae*. conf. Heinecc. antiq. Rom. lib. III. tit. 2. 5. 6.

55. *Bovillae sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae; quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus, iam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillae dictae*. vet. Schol.

56. *Clivumque ad Virbi. Quatuor millibus ad Vrbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur, i. e. Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium* (Aen. VII, 765—777.) *fabula est*. vet. Schol. locus a mendicis praecipue frequentabatur. *Manium dicit deformem et ignotum hominem, eo quod Maniae dicuntur indecori vultu personae, quibus pueri terrentur*. vet. Schol. His verbis consentire videtur proverbium: *Multi Manii Ariciae*. v. Erasm. in adag. Sensus: Heres hercle, etiamsi legitimum non invenero, mihi non deerit; in mendicorum coetu semper probus aliquis mihi praesto erit hereditatem meam adire non recusaturus.

57. *Progenies terrae!* Verba legitimi heredis sunt, hominis obscuritatem contemnentis. Heres tibi praesto erit quidem, sed qualis? obscurus nempe. Terrae filii dicti sunt populi, de quorum origine non liqueret, quosque in una eademque regione semper habitasse constaret. Sic Athenienses αὐτόχθονες, indigenae, vocabantur. Inde translatum hoc ad hominem obscuro et ignobili loco natum. Apud Petron. 43. est: *terrae filio*. *Quaere ex me*. orationem Noster excipit, ut doceat illum stultum, omnes homines quodammodo esse cognatos.

58. *quartus pater*, abavus nempe. *haud prompte*. refricanda enim quasi prius est antiquae rei memoria.

59. *terrae est iam filius*. i. e. huius maiores qui sint, nullus tibi dicere possum; est igitur iam obscurum nomen.

60. *maior avunculus*. Propria vi

Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictis?
«Deest aliquid summae.» Minui mihi: sed tibi totum est,
Quidquid id est. ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quon-
Legarat Tadius. nec dicta repone paterna: (dam

huius verbi non usus esse videtur Noster. Sic colligit Persius: Manius progenies terrae est; atqui atavus meus ab eadem terra editus: ergo Manius, frater atavi, quandoquidem uterque terram matrem salutat, est maior avunculus meus. Hac ratione optime rideri potest eorum stultitia, qui alto maiorum stemmate tument, nihilque ipsi faciunt tanta nobilitate dignum.

61. Omisso Manio convertit se Noster ad priorem. *prior,* Tu qui legitimus mihi heres es et illi Manio praeferendus. *cur me in decursu lampada poscis?* proverbialis locutio nata ex Graeco aliquo ludo, Varro R. R. III, 16. 9. *Nunc cursu lampada tibi trado.* Plato de legg. γεννῶντας καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων. Lucret. II, 78. *Apud Athenas quum iuvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat, deinde sequenti se tradebat, et secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur;* vet. Schol. Hi ἀγῶνες λαμπαδοῦχοι non solum in Hephaesteis sed etiam in Panatheneis, Prometheis aliisque Athenis celebrabantur, proverbiumque inde natum spectat proprie rerum vicissitudines mutationesque, quibus aliud ab alio excipitur. Hoc loco sub *lampade* opes, quibus heres legitimus vivo adhuc possessore inhiat, intelligi debent. *in decursu.* me adhuc currente; me vivo.

62. *Sum tibi Mercurius.* Mercurius omnis lucri inopinati auctor; inde Graecum ἕρμαιον. Horat. Sat. II, 3. 68. Sensus: Bona, quae ex hereditate tibi veniunt, non exspectare debes ut rem debitam, sed ut lucrum, quod tibi nec opinanti contingit, et quod, quantulumcumque tandem sit, aequi bonique consulere debes. *ille,* Mercurius.

63. *Pingitur.* pingebatur Mercurius κερδῷος crumenam dextra tenens. *renuis?* recusas adcipere oblatum? *vin' tu gaudere relictis?* verba sunt interminantis. *gaudere,* contentum esse.

64. *Deest aliquid summae.* Verba heredis summae deminutionem aegre ferentis, nec tamen plane audentis oblatum recusare. *Minui mihi.* Me vivente illud, quod habeo, meum est; si quid inde detractum fuerit post mortem meam, quum coeperit esse res tua, tunc erit, quod doleas. *tibi totum.* Tuum enim est, quod hereditate tibi relictum est; quod antea inde decesserit, non erat tuum; tibi igitur sumptibus meis nihil detrahitur.

65. *ubi sit* cet. Dicere vult Noster: rationem mearum rerum noli a me exigere. *fuge,* noli.

66. *Legarat Tadius.* Illud legatum Tadii positum est pro quibuscumque

Feneris adcedat merces: hinc exime sumptus.
«Quid reliquum est? »Reliquum? nunc nunc inpensius unge,
Vnge puer caules. mihi festa luce coquatur
Vrtica, et fissa fumosum sinciput aure;
Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,

adcessionibus, quibus res familiaris Persii aucta fingitur. *nec dicta repone paterna.* nec repete mihi veterem illam cantilenam, qua filiis a patribus parsimonia commendatur.

67. *Feneris adcedat merces.* Hoc scilicet est, quod suadebant patres filiis. *Feneris merces* est lucrum ex pecunia fenere occupata. Horat. Sat. I, 2. 14. 3. 88. *Hoc, quod vobis lucri de fenere adcessit, ad usum vitae vobis proficiat* vet. Schol. *hinc*, ex fenere, non ex sorte, quae semper integra servanda est. *sumptus* scil. qui faciendi sunt ad vitae necessitates comparandas.

68. *Quid reliquum est? Reliquum?* Heres interrogat, et poëta graviter commotus heredis inpudentia et inprobitate iterat interrogationem, pergitque eum incremento indignationis: Tune recusas contentus esse relictis? Iam curabo, ut tibi quam minimum post mortem relinquatur, ut tuo cum dispendio discas, bona esse viventis non heredis vivo adhuc testatore. *nunc nunc inpensius unge.* Sensius: Lautius iam mihi parate cibos.

69. *festa luce.* ut supra: solis natalibus.

70. *Vrtica* pro: cibus vilissimus, cuius tamen usus festo tantum die ab herede conceditur. *et fissa fumosum sinciput aure.* *Sinciput* sc. porcinum. Caminis, quibus nos utimur, carebant veteres, sed fumus per fores et fenestras exibat, solebantque igitur res fumo condiendas tigillis suspendere, aut in summa aedium parte locare, ut de vino notum est. Burm. ad Petron. 135. Inter cibos vulgares et rusticos erant etiam capita porcina, sale et fumo durata, ut in longum tempus possent reservari. *fissa aure*, vel paxillo, quo erat caput suspensum, perforata, vel canibus venaticis lacerata.

71. *nepos*, filius forsan, nepotino more vivens. *anseris extis*, iecinore anseris. Iecinora anserum deliciae erant helluonum veterum, itaque anseres alebantur, ut iecinora in magnam amplitudinem crescerent. *satur anseris extis* pro: repletus cibis delicatissimis.

72. *morosa vena.* Venae libidine inflantur. Horat. Sat. I, 2. 23. hinc *vena* pro libidine ponitur et pro sede libidinis, ut h. l. pro ea parte, qua viri sumus. cf. Priapeia *Naiades antiqui Dryadesque habuere Priapi, Et quo tenta Dei vena subiret erat.* Martial. VI, 49. 2. *morosa*, fastidiosa. *singultiet*, fortius quam fastidiet; ex fastidio aut ventre cibis nimis oppleto singultus oritur. *inguine* saepe pro parte naturali utriusque sexus. Iuvenal. I, 41. h. l. pars intelligitur, qua feminae sunt. *vago.* hoc epitheton adiicitur puellis, quae pudicitiam in propatulo habent. Propert. I, 5. 7.

Patriciae inmeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro: mercare, atque excute sollers
Omne latus mundi, ne sit praestantior alter 76
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

73. *Patriciae inmeiat vulvae.* rem veneream cum nobili matrona exerceat. Horat. Sat. II, 7. 52. Sensus: ut mulieres vulgares pudicitiae vulgatae fastidiat, et libido eius, magnis et amplis opibus adiuta, in feminas nobiles cadat. *trama* proprie filum, quod intra stamen currit: sic Serv. ad Virgil. Aen. III, 483. ubi Noster laudatur. Senec. Epist. 90. *deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum est, quod duritiam utrimque comprimentis tramae remolliat, spata coire cogantur et iungi* cet. H. l. saltem *trama* ab subtemine diversa est. *Trama* erat filo magis torto ac duro, subtemen molli magis ac soluto, quo panni mollescebant; villis et subtemine absumpto restabat *trama.* Sensus: Egone ita me macerem, ut ossa tantum et nervi ex toto meo corpore supersint?

74. *Ast illi* cet. At ille corpus bene curatum et saginatum habeat. Ventrem vocat *popam*, victimarium, victimis saginatum. *tremat* verbum aptum pinguedini. *omento.* hoc enim in hominibus obesis incrementa sumere solet et ventrem extendere. Simpliciter hoc loco pro adipe.

75—80. His versibus Noster docere vult, avaritiam nec finem nec modum noscere. Stulte facere eos, qui, ut gratiam apud heredes suos ineant, ad opes undique conligendas pericula omnia adeant, labores omnes exhauriant, dum studeant, inexplebili heredum cupiditati satis facere.

75. *Vende animam lucro.* Sumptum ab iis, qui vitam suam lanistis vendunt. Lips. Saturn. II, 3. Iuvenal. VIII, 192. ibi Ruperti. dictum pro: pericula vitae adi lucri causa. *excute,* pervagando scrutare. Lucian. Toxar. T. II. p. 511. ed. Reiz. de mercatoribus ἅπασαν γὰρ οὗτοι ἀκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν, διερευνησάμενοι καθ' ἕκαστον ἔτος, ὀψὲ τοῦ μετοπώρου εἰς τὴν αὐτῶν ἐπανίασιν.

76. *omne latus mundi.* remotissimas mundi plagas. *ne sit praestantior alter* cet. Sensus: nullum quaestus genus tibi sordeat, vel mangonium exerce.

77. *Cappadocas.* Servorum genus posuit proceritate corporum et habitu insigne, audax et perfidum, ad turpia ministeria praestanda idoneum. Lucian. in Asino T. II. p. 604. ed. Reiz. Ad lecticas ferendas adhibebantur. Martial. VI, 77. 4. Suidas in probver. τρία κάππα κάκιστα, Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες. vet. Schol. dicit, Cappadoces habere naturale studium ad falsa testimonia proferenda, additque: *qui nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et quum in poena perdurarent, ad falsa testimonia se bene verecundarent.* Fallaciis suis saepe libertatem nacti et ad dignitatem equestrem evecti sunt. Ceterum ex Cappadocia, Galatia regionibusque, quae


Rem duplica. Feci: iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

circa erant, multos servorum greges quotannis Romam esse deductos, constat ex multis locis. v. interpp. ad Petron. 29. et 63. *Catasta* erat pegma ligneum, in quo venales servi a mangonibus, quum illos vendebant aut vendere parabant, conlocabantur, et quidem nudi, ne emptoribus diligentibus fraus fieri posset. *plausisse.* Sensus: Ne sit quis te callidior (*praestantior*) in commendandis emptori servis venalibus, quod fiebat plaudendo eos, ad indicandum bonum corporis habitum.

78. *Rem duplica.* Si nempe avaritiae heredis velis satis facere, auge rem familiarem, ut quibuscumque artibus dupla fiat.

79. *redit in rugam* pro: iam decupla facta est res familiaris. Eleganter translatum hoc a vestibus. Quo ditior et elegantior aliquis erat, eo latiores et fusiores erant vestes. *redire in rugam* itaque pro multiplicari. *Depunge, ubi sistam,* constitue finem et modum, quousque divitias adcumulem.

80. *Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. Acervus* est ratio argumentandi a Chrysippo inventa ab exemplo *acervi.* Acervumne faciunt grana tria? non; an quatuor? non etc. et locum habet in omnibus, quae non certum modum significant, sed relatione tantum multum aut parum. Proprie sic dicendum fuisset: Tu non magis terminum, ubi in adcumulandis divitiis consistam, poteris constituere, quam terminus ullus in Chrysippi sorite seu acervo ultimus potest vocari. Sensus: Quae fieri non possunt, ut fiant, non poteris efficere. Noster per hoc exclamationem expressit, quasi iam factum esset, quod fieri omnino nequit.



LECTIONES VARIAE

Ex editione, quam Cl. PERRALTIVS *Parisiis hoc eodem anno curabat, excerptae.*

SAT. I.

Vs. 1 et 2. ita distinguitur: *O curas hominum! o quantum est in rebus inane! — Quis leget haec? — Min' tu istud ais? — Nemo hercule. — Nemo? — Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile. — Quare?* etc. Iam de interpunctione, quae passim variat, non est quod verba faciamus: ex ipsa sententia, utrum recte, an male in nostra editione interpunctum sit, lector ipse iudicabit.

Vs. 4. Praetuli *Polydamas* ex Edit. Paris. Koenig, *Pulidamas*.

Vs. 13. Cl. Perraltius censet, hunc versum monitori potius, quam Persio esse tribuendum.

Vs. 39. Adnotatis ad hunc versum adde: Ingeniosa quidem et vera forsitan coniectura. Fieri tamen potuit ut auctor e solita brevitate hic aliquid remitteret, quo fusius exprimeret, quam multi undequaque flores innascantur, primum e manibus, tum e tumulo atque ex ipsa calida favilla. Habent hunc versum MSS. omnino omnes, neque eorum quisquam monet, ne in ulla quidem scholia, subreptitium hunc esse versum. PERR.

Vs. 74. *Dictaturam.*

Vs. 128. Recepi *possit* ex Edit. Paris. Koenig, *poscit*. — *Possit*, satis mihi exquisite videtur positum, quasi dixisset: *cuius minutissimum ingenium ad id tantum valet, ut dicat Luscо, Lusce.* PERR.

SAT. II.

Vs. 4. *Libabit.*

Vs. 10. Sequutus sum Ed. Par. Koenig: *Ebullit patruus, praeclarum funus!*

Vs. 14. *Conditur*. Vulgat. *ducitur* veteres scholiastae ubicumque interpretantur per *sepelire* uxorem, *tumulare*, etc. Vnde coniicias subiectam iis fuisse vocem *conditur*. Nam, etsi monet Servius verbum *duci* proprie de funeribus usurpari; tamen patet ex auctorum lectione *uxorem ducere* significare *ducere* ad aram, vel domum, i. e. in matrimonium *ducere*, minime vero *ducere* ad funus. Ita ut hoc Persii loco non possis interpretari *ducitur uxor* per *tumulatur uxor*. Igitur praetuli *conditur*, quod habet in MSS. 8055, 8070, 8272 aliisque multum auctoritatis, sensumque potiorem. PERR.

Vs. 51. *Suspiret*. — Vs. 62. *Hos*.

SAT. III.

Vs. 1. *Haec.*

Vs. 9. *Dicas*, consentientibus meis omnibus; neque necesse videtur novam addere versui duritiem, quo melius imitetur vocem *rudentis* asini horrisonam. PERR.

Vs. 16. *Columbo*. —Vs. 66. *Disciteque, o miseri*.— Vs. 100. *Trientem*.

SAT. IV.

Vs. 9. *Hoc, puto, — rectius istud.*

Vs. 31. *Farratam p. pl. offam.* Legitur et *farratam ollam*, et *farrata offa*, et *farrata olla*, quas admiserunt variantes alii alias. Sed primo *olla* minus convenit cum *farrata* quam *offa*; tum constructio paulo foret impeditior, si admitteretur ablativus *farrata offa* pro causativo *farratam offam*, quem regit *plaudentibus*. Pera.

SAT. V.

Vs. 38. *Extendit.* Legit Koenig contra fidem MSS. et laudatissimarum editionum *ostendit*, quod multo minus convenit cum *regula* et *intortos*. Porro est iuocturae Persius studiosior. Pera.

Vs. 60. *Tum crassos.*

Vs. 82. *Hanc nobis pilea donant.* Mss. mei Codices 8048, 8055, 8070 ferunt: *Haec mera libertas, hoc nobis pilea donant.* Quae lectiones et ipsae probari possunt. *Haec*, scilicet *haec* munia, *haec* privilegia spondendi, iudicandi, ubsigoandi, *etc.* Altera vero lectio, quae plus habet auctoritatis in MSS. Codicibus Germanorum, magis est Latina. Potest totus versus legi eodem tenore orationis quo praecedentes, ita ut sit conclusio, epiphonema; potest legi eodem tenore quo insequentes, ita ut ab illo ubiectio incipiat. Ad alterum sensum praetulerim lectionem *hoc*, quam sequitur Casaubonus. Pera.

Vs. 101. *Nescius examen: vetat* etc. colun pro signo ioterrog.

Vs. 107. *Evitanda.*

Vs. 148. *Sessilis.* Legit Koenig. unus omnium, *fissilis* pro *sessilis*, neque monet, qua id faciat fretus auctoritate. *Sessilis* est probatissimae latinitatis (vid. Facciol. lexicon) sensumque efficit longe potiorem. Pera.

Vs. 149. *Modesto.* — Vs. 174. *Nec nunc.*

SAT. VI.

Vs. 3. *Vocum.*

Vs. 6. *Egregios.* Sic ferunt MSS. mei omnes; sic plerique ediderunt. Posuit vero Koenig: " *Egregius* lusisse senes. „ Sed convenire vix potest *egregius* in recto casu cum *mire opifex*, in vocativo, quamquam ea de re possunt afferri exempla. Sed quid est cur desudes in MSS. Codicum lectione immutanda, quum sensum efficiat tuo vel potiorem?

Vs 39. *Nostrum.* Est indignantis, quemadmodum in I, 9: " Nostrum vivere. „

Vs. 66. *Stadius.*

Vs. 77. *Pavisse.* Invidiosa vox est, qua indignatur hominum esse pastionem, sicuti pecudum. Ferunt 8055 et 8070 *plausisse*; prior tamen suprascriptum habet *pavisse*. Edunt et quaedam membranae *clausisse*. Casaubonus, Prataeus, Koenig et Franciscus Passow, editorum lectissimi, receperunt *plausisse*; hoc ipso quod magis exquisitum sit atque adeo Persii convenientius ingenio; et quidem, quod sensum efficiat probabilem, similem huic apud Virgil. Georg. III, 184: *Tum magis atque magis blandis gaudere magistri Laudibus, et* plausae *sonitum cervicis amare.* Quia venditor, servos dum exponebat in catasta venales, attrectabat et palma *plaudebat*, ostentans *pinguedinem*. Verum *rigida catasta* non ea fuisse videtur in qua servi prostarent, sed ea qua interius asservarentur pulchriores, et *pingues pascerentur*. Pera.

INDEX RERVM

ET

DICTIONVM MEMORABILIVM

Grandia verba Catonis iii, 45.
Gurgulio iv, 38.

Q

V


VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

INDEX RERVM

QVAE IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

Explicit Tomvs Primvs.

FACVLTATE OBTENTA.







